348.744
H516

G
I

BIBL. RES.
Krijtberg S. J.
AMSTELAEDAM.
160

B R kr.

B R k.

DE ECCLESIASTICA

LIBRORUM ALIORUMQUE SCRIPTORUM

IN BELGIO PROHIBITIONE

DISQUISITIO.

Hæc, *de ecclesiastica librorum aliorumque scriptorum in Belgio prohibitione, disquisitio*, summo studio elaborata, quum nihil fidei aut moribus contrarium contineat, utiliter typis mandabitur.

Datum Mechliniæ 16 Aprilis 1849.

ENGELBERTUS, Card.-Arch. Mechl.

Bibl. Res. S. J.
"KAMTBERG"
AMSTELODAMENSIS

DE ECCLESIASTICA LIBRORUM ALIORUMQUE SCRIPTORUM IN BELGIO PROHIBITIONE DISQUISITIO,

160
10

Auctore A. Heymans, S. T. L.,

ARCHIDIOEC. MECHL. PRESBYTERO.

Melius est aliquid nescire secure, quam cum periculo discere.
S. Hier. ad Eust. l. 2. ep. 17 de custod. virg. *Audi filia.*

Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. L. x. 16.

Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem. S. Ign. ad Smyrn.

ALMA COLLEGE
348.744
LIBRARY
H516
Los Gatos, Calif.

BRUXELLIS,
APUD ALPH. GREUSE, VIA DICTA BEUGHEM, N. 6,
IN SUBURBIO SCHAERBEEK.

1849.

55086

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ENGELBERTO,

CARDINALI-PRESBYTERO, TITULO S. BARTHOLOMÆI IN INSULA,

ARCHIEPISCOPO MECHL., PRIMATI BELGII, ETC.

EMINENTISSIME DOMINE!

Tandem quod Eminentia tua favente sum auspicatus, eademque adhortante, sum prosecutus, absolutum prodit opusculum. Illud igitur ante pedes Eminentissimi Domini depono, humiliter orans; ut tantillum studiorum laborumque meorum fructum benigne suscipere dignetur. Perjucundum mihi contigit, Eminentissime Domine, ut illuc studiorum meorum me ratio propelleret; quo, una cum illustrissimis provinciæ Coepiscopis, ad vocem Petri, qui et recentius per Leonem et Gregorium locutus erat [1], omni ordini ecclesiastico, cunctisque ecclesiæ Belgicæ membris omnem laborem conatumque vertendum intimabatis, per Instructionem pastoralem an. 1843; qua gravissimum sacro-sanctæ religionis

[1] Monuerat orbem catholicum *mandatum* fel. mem. Leonis XII, additum decreto s. Congr., diei sabbati, 26 martii 1825 (in ind. Hanicq, 1835, pag. l.); monuerat Greg. XVI *Epist. encycl. ad omnes Patriarchas.....* 8^as^ maji 1844 (*Journal hist.*, t. XI, p. 91). Quorum Pontificum vestigiis et nuperrime instetit s. d. n. Pius IX, (quem Deus ecclesiæ suæ diu sospitem servet), in litteris encyclicis, quas, ad cathedram pontificiam evectus, dedit, Episcopos tenerrime monens : « Illud obsecrantes mone-» mus, inquit, ut omni ope et opera multiformes inimicorum hominum » insidias, fallacias, errores, fraudes, machinationes fideli populo detegere, » eumque a pestiferis libris diligenter avertere..... velitis. »

nostræ hisce signanter diebus hostem, perversorum, nempe, librorum aciem, libertate, vere apostolica, adorti estis. Quo vero a Ducibus tam inclytis totus belli impetus dirigitur, illuc singuli quoque milites oculorum obtutum, illuc studia vertant, nervosque omnes intendant, necesse est. Quapropter et ego quod potui, omni studio, efficere sum conatus. Felicem, si vel parum quid, in re tanti momenti conferre sit datum! Ceterum, quemadmodum Eminentissimus Dominus, monebat iteratis, in documento quadragesimali, an. 1845, exhortationibus præceptisque fideles a pravis scriptis absterrens, deficit quidem subinde oportunis malo remediis industria humana; ita ut ad optatum, etiam per strenuos labores, pertingere scopum, desperandum pene videatur. At suppliciter invocatus, eluctantibus propitius aderit ministris suis, qui laborantibus et prædicantibus Apostolis incrementum dedit, Deus. Aggredimur ergo, qui ab Eminentissimo atque Illustrissimis Belgii catholici Ducibus designatus fuit, hostem, præcipuo expugnandum ardore. Faxit omnipotens Deus, ut populi apostolico eorumdem zelo commissi, ac præsertim Belgica juventus, patriæ spes, ac tua, Eminentissime Domine, atque Illustrissimorum in Belgio Coepiscoporum gloriæ corona, a pravorum scriptorum peste immunes serventur!

Eminentiæ tuæ

D. D. D.

Humillimus simul ac devotissimus famulus.

A. HEYMANS, PRESB. S. T. L.

PRÆFATIO AD LECTORES.

De noxiis prohibitisque libris disserere, ut mihi semper res in primis ardua visa est; sic et summi quoque momenti. At vero magis magisque indies propagatis ad infimos etiam reipublicæ gradus litterarum studio atque cognitione, crescit etiam ejusmodi tractationis momentum atque necessitas. Nemo namque ignorat quam acriter sibi hodie boni malique libri hominum vindicent affectus cultumque; et, quod consequens esse hac opella latius demonstrabimus, intellectus et cordis obsequium seu opinionum consensum morumque conformitatem. Sicut enim bonorum librorum cultus ad omnem humanitatis, virtutis religionisque informationem efficacissimum est medium; ita et pravorum scriptorum lectio pariter omnis perversionis est initium, progressus et complementum; ita ut boni malique libri velut novæ sint arbores vitæ et mortis; e quibus in societatem, sive domesticam, sive civilem, sive religiosam bona omnia vel mala proveniant.

Non aliis sane de causis, jam inde ante Lateranense V concilium œcum. Pontifices et Episcopi omni zelo ac labore; omni industria atque auctoritate; qua conciliis et synodis; qua constitutionibus et congregationum decretis satagendum censuere; ne, favente artis typographicæ inventione, perversi quique libri divulgarentur; et ne « Quod ad fidei augmentum ac bonarum artium propagationem » salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi » fidelium saluti detrimentum pariat [1]. » Nedum vero malum, adhi-

[1] Ita Leo X in Lat. conc. s. X. Confer. et constit. Al. VI. *Inter multiplices.* OEcumenica synodus Tridentina animadvertebat negotiorum, sibi incumbentium, omnium hoc primum esse; ut huic suspectorum et per-

bito remitteret remedio, indies invalescere visum est : unde et posteriores etiam Pontifices Romani apostolica tuba nos excitare non destiterunt : « Pugnandum est acriter, ait Clem. XIII [1], quan- » tum res ipsa efflagitat; et, pro viribus, tot librorum mortifera » exterminanda pernicies : numquam enim materia subtrahetur » erroris; nisi pravitatis facinorosa elementa depereant. » Pius vero VI in litteris, datis occasione exaltationis ejus, huc etiam oculos, huc studium omne vertendum ratus, Episcopos hortatur, dicens : « Vetus fermentum expurgate, auferte malum de medio » vestri; id est venenatos libros ab oculis gregis, magna vi et » sedulitate extorquete; animos autem infectos prompte fortiterque » segregate, ne sint ceteris nocumento. » Nec minus energice, diebus nostris, S. D. N. Greg. XVI, in primis, post elevationem litteris [2] vocem attollit. « Perhorrescimus, ait, Venerabiles Fratres, » intuentes, quibus monstris doctrinarum, seu potius, quibus » errorum portentis obruamur; quæ longe ac late ubique disse- » minantur ingenti librorum multitudine libellisque et scriptis, » mole quidem exiguis; malitia tamen permagnis, e quibus male- » dictionem egressam illacrymamur super faciem terræ. »

Quod autem attinet ad patriam nostram, adhuc auribus omnium insonant, quæ nuper, in Instructione pastorali an. 1843, illustrissimi Belgii nostri Præsules fortiter æque et suaviter edixerunt : nec post tantam pugnam conclamatum de victoria est : etenim quamvis multi exinde nuntium miserint perversis diariis aliisque pestiferis conscriptionibus;[3] plerique tamen pastorum suorum vocibus minime sunt obsecuti. Tam profundas malum egerat radices; tantopere invaluerat spiritus omnimodæ independentiæ et quæcumque lecti- tandi abusus; ita plerisque falsæ libertatis aura perstrinxerat mentis oculos, ut indigitatum vix animadverterent periculum; vel saltem ab illo se immunes atque a lege adeo exceptos præsume- rent, nec caperent ecclesiæ, circa malos libros spiritum ac disci- plinam [4]. Unde et nominatim de suis diœcesibus post emissam

niciosorum librorum negotio prospiceretur. V. sess. XVIII decr. *De librorum delectu.* De laboribus vero exinde a synodo susceptis, vide Pallav. *Hist. Conc. Trid.* l. xv. c. xviii et bullam Pii IV indicis confirmatoriam, *Dominici gregis,* constitutionem Clem. VIII. *Sacrosanctum,* etc.

[1] In litteris encycl. 25 nov. 1766, quæ incipiunt, *Christianæ.*

[2] 15 aug. 1832. *Mirari vos.*

[3] Vide documentum quadrag. ill. Episcopi Leod. 1845, p. 293. V. *Sans doute.* Idem per Belgium integrum, factum esse: in dubium revocari non potest.

[4] Etiamnum verum est quod scribebat an. 1834, le *Journal hist.* (t. I, p. 133). « Le premier point, est-il dit, serait d'avertir les fidèles de ce danger, de leur

Instructionem conquesti fuere in documentis quadragesimalibus Eminen. dominus Cardinalis-Archiepiscopus Mechl.[1] et ill.Episcopus Leodiensis [2].

Lachrymosis his quæstibus pientissimæ matris, ut verbis utamur « Pii VI (l. cit.), quis se commoveri atque impelli vehementer non » sentiat, ad præstandam omnem suam, quam ecclesiæ arctissime » pollicitus est, industriam atque operam? » Animadvertentes igitur quo non solum ab altissimo Vaticani loco omnis belli impetus dirigatur, sed et ab eminenti et illustri loco proprii vexilli moveatur acies, stemus fortes in bello, et si quid est virium, si quid animi; illud omne, pro modulo, conferamus, ut commune fidei morumque periculum avertamus.

Idcirco obedientes voci, in agmen nos vocanti, cum r. p. Deschamps[3], non timemus esse nimii in materia, tanta cum auctoritate,

» prouver que ce danger est réel; car, on peut nous en croire, c'est une con» viction qu'ils sont loin d'avoir généralement. » Immo et jam dudum continuo monebantur e suggestu a zelosis verbi divini præconibus, et a prudentibus directoribus in s. pœnitentiæ tribunali, nec moneri cessarunt; donec explorata mediorum communium inefficacia, pro gravitate periculi, suam, unitis viribus, vocem levandam judicarunt Episcopi. Interim etiam hodie scripta perversa leguntur et eo damnabilius leguntur a multis, quo fuerint moniti: (argumento sint pressæ exsecrandi illius operis, *Juif errant*, in Belgio catholico editiones et prompta earumdem distractio). Nempe quemadmodum mense decembri 1844 aiebat idem *Journal hist.* (t. XI, p. 397) « En fait de lecture les liens de l'au» torité sont tellement relachés, pour ne pas dire rompus, qu'on se permet » tout, et qu'on se met généralement au-dessus des défenses prononcées. On » méconnaît le danger, ou on le méprise, ou on l'aime. »

[1] « Vous avez écouté notre voix, dit son Éminence, et jamais, peut-être, » lettre pastorale ne fut accueillie avec tant d'empressement et répandue avec » tant de zèle. Cependant le mal n'a pas cessé; les dangers qui vous menacent, » sont même devenus plus grands par la méchanceté des ennemis de la reli» gion..... »

[2] P. 293, ubi, post memoratam plurium promptam Episcoporum voci obedientiam, prosequitur : « Mais à côté de ce bien, que d'hommes se disant Chré» tiens, ont persévéré dans la voie de la perdition; si même ils n'y ont fait de » tristes progrès par une désobéissance plus formelle à ce sacerdoce de J.-C., » que cependant ils ne renoncent pas encore! Non, ils ne voudraient pas renier » la foi de leurs pères..... mais le poison des mauvaises lectures *a altéré* leur » foi..... »

[3] Tanti ejus verba sunt sensus, tamque ad intentum nostrum apposita; ut etiam quasi importune adscribi nemini molestum fore confidam : « On dira » peut-être : le sujet n'est pas bien choisi, il a été traité par une autorité si im» posante, qu'il semble téméraire de l'aborder encore : et puis nous sommes » rassasiés sur ce point. M. F., il n'y a pas de témérité à obéir, et c'est pour

tam solide et toties jam pertractata; vere tamen semper inexhausta : nec importunum rati sumus post celebratissima Francisci Ant. Zaccaria [1] et S. Alphonsi, (cujus dissertationem de justa prohibitione librorum nocuæ lectionis [2] *doctam fortemque* Zaccaria prædicabat) opera, novam in cleri gratiam moliri lucubrationem : quoniam clarissimi illi scriptores, ex instituto, adversarios potestatis et disciplinæ ecclesiasticæ adorti, suum fere prosequuntur scopum, minus aliquibus intenti, quæ non sine fructu, intra domesticos, ut ita loquar, theologorum catholicorum parietes agitantur; nec pertractare potuerunt aut debuerunt, quæ patriæ nostræ peculiarem concernunt statum ac disciplinam.

Porro nihil magis sacerdotem catholicum decet, nihilque illi magis sacrum, magisque jucundum potest obtingere; quam voce vel scripto fidei virtutisque suscipere patrocinium; eas a malevolorum impugnationibus defendere; ecclesiæ tueri jura; sanctam ejusdem vindicando disciplinam, impiorum ora claudere; fideles edocere, quam rationabile eorum sit obsequium, quum ecclesiæ perversa quæque scripta prohibenti obtemperant; eosdem, expositis statutorum ejusmodi motivis, adversus impiorum assultus armare, illosque consolari ne invideant populis; qui magno suo periculo tanti fidei morumque præsidii beneficio spoliati, sua gloriantur libertate.

Atque hæc quidem considerantem me nec propositæ quæstionis difficultas, nec impar viribus extensio deterruit : in re namque tanti momenti vel tantillum reverendis in sacerdotio Fratribus subsidii præstitisse, haud exiguum duxi : immo quæ terrere debuissent, stimularunt magis; dum ob eadem ipsa pollicerer, veniam facilius me nacturum et gratiam; si minus feliciter in ea tractatione, utilitatis omnium intuitu suscepta, versarer.

Liceat nunc præfationi finem facere, applicando nobis Belgii catholici sacerdotibus, verba ill. Præsulis Leodiensis, qui, zelosissime in perversos libros invectus, protestatur [3] : « La franchise de

» obéir à cette instruction pastorale, à laquelle vous pensez, c'est pour lui obéir » que je vous parle. La grâce accompagne toujours l'obéissance. »

[1] *Storia polemica delle prohibizione de' libri.* Romæ, 1787, in-4°; quo opere non solum accuratissima et erudita eorum, quæ ad rem nostram faciunt, factorum enarratione, sed et solidissimis quoque rationibus et deductionibus, totam hanc materiam late evolvit ac dilucidat.

[2] Exstat in ed. Mechl. an. 1829 et 1846, Theologiæ moralis, ejusdem sancti auctoris in fine; et in *Cursu completo theol.*, t. XIII.

[3] Mandement de carême, 1845, p. 291.

» notre langage ne plaira pas à tous ceux, à qui il s'adresse; peut-
» être les accents de notre voix iront mourir à la porte de bien des
» cœurs, que l'égoïsme ou une incrédulité systématique a depuis
» longtemps fermés à la vérité. Nous pourrions même présager
» quelque nouvelle accusation d'avoir commis un excès de zèle ou
» un acte d'envahissement ou d'intolérance; mais en présence de
» ces considérations propres à décourager l'homme, un Évêque
» (un prêtre) se rappelle le mot du grand Apôtre : *Si je voulais*
» *plaire au monde, je ne serais plus le serviteur de Jésus-Christ.* » Qui namque duces persequuntur, et illos qui fideles eorumdem mandato obtemperant milites persequentur : sed faxit Deus, ut quem in illis suspicimus, etiam in istis experiantur omnes, invictæ fortitudinis simul et Christianæ prudentiæ spiritum!

Lovanii 19 Martii, in festo S. Josephi, Belgii Patroni, anno 1849.

A. Heymans, presb. S. T. L.

PROLEGOMENON.

1 Tractaturi de obligatione pravos libros vitandi; de necessitate libros, fidei moribusque inimicos, prohibendi; de potestate cui istiusmodi prohibitionum jus competat et officium incumbat; deque disciplina, qua totum hoc negotium continetur; priusquam aggrediamur singula, duo breviter habemus præstanda : primo indicandum, undenam hujuscemodi necessitatis ac potestatis origo sit repetenda; secundo, ut propius ad opus accingamur, totius lucubrationis figendus est scopus ac declaranda partitio est.

Primum quod attinet, libros quosdam vitandi obligatio ex eo oritur, quod unusquisque, ad finem quempiam obligatus, simul teneatur ea vitare omnia, quæ finis illius consecutionem impediunt. Ratio vero potestatis prohibendi certos libros in eo est sita; quod omnis cujuscumque societatis prælatus ea, quæ societatis finem tendunt eversura, præcavere sua lege teneatur. Quotiescumque ergo constiterit; librum aliquem aut scriptum quodcumque, etiam

homini cuipiam particulari exitiosum existere, ab eodem cavere ipsa naturæ lege jubente, debebit; si vero societati cuivis periculum liber aut scriptum creaverit, a societatis primoribus debet prohiberi. Atque hæc est idea fundamentalis tractationis hujus : ex illa velut e nucleo educitur et necessitas et potestas pravos profligandi libros; ex illa evolvi logice posset; quis prohibeat, quid prohibendum sit.... Et si qua deinceps proferimus *ex ipsa rerum natura petita* argumenta, in hanc ideam principem ultimo resolvi pene videntur. Dico tamen, *ex ipsa rerum natura petita*, quia, quantum ad potestatem ecclesiæ, circa libros, fidei morumque subversivos, cum illa positivæ Christi domini institutionis societas sit; independenter ab omni illa, quæ *a priori* dici posset, probatione, ex certa Christi voluntate ejusdem jura atque officia repetuntur.

2 Quoad secundum, duplex est tractationis hujus occasio; difficultas nempe quæstionis canonicæ de indice Romano præsertim in Belgio; et quaquaversum hodie diffusa pravorum librorum seges, eorumque lectio assidua.

Scopus pariter est quasi duplex : illam, nempe, quantum licet, quæstionem dilucidare, et hujusce lectionis evolvere pericula et propalare malitiam.

Utrumque tamen hunc scopum, quia ad idem, de perversis libris, reducitur argumentum, uni mihi videor posse præfigere tractatui, et una, quæ sequitur, attingere capitum serie; ad quam selecta quæque, ab auctoribus, in rem nostram, tradita, referri posse crediderim [1].

Caput I^m^ Omnigena exponet argumenta, quibus, ad suum cujusque captum, et pro suo cujusque studio, perversos libros penitus amovendos, probemus.

II^m^ Prohibitionis istius jus et officium uni principaliter vindicabit ecclesiæ.

[1] Ne quis hoc ita dici forte miretur; fatebor ingenue, propositum mihi ab initio fuisse; optimos quosque auctores consulere, et quidquid in eorum libris magis notatu dignum reperirem, in methodicum quodpiam referre compendium. Plura tamen, alibi, aut nullatenus, aut vix obvia pertractare debui; in quibus, ut, quantum liceret, rectum tenerem tramitem, eximiorum Dominorum, apud s Facultatem in Universitate catholica Professorum, consilium frequenter adhibui, benevoloque eorumdem usus sum concursu, atque aliorum præterea doctissimorum virorum amica cooperatione. Quapropter eos omnes eximios Dominos, doctissimosque viros supplex oro, ut benigne suscipere dignentur, quod, ex imo corde depromptum, hic consigno sinceræ gratitudinis testimonium.

III^m de prohibitionis objecto, seu de iis, quæ prohiberi mereantur, scriptis, discurret.

IV^m ecclesiæ recentiorem et hodiernam, in hoc negotio, disciplinam exponet.

V^m de indicis, in Belgio nostro, promulgatione et obligatione tractabit.

VI^m demum capite complectemur varias quæstiones practicas, de pravorum librorum aliorumque scriptorum editione, lectione, retentione, etc.

CAPUT PRIMUM.

LIBRI, FIDEI MORUMQUE SUBVERSIVI, VITANDI ET PROHIBENDI SUNT.

3 Nomine *pravorum librorum* qui, ut tales, aut jure naturæ vitandi sint; aut saltem, jure positivo prohibendi, hoc loco [1], intelligimus scripta quæcumque aut impressa, quæ sub quacumque forma, sub quocumque nomine, quocumque modo, per se aut etiam per accidens v. g. ex circumstantiis personarum, loci aut temporis morale afferunt periculum fidei aut moribus lectorum [2]. Patet, quum libros dicimus perversos, nos etiam ab effectu et non a sola intrinseca librorum qualitate, hanc denominationem repetere; cum sæpius libri, de se, non mali, propter abusus vel hominum fragilitatem et imperitiam, debeant ab usu dimoveri.

Porro notum omnibus est; quoties hodie nedum secreto simplicium auribus ingeratur, sed etiam publice plenis buccis effutiatur; librorum prohibitionem antiquatum esse istorum medii ævi seculorum inventum; indicem modo vim habere nullam; hodie propa-

[1] Aliquando ex jure positivo restrictius ea verba intelligenda esse, videbimus, C. VI.

[2] *V. Inst. past.* cit. § I; *Les mauvais livres, les mauvais journaux et les romans* du p. Boone, statim in principio; Raynaudi *Erotemata de malis ac bonis libris*, p. 380.

gatis litteris et diligentissime excultis liberalissimis studiis, homines non ita esse simplices; ut per lectionem cujusdam libri, fide subvertantur, aut moribus corrumpantur; artem typographicam, ut plurimum affert mali, ita quoque promptum malo ferre remedium et alia sexcenta non minus absona et invicem eversiva. Nos igitur Dei et ecclesiæ ministros paratos esse decet et variis, pro eorum, quibuscum agendum fuerit, genio, instructos argumentis; quibus vesana ejusmodi asserta funditus subvertere, juris naturalis ac divini præcepta stabilire et salutarem ecclesiæ disciplinam vindicare et commendare possimus. Qua propter ex multis quæ proponi possunt, sequentia evolvenda duxi argumenta, quibus ad captum, uniuscujusque suum, persuadere possimus, malos libros generatim, ipso naturalis divinique juris præscripto, esse vitandos; et a debita, cui naturalis divinæque legis observantiam urgere ejusdemque prævaricandæ pericula præscindere officium est, auctoritate, ubi tales noti fuerint, in particulari notandos; vel cum alias periculum afferunt, positiva lege, pro ut circumstantiæ tulerint, prohibendos [1].

4 I Argum. In primis certa omnibus res est, teneri unumquemque, pro suo erga Creatorem obsequio, et pro sua erga seipsum charitate et erga proximum necessitudine, quantum in ipso est, contendere, ut finem adimpleat creationis suæ, non modo pro vita, quæ nunc est, sed præcipue pro illa, quam futuram exspectamus, cujusque felicitas omnium ac singulorum finis longe præcipuus fuit constituta : ad hanc porro vitam, ad quam recta fides et mores integri aditum sola præbent, libris, fidei morumque subversivis, iter præcludi, et per se patet et non minus ab omnibus exploratum habetur : quid igitur sana ratio? Quid logica? Sane perversos hosce libros ab omnibus fugiendos esse ex ipsius legis naturalis dictamine; eosque a debita auctoritate proscribendos, amovendos atque penitus abolendos. Sic judicatur ab omnibus quamdiu in genere tantum quæstio movetur, verum cum plerique sibi ipsis, hoc prætenso intelligentiæ seculo, abblandiantur; nullum sibi a lectione periculum imminere; posteriorem argumenti propositionem a simili amplius declarare non supervacaneum visum est.

1° Funestissimum esse hominibus, ex natura sua ad imitationem pronis, cum impiis ac perversis consortium, una omnium vox

[1] Similem potestatem existere eamque generatim eas leges ferre posse, quæ ad certiorem juris naturalis ac divini observantiam conducant, hic in admissis pono : illud auctores catholici late probant et evolvunt, ubi agunt de ecclesia, et in tractatu de legibus : hic etiam, C. II, quantum causa postulat, id latius evolvetur.

est [1]. Hinc est, quod ecclesia, tanta semper sollicitudine perversorum hominum consuetudinem fidelibus interdixerit. Hoc ipsum, quod practice hominibus persuadere valde sit arduum, Spiritus S. per apostolos docere et continuo inculcare non destitit : « Nunc » autem scripsi vobis, ait S. Paulus [2] non commisceri; si is qui » frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, » aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax... cum ejusmodi nec ci- » bum sumere. » « Nolite, inquit, S. Joannes [3], eum (qui hanc » doctrinam non affert) recipere in domum; nec ave ei dixeritis. » « Declinate, ait Apostolus ad Romanos [4] ab illis... qui dissensiones » et offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt. » Ipsi Tito præscribit S. Paulus [5] : « Hæreticum hominem post » unam et secundam correptionem devita. » Ratio est, quia, ut idem docet Apostolus [6] : « Sermo eorum ut cancer serpit » et « corrumpunt mores bonos colloquia mala [7]. »

Hinc, quemadmodum in veteri lege, viguit ejectio e synagoga et a consuetudine populi fidelis separatio [8]; ita in nova lege semper obtinuit excommunicationis pœna; qua homines, in ecclesiæ auctoritatem rebelles, ab aliorum fidelium commercio removentur; neque ullo umquam tempore ecclesia per ministros suos fidelibus denunciare cessavit id, quod olim clamabat S. Cyprianus, dicens : « Pro- » cul ab hujusmodi hominum contagione discedite et sermones » eorum velut cancer et pestem vitate [9]. » Quamvis autem C.V. ep. I ad Corinthios, v. 10. Apostolus expresse declaret; prohibitionem suam non extendi ad infideles, etsi fornicarios aut avaros..... a quibus non minus videri possit periculum fuisse, quam a perversis Christianis; non sequitur istam Apostolorum

[1] Notum est vetus proverbium : Dis-moi qui tu hantes, je te dirai qui tu es. Quod indies verum declaratur, non tantum in libris obscœnis, sed etiam in libris irreligiosis; et non modo quoad particulares, sed quoad familias et communitates etiam integras; ut dici audacter possit : dic mihi quales iste vir, quales ista familia aut societas legat libros; et ego dicam tibi, quænam ibidem vigeant placita, quinam mores. Videsis exempla n° 10.

[2] I ad Cor. C. v. v. 11.

[3] Ep. II. v. 10.

[4] C. XVI. v. 17.

[5] Ad Tit. C. III. v. 10.

[6] II ad Tim. C. II. 16.
I ad Cor. C. XV. 33.

[8] « Si ecclesiam non audierit, inquit Christus (Matth. XVIII. 17), sit tibi » sicut ethnicus et publicanus. » Cfr. et Becani, *Anologiam vet. et novi test.* C. XIII. n° 37.

[9] Ed. Pamel, ep. XL, al. 8. l. 1.

ecclesiæque disciplinam mere ad confusionem et pœnam deliquentium, nequaquam vero ad præservationem fidelium a contagiosis illorum exemplis fuisse præscriptam. Nam esto et iste salubris correptionis finis Apostolos et ecclesiam moverit; quæ supra laudata fuerunt, ejusdem Apostoli, ad Romanos et ad Corinthios verba dubium nullum relinquunt; quin præcipuam etiam curam in eo ponendam esse censuerit; ut fideles abs pernicioso improborum consortio removerentur. Non tamen infidelium, etsi improborum, consuetudinem interdixit eo, qui nobis objicitur loco; tum quod eorum tanta esset multitudo, ut non sine gravissimis malis eorumdem potuissent convictu abstinere Christiani (*alioquin*, inquit Apostolus, *debueratis de hoc mundo exiisse*); tum quod minus esset periculum a perversis paganis, quorum cultum aversabantur fideles; quam a perversis Christianis, qui et fratres dicerentur et intimæ conversationis haberentur consortes.

Porro si tantum est periculum a colloquio; quantum, putas, erit a pernicioso libro? Est enim ille non ad momentum præsens, nec obiter discurrit, aut in auram loquitur; sed captiosis sinitur probare argumentis periculosisque suadere illiciis, quod volubili seductor verbo absolvere cogitur. Non cum vento avolat quod otio attente lectum, reflexe receptum animoque impressum jacet, quodque, fideli commissum memoriæ, diurna pariter et nocturna rimatur meditatio. Neque isthic imber est defluens; sed pluvia stillans et sedata temperie ad zizaniorum progerminationem fecundans.

2° « Bene, inquit S. Alphonsus de Lig., S. Basilius libros appel» lavit *cibum animarum;* quia sicut cibus delectabiliter ingreditur » in hominem et deinde fit proprius hominis sanguis; sic liber, » cum legitur, delectabiliter legitur (*quis enim,* inquit, *leget invi*» *tus?*) et sic de facili fieri solet res propria lectoris » [1].

3° Quin immo et respectu plurium lectorum sequens valet ejusdem sancti auctoris consideratio; quæ magis adhuc ostendit; quantum a pravis libris timendum sit damnum : « Qui ad auctorem » legendum accedit, ait, illi pene discipulum se tradit ipsique cor » docile et benevolum offert et ideo facile ab illo decipi potest [2]». Et quidni se auctori alumnum tradat? Numquid enim ideo ad legendum plerique accedimus, ut legendo discamus, quod nescimus? Saltem numquid pueri primum legere instituti sumus, ut legendo secundum intellectum adolescere, et postquam adolevissemus, le-

[1] *Diss. de justa prohibitione et abolitione librorum nocuæ lectionis.* C. I. n. 2.
[2] Ibid.

gendo maturescere citius obtingeret? Quo fit; ut ipsa quasi homines seducente natura, plerique ad seram usque ætatem, libris legendis, duci, circumduci, abduci pergant, nescii subducere se jugo, necessario quidem, omnibus ad tempus, aliis etiam ad vitam; at quod semper discrete ex nostro vel alieno judicio est suscipiendum et subeundum. Immo et stupenda nimis ac dolenda, quæ cunctis retro seculis occurrunt, exempla ad evidentiam evincunt [1], perversos scriptores quam prævie ad lectionem, et quasi proprio auctorum apud simpliciores jure, non habent, magisterii prærogativam, etiam apud pios nec ita indoctos, sibi comparare nosse : venenum, scilicet, quod mente fovent, ita saccharo et melle conditum offerunt; ut etiam prudens quisque, ex solo gustu illectus, decipiatur, mortiferumque insensibiliter, immo et delectabiliter ingerat ferculum. Quorum enim aut sagax reformidant judicium aut probatos mores suspiciunt nefarii illi homines, eos fraudibus ac fallaciis aggrediuntur : pietatem præ se ferunt; zelum virtutis ac sollicitudinem boni publici simulant; veritatis hederam promittunt; donec benignum captaverint ingressum; mox speciosis rationibus circumveniunt; sensimque sibi dominationis suæ et perditionis nostræ viam sternunt. Quapropter audens quidem, vere tamen scripsit auctor modernus : « Nous mettons en fait qu'aucun lec» teur, fut-ce le plus sage et le plus prudent, ne voit habi» tuellement sans danger ce qui offense les mœurs ou la religion [2].»

5 II Argum. Eos etiam, quos impugnamus libros procul amandari jubet gravissima injuria, quam sacrosanctæ religioni nostræ, et ipsi adeo ejusdem auctori, Deo, inferunt, non solum ea, quæ veritates oppugnant dogmaticas, sed et quæ morum integritatem labefactant aut ecclesiæ disciplinam impugnant scripta. Deus namque non minus officiorum implendorum, quam dogmatum credendorum depositum ipse tradidit, revelavit, propagavit ac conservavit : Deus est, qui per religionem, quam generi humano communicavit, hominis mentem instruit ac voluntatem ad virtutem informat, motiva simul ac media copiosissima ad eam amplectendam eidem subministrat : Deus, qui societatem non minus civilem, quam domesticam coagmentat; dum religione media, hinc quidem singulorum jura membrorum debitis restricta limitibus constituit; illinc vero omnium pariter officia designat, cum auctoritate inculcat et efficaci sanctione munit : utriusque ille societatis leges probat et sacro

[1] Confer exempla n° 10. Infra.

[2] *Journ. hist.* t. XI, p. 398

religionis robore confirmat. Deus est præterea, qui religioni propagandæ, conservandæ ac moderandæ præfecit ecclesiam, cui et potestatem independentem constituit; ut quidquid ad præfixum ei finem necessarium foret, suo nomine stabiliret. Hæc nobis Deus optimus maximus per religionem contulit præcipua longe bona; et liceat hanc sacrosanctam religionem nostram in quacumque sui parte injuriis petere? Illius impugnare dogmata? Quos ipsa inculcat mores sanctos spurcitiis labefactare? Ecclesiæ potestatem convellere aut disciplinam proscindere? Nec debeant ausus temerarii ac sacrilegi cohiberi [1]? Desipiat necesse est, qui manifestum repulerit rationis dictamen.

6 III Argum. Aliud modo, illudque gravissimi ponderis, argumentum ducamus ex funestissimis, qui ex pravorum librorum lectione oriuntur, effectibus : maximum nempe per eam nocumentum infertur et privato cuilibet; et familiis; et societati tam religiosæ, quam civili.

In primis quidem *privatis* ingens ea lectio causat damnum; seu voluntatem, seu intellectum spectes. Manifestum hoc esse fateri statim cogetur, quisquis tantisper consideraverit gregem illum scriptorum modernorum; quorum, proh dolor! inaudito, ad secula nostra, exemplo, id velut officium esse intelligitur; ut mentem expugnata veritate, fallacibus opinionibus pervertant; voluntatem vero, eradicato omnis virtutis germine, vitiis et voluptatibus mancipent.

Duo igitur distinguendi perversorum librorum ordines : alii, scilicet, *irreligiosi;* alii vero *immorales* a potiori sui parte vel rectius a scopo denominantur; quamquam plerumque non ita in uno versentur genere; ut non etiam de alio participent : scripta impia plerumque omnis morum honestatis fundamenta submovent, et nonnumquam etiam passiones hominum in auxilium advocant; obscœni vero religionem fere pensi habent et contemptim tractant; quin et sæpe sæpius, data oppugnant opera; ut, extincto conscientiæ remorsu, certius finem attingant suum.

7 Auctores, 1°, *impii,* innumeros in dies libros, tractatus, discursus vel etiam breviores diariorum paragraphos (articles de gazette) in vulgus spargunt; quibus, velut facto agmine, irruunt in omne, quod aut natura aut religio sacrum esse voluit. Ab eorumdem assultibus nil immune servatur; non dogmata religionis seu positivæ, seu naturalis; non cultus sacer; multo minus religionis ministri, ordinesque religiosi; omnis auctoritas, non modo sacra et

[1] Cfr. Zaccaria L. II. Diss. I. C. II.

civilis; sed etiam paterna, venenatis eorum telis impetitur : modo vi aperta; modo clancularîis agunt artibus : modo zelum præferunt religionis; modo disciplinæ contra abusus vindices agere simulant; eruditionem ostentant; scientiarum, philosophiæ litterarumque lamentantur damna et provocare fingunt progressus [1]; nihil non agentes, quo eam, quam oderunt, fidem in animis legentium perdant, et erigentes se, ut ait Apostolorum princeps Petrus, *in magistros mendacissimos, qui introducunt sectas perditionis* [2].

« Fraudulenti isti sapientes, ait Pius VI, in celeberrimis litteris » encyclicis diei 25 Dec. 1775, tantam dogmatum perversitatem iis » verborum ac sententiarum lenociniis emolliunt et occultant; ut » infirmiores (qui plurimi sunt) quasi quadam esca capti, miseran- » dum in modum irretiti, aut fidem prorsus abjiciant aut certe la- » befactari magnopere sinant; dum quasi præclaram aliquam » scientiam consectantes aperiunt oculos, ad falsam eam lucem » hauriendam, ipsis tenebris deteriorem.... suo hi sermone *humi-* » *liter irrepunt, blande capiunt, molliter ligunt, latenter occidunt* [3]. »

« Opprimons la religion, disent-ils, avec sagesse et avec art, et » à une persécution ouverte substituons une guerre plus calculée » et plus savante.... en lui portant les coups les plus mortels, ca- » ressons la par de feintes louanges, de simulées concessions et » des offres hypocrites; proposons lui la paix et même une al- » liance; et si elle répond que la vie ne s'allie pas avec la mort; » Jésus-Christ avec Bélial; le ciel avec l'enfer; nous publierons » partout que c'est elle qui déclare la guerre, et que chaque in- » struction de ses ministres contre les mauvais livres est un vrai » manifeste ..... quand ils nous parleront de l'esprit de l'évangile » parlons leur de l'esprit du temps, qui ne peut plus rétrograder et » auquel il faut que tout cède [4]. »

[1] Vide *Synodici Belg.* t. II. p. 396. Instruct. past. ill. Humberti a Precipiano, Archiep. Mechl. laudatam speciali brevi Inn. XII. Justissime etiam ignobili huic scriptitantium turmæ applicari potest, quod, an. 1821, de duobus irreligiosorum agminum sec. XVIII. antesignanis, (Voltaire et Rousseau), scribebat ill. De Boulogne, Ep. Trecensis; « Ce ne sont point ici quel- » ques taches légères; quelques points de doctrine plus ou moins erronés; » quelques assertions plus ou moins téméraires, échappées à une plume in- » considérée : c'est un plan d'attaque, suivi avec autant de perfidie que d'au- » dace. » (*Instr. past. sur l'impression des mauvais livres, et notamment sur les œuvres compl. de Volt. et de Rouss.* éd. de Louv. p. 3.

[2] II Petri, c. II, 1.

[3] S. Leo M. serm. XVI. al. XV.

[4] Monseign. De Boulogne, évêque de Troyes, *Instr. past.* p. 35.

Videris plerosque sciolos seculi nostri, ait R. P. Deschamps, commendantes religionem nostram : expressas offerunt, quas mireris, Christi, Apostolorum Pontificumque imagines, et doctrinæ evangelicæ laudes eximias; verum hæc non ita accipias, volunt, quasi Christus dominus, Alpha et Omega, omnibus numeris perfectam tradiderit hominibus religionem : fuit illa perfecta quidem, aiunt, pro statu illo; ast continuo perfectibilis, pro conditione indefiniti, in rebus humanis, progressus; ad quem præ ceteris contulit Christus; cujus religio per duo pene annorum millia humano generi præsidio fuit. Præclaris encomiis, ait orator, quot non decipiuntur lectores! Laudibus capti fidenter legunt, et vix sero advertunt, quo, velut inscii, a fide fuerint abducti. (*Conférr. prêchées à la cath. de Liége, pendant l'avent de* 1843. *Confér. sur les abus de la presse et leurs remèdes,* p. 11 et seq.)

Quinimo vel ab ipsis scriptoribus qui philosophiam, scientias, historiam serio tractantes, religioni moribusve bellum, ex professo, ut dicunt, non intentant, maximum persæpe nocumentum privatis inferri certum habemus : tanta namque jam ab annis fuit auræ litterariæ, omniumque ferme scientiarum et eruditionis fontium infectio; ut plerique jam ex iisdem infecti, velut viva quædam veneni promptuaria, quaquaversum illud circumferant, et etiam nescii suis lucubrationibus instillent.

Alios videris auctores, quibus nulla in suis de argumento profano scriptis elabitur occasio; quin, pro placitis, alte sibi menti hærentibus, in religionem, cæremonias, et ministros altaris invehant, velut animis sedatis : transeunter et, quasi aliud agentes, perversa dogmata insinuant suis, quorum ipsos miseret simplicitatem et deceptionem, lectoribus.

Videris alios, qui quod ipsi incauti hauserunt venenum et incauti aliis distillant.

Alii tandem, pro ea, qua e seculi nostri genio, aguntur levitate ac temeritate, proprio suo judicio præfisi, velut ex quodam tripode, gravissimas de fide, moribusque quæstiones, quas ipsi extremis vix labiis degustarunt, tractant, pertractant; et quasi auctoritatem habentes resolvunt.

Atque hi omnes eo sæpe sunt magis damnosi; quo minus lectorum animos subit periculi suspicio; et quo confidentius magistris suis informandos se tradunt.

8 Consideratis modo scriptorum impiorum thechnis, ut amplius manifestum sit, quod ab iis imminet periculum; expendamus etiam lectorum, tam in intellectu, quam in voluntate, conditiones.

a) Ut capiamus, quam parum hodie plerique homines intellectum iis munitum præsidiis habeant; quæ lectionis discrimen avertant; operæ pretium est afferre, quas cl. Zaccaria, satis tamen severe, requirit conditiones, ut quis librum, religioni adversum, sine periculo, legat. Postulat itaque « Lectorem, qui valeat extri» care sophismata; discernere acuto critices judicio factorum veri» tatem; investigare citationum infidelitatem : qui sit profunde » doctus in metaphysica; solide eruditus in theologia; versatus in » lectione SS. Patrum : qui habeat animum exercitatum, in discri» minandis iis, quæ sunt rationis, ab iis, quæ sunt fidei; in distin» guendo jure ab abusibus, magisque adhuc a violentiis; in discer» nenda veritate a præjudiciis temporum, nationum, educationis, » partium, scholarumque: qui, doctus in jure naturali, et jure gen» tium, noverit fraudes eludere illorum, qui prætextu juris publici, » exornant et promovent iniquissimum quod dicunt *jus fortioris* » (droit du plus fort) : qui in historia litteraria minime peregrinus, » illico in Baylii deliramentis futiles deprehendat Manichæorum ra» tiunculas.... in argumentis Voltarii cavillationes hominis ethnici, » Celsi,.... : qui in systematis tot inimicorum primatus pontificii, » ecclesiasticæ libertatis, ordinumque religiosorum hospes, statim » ad lucem trahat M. Ant. De Dominis, Edmundi Richerii, Fra» Paolo, Marsilii Patavini, Guilielmi a s. amore paradoxa, millies jam » a controversistis nostris in nihilum redacta [1]. » Manifestum est, puto, verba laudata pensanti, istarum conditionum defectu, verum passim esse a scriptis impiis periculum. Istæne enim sunt conditiones eorum, qui passim hodie libros impios volvunt? Itane arbitrantur viri prudentes ac graves, qui seculi mores maturo judicio excutiunt? Itane, qui fidei morumque pericula, pro munere perspecta habent, parochi, et confessarii? Itane judicant, qui fidei deposito fideliter invigilant Antistites nostri?

b) Immo vero nedum ejusmodi conditiones adsint; norunt boni quique; quanta, jam a medio circiter seculo, invaluerit sacrosanctæ religionis nostræ oblivio et ignorantia. Quanta vero exinde fidei timenda sit pernicies; facile unusquisque perspiciet. Communem, puto, prudentum virorum sensum expressit auctor, cujus libellus mole quidem exiguus, at rebus gravis est, cum dixit : « Une *demi*» *science* en fait de religion, telle qu'elle existe souvent de nos » jours, ne saurait tenir contre le danger de ces livres qui attaquent » si perfidement la foi catholique. En effet, voyez de près ces ca-

[1] *Storia polem.* l. II. diss. I. c. III. n. 5.

» tholiques imprudents qui, pour se mettre au niveau de leur siècle, » lisent indifféremment toute espèce de productions littéraires. » Conservent-ils la foi intacte? Hélas! l'expérience nous force de » dire que mille préjugés contraires à la *doctrine*, à la *morale* ou à » la *discipline* de l'Église, faussent leur esprit, et dénaturent leur » foi. Cependant ils se croient encore très-bons catholiques; car » n'ayant pas assez d'instruction religieuse pour distinguer ce qui » est opposé aux vrais principes de la foi, ils sont bien loin de pen- » ser qu'ils sont dans l'erreur. »

« N'en soyons pas étonnés. Autre chose est de connaître sa reli- » gion, pour la pratiquer avec simplicité et soumission; et autre » chose de la connaître assez, pour discerner l'erreur et pour ne » pas se laisser tromper par une foule d'objections, présentées » souvent de la manière la plus astucieuse [1] »

c) Crescit vero discrimen ob eam, quæ reapse plerumque prava est, mentis dispositionem. Incredibilis, diebus nostris, invaluit judicii independentia, et in opinando levitas ac temeritas, eo etiam sæpe majores, quo minor est religionis cognitio. Accedit quod plerique, corrupta, jam ab annis, mundi litterati aura, plus minus sint infecti, etiam qui, religioni addicti, id ipsi minime suspicantur; quapropter et vice sua minus æqui habendi sunt veritatis æstimatores : haud vulgaris est animi, non moveri lectione assidua librorum; qui omni arte, educationis præjudicia corroborare et explicare adnituntur.

9 Nec minus periculum est, nostris potissimum diebus, a dispositionibus cordis, pro libris, in religionis damnum editis. Non est quidem passim intimus affectus a fide positive aversus; est tamen sæpe, plus minus, indifferens : exigit sæpe secreta passio, nonnumquam aperta modo corruptio; ut mens ideis Dei judicis, animæ immortalis, distinctionis boni malique exuatur. Prima fronte horret anima commentum tam nefandum. Interim insidiose et latenter proponitur; excitatur curiositas, ut in dogmatum inquiratur, non jam natales historicos, sed rationes intrinsecas; passionibus, quæ secreto titillari amant, adulantur scriptores et sensim præparatur ad incredulitatem animus. In alio genere : incautus quidam et vesanus politicus, qui totus in eo est, ut civilem, quoquo modo, extendat potestatem; ut ut primum detestetur principia Espenii aut Launoji, crude proposita; quomodo, cum præfata inclinatione, resistet deceptioni, dum per millenos anfractus, sub amœnis diei dicteriis

[1] *Les mauvais livres, les mauvais journaux et les romans.* 4me éd. p. 28.

involuta, proponuntur, quæ tantopere cordis propensioni consonant principia? [1]

Atque hæ quidem causæ sunt, quod, Pio IV, in bulla indicis confirmatoria, *Dominici gregis*, attestante, « Librorum ab hæreticis » editorum lectio non modo simpliciores homines corrumpere » soleat; verum sæpe doctos eruditosque in varios errores et a » veritate fidei catholicæ alienas opiniones inducere. »

10 Ut vero silentio transeamus, quæ nobis exempla suppetunt ex usu quotidiano mundi; tantum afferamus facta quædam magis famosa ex longa illa exemplorum serie, quam ad fastidium usque suppeditare posset historia ecclesiastica. Primis modo ecclesiæ seculis Bardesanes, olim pietate conspicuus, ubi quædam Valentinianorum legit volumina subversus fuit novæque sectæ institutor evasit. De Origene ait Bell. (de script. eccl.) : « Quamvis » doctissimus fuerit; deceptus tamen ex Platonis philosophia, in » multos errores incidit. » Eutyches, invictus antea Nestorianorum debellator, ad unam lectionem libri cujusdam Manichæi, pervertitur; et jam non post verba, sed post scripta sua magnam orientis partem trahit in errorem, qui etiamnum perseverat. Transeo Avitum, qui etiam monitus a S. Hieronymo, et munitus ea, quam simul legebat, refutatione, per scripta Origenis ; Julianum Halicarnassæum, qui per libros Valentini, Manetem aliosque, qui per alios libros ad hæreses pellecti fuere. Quid memorem recentius Henricum Bullingerum, doctorem catholicum, olim piissimum, ex lectione libri Melanchtonis seductum? Quid tot aliorum adducam exempla, quibus Paulus IV licentiam fecerat (utique quia et docti et pii, in ecclesia, viri) ut Lutherum impugnarent; quibusque eamdem subtrahere, funesti coegere exitus [2]? Quid Pium II [3], Gregorium XI [4], Urbanum VIII [5], qui similiter eas, quas concesserant, revocandas censuere gratias?

Quid tractus et regiones integras adducam, per libros a verâ religione avulsas, et per secula erroribus Wicleffi, Hussii, Lutheri et Calvini infectas [6]?

[1] Vide Zacc. l. II. diss. I. c. III.

[2] Per breve, scil. *Quia in funerum*, 1559

[3] Brevi *Cum pro munere*, 24 mart. 1564.

[4] *Apostolatus officium*, 3 dec. 1622.

[5] *Apostolatus officium*, 2 apr. 1631.

[6] Confer Zacc. l. II. diss. I. c. IV. S. Alph. de Lig. in diss. c. I. n. 5. *Instruct. past.* an. 1843, § 5. Ipsis atheorum scriptis, simul in irreligionis barathrum, et in omnem morum corruptelam, præcipitem recentius ruisse civitatem Londinensem, testis nobis est locupletissimus, qui seculo mox elapso, anno

Unde demum juventutis nostræ tanta independentia, et temeritas? Tanta in religionis negotio indifferentia et impietas? Tantus rerum personarumque sacrarum contemptus? Tantus denique auctoritatis omnis despectus? Malum prope est; et manibus teritur uniuscujusque nostrum : testantur id Pontifices, proclamant Antistites; propugnant sacri oratores et zelosi omnes religionis ministri : concinunt quotquot sunt in societate viri probi docti et integri; fatentur subinde ipsi adversarii nostri; produnt improbi eorumdem conatus. Sed de his satis. Liceat modo cum illustrissimis Belgii præsulibus hanc argumenti partem claudere sequentibus verbis : « Pouvons-nous donc ne pas trembler pour » les principes religieux de nos chères ouailles, quand nous » considérons que dans cette foule innombrable de productions » littéraires répandues par la presse belge sous toutes les formes, » *journaux*, *romans*, *revues*, *musées* ou *magasins*, *mémoires* et » *voyages*, les unes attaquent la divinité du Christianisme et » les preuves sur lesquelles il s'appuie, l'Écriture et la tradition, » la constitution de l'église catholique et la suprême autorité de » son auguste Chef, l'institution divine de l'auguste sacrifice de » la nouvelle loi et celle de la confession, en un mot tout ce qui » est *de foi catholique;* tandis que les autres, et c'est aujourd'hui » le plus grand nombre, vont saper les bases mêmes de toute » société, la spiritualité et l'immortalité de l'âme, le dogme de la » Providence, et jusqu'à la Divinité, qu'ils transforment en un » être monstrueux, tout à la fois esprit et matière, temps et éter- » nité, sainteté et crime?

» Comment la masse des lecteurs, qui se compose toujours de » personnes peu instruites dans la religion, démêlera-t-elle les » sophismes de l'impiété adroitement délayés dans une intrigue, » dans une aventure romanesque, dans un dialogue ou dans une » correspondance, et présentés avec l'assaisonnement obligé du » sarcasme, du persiflage, parfois même d'un zèle hypocrite pour » la religion? Comment saura-t-elle se retrouver à travers les mille » déclamations contre le S^t^-Siége, les incessantes accusations

scil. 1730. Pseudo-episcopus Londinensis, in tribus epistolis pastoralibus de atheorum libris scribebat : « Quoniam delectat novitas et exigua est religionis » instructio; inclinatio vero ad pravitatem nimia; non est mirum, si libri » hujusmodi spiritum et corda pervertunt.... hinc vere dici potest, magnam » hanc civitatem (Londinensem) numquam eo usque fuisse depravatam, » sicut est hodie. » (Edm. Gilson in epistolis, an. 1730, datis contra libros atheorum.)

» d'ambition, d'avarice, d'ignorance, lancées contre le clergé [1], » les prodigieuses exagérations de tout ce qu'ils appellent *abus* des » choses saintes, les travestissements de l'histoire et les calomnies, » les mensonges, dont regorgent ces ouvrages? Non, la foule des » lecteurs ne s'y retrouvera pas. Catholique et attachée à la foi en » commençant ces lectures, elle ne les aura pas achevées, que déjà » elle répétera machinalement les erreurs et les préjugés dont elle » se sera imbibée. Ces déplorables effets se voient tous les jours; » partout où pénètrent les mauvais livres, la foi s'affaiblit ou » s'éteint dans les cœurs [2]. »

11 *Funesti effectus respectu individuorum* 2° *a libris obscœnis.* At vero adhuc magis exitiosum est, quod hodie lectoribus propinatur venenum ab auctoribus obscœnis; quorum nomine veniunt præsertim, qui in theatri usum comœdias fingunt aut tragœdias; et qui soluta oratione libros amoribus lasciviisque plenos in vulgus spargunt. Singularis illis est styli fallacia, et ornatus fascinatio : abblandiuntur præsertim juventuti, teneræ quid suadent indulgendum ætati; sensim ipsam religionem morumque legem, a natura animis insertam, convellere nituntur. « Quels que soient les détails, inquiunt » ill. Belgii Præsules, dont se composent les productions littéraires en vogue, une seule pensée a présidé à leur composition, » celle d'établir le règne des sens sur les ruines de la raison et de » la religion. Une imagination prodigieusement gâtée y fait à » l'âme une plaie profonde par les sens; c'est partout la frénésie » des sens; ce sont, sous les noms d'intrigue, d'amour, de passion, » les cris honteux d'une nature déréglée. Voilà l'amorce à laquelle » la plupart des lecteurs se laissent prendre; car *les sens de l'homme*

[1] Qua ratione fere invincibiliter his fraudibus suos lectores circumveniant religionis hostes, in suo documento quadragesimali, an. 1845, p. 380, optime exponit ill. Episcopus Leodiensis, his verbis : « Il faut bien le dire, ce qu'on » lit tous les jours contre lui (le clergé) sans aucun moyen de démêler le vrai » du faux, la fiction de la réalité, laisse infailliblement, dans les esprits » même droits, un pénible sentiment de suspicion vague, qui détruit la con- » fiance, diminue le respect et prédispose, dans les moindres occasions, à un » sentiment plus hostile, à des jugements téméraires, à des procédés peu » bienveillants, ainsi que l'expérience de tous les jours le prouve. »

« Défiez-vous donc, messieurs, disait naguères Monseign. l'évêque d'An- » gers, de ces hommes... qui veulent soulever les agneaux contre les brebis, » et les brebis contre les pasteurs; qui veulent confondre les rangs, afin de » troubler le bel ordre, qui fait notre force; qui élèvent des soupçons sur les » intentions bienveillantes des chefs, pour désunir ceux qui marchent sous » leurs bannières. » *Journal hist.* t. XII, 277.

[2] *Instr. past.* § 5.

» *et les désirs de son cœur*, dit l'Écriture, *sont portés au mal depuis son* » *adolescence;* et voici la profondeur de l'abîme où les entraînent » ces coupables auteurs qui spéculent sur la faiblesse et la corrup- » tion humaines. Voulant s'assurer de leurs victimes, et empêcher » les remords de venir interrompre la lecture des honteuses élu- » cubrations, dont ils se font un moyen de fortune, ils sèment, au » milieu des peintures qui enflamment les sens, ces doctrines » dévastatrices qui, en ôtant à l'homme tout frein, le livrent sans » défense à toute la corruption de son cœur [1]. »

« Nous y sommes arrivés disait naguères en 1821 Monseign. de » Boulogne, à cette fatale époque; où tous les principes moraux » vont être renversés.... où le vice seul croit avoir le droit de par- » donner, et où la vertu seule a besoin d'excuse; où tous les » devoirs sont mis au rang des problèmes et toutes les vertus au » rang des préjugés; où tous les hommes sont mis à la place des » principes, où la justice est appelée vengeance, et la défense de la » vérité un esprit de parti; où l'indifférence se dit impartialité; où » le mépris de tout est appelé tolérance, où la modération est » toujours recommandée pour les devoirs et les saintes règles; » jamais pour les désirs et les passions. » Singulas partes qui fue- rit meditatus, singularum quoque diebus nostris stupebit prædic- tionum adimpletionem!!

Librum immoralem comparat orator celeberrimus ævi nostri corruptori funestissimo : « Primum quidem blandus est, inquit, et » amœnus;.... at brevi impudens, ruborem non novit, nec gradum » sistet ubi hominem etiam corruptissimum retinuisset pudor : » nihil est quod eum absterreat, ne ad ultimam usque impuri, quo » scatet, veneni guttam effundat : corruptor est quem audivisse » nullum est dedecus, quia solus agit cum solo; corruptor qui au- » ditur in otio, etc [2]. »

Immo nisi jam prævie concupiscentiæ morbo corrupti essent, inquit auctor librorum *de vita contempl.*, qui Prospero tribuuntur, « numquam vel loquerentur talia, vel audirent; quia non eos ista

[1] *Instr. past.* § v. Confer. et concionem card. Joannis Henrici à Franckenberg, anno 1773. habitam, contra pravorum librorum ingluviem : ibidem p. 12 et seqq.; describit, quibus artibus auctores seducant lectores suos; dum scelestos quosque inducunt heroes, ut infelices nimium et commiseratione nostra dignos; quo primum vitia excusentur; quæ tandem etiam probanda inverecundi proponent. (Exstat in bibl. Lov. sub titulo : *Joannis Henr., archiep. Mech., concilia et decreta*).

[2] Maccarthy. Sermon *sur les funestes effets des mauvais livres.*

corrumpunt, sed corruptos ostendunt [1]. » Qui, scilicet studiose ista legunt, antea corrupti, magis indies corrumpuntur; qui vero incaute legunt prima exinde corruptionis trahunt germina.

Nec secus scriptores profani. Inprimis Lud. Vives, l. 2, *De corruptis disciplinis*, in fine, sic ait : « Libri sunt ab hominibus otiosis » conficti.... tantum ad inanem quamdam et præsentem titillatio- » nem voluptatis; quos legunt tamen homines corruptis ingeniis ab » otio, atque indulgentia quadam sui. » Impius Bayle, ad verbum (*Guarin ou Guarini*) inducit d^m^ Delafontaine, qui accusatus quod lascivis suis poematis turpes excitaret passiones, vindicabat sese, dicendo : puellas nihil quidquam fore passuras ex lectione versuum suorum, modo amasios repellerent. At reponit ipse Bayle. « Cette réponse sent le sophiste; car elle demande une condition, » que le livre même, dont on se plaint, rend très-mal-aisée à pra- » tiquer. Vous voulez, que nous lisions votre livre, et que nous » chassions les soupirans ; vous êtes injuste, d'exiger cela; puis- » que vos poésies nous ôtent la force de chasser nos soupirans. » Elles nous remplissent d'amour; elles nous échauffent; elles nous » embrasent; elles nous font souhaiter violemment la présence de » ces Messieurs : vous avez bonne grâce après cela, de nous dire; » que, pourvu que nous les chassions il ne nous arrivera rien de » fâcheux.... lors même que l'on chasseroit les soupirans on se » trouveroit exposé à plusieurs passions impures excitées par la » lecture de ses contes.... il ne laisserait pas d'être vrai, que la » lecture de certains livres est très-pernicieuse aux jeunes gens. »

Ipse etiam Lutherus, utut fœdissimus moribus, veritati testimonium fert, decens : « Necessarium est, ut libri Juvenalis, Mar- » tialis, Catulli, et Priapea Virgilii ex omnibus locis et scholis ex- » terminentur; quia tam turpia et abscœna scribunt; ut sine magno » detrimento juventutis non possint legi [2] » et ne immoremur producendis, quorum verba et citata loca alibi reperire est, auctoribus; numquid non ipsi pagani Romanorum Imperatores in libros immorales, et lubricos eorumdem auctores animadvertendum censuerunt? Numquid Cæsar Augustus, ne Romana respublica per elegantissimi istius poetæ, Ovidii, *de amore* libros, detrimenti quid caperet et libros proscripsit et auctorem eorum in exilium amandavit? Immo ipse ille poeta (in quo, recentiori ævo plures habuit imitatores, qui experientia docti, amare fleverunt, quæ juniores obscœne conscripserant [3]) testatur Saphphonis et Anacreontis poemata non esse ejus genii; ut

[1] L. III. c. VI.

[2] Tit. de doctis.

[3] Vide inter alios auctorem opusc. *le théâtre*, p. 18 et seqq.

homines meliores reddant, et propria damnat, quæ in eodem genere peccare fatetur, scripta. [1] Ingenue J. J. Rousseauvius, ipse scriptorum obscœnorum antesignanus, fronti libri sui *La nouvelle Héloïse*, inscripsit : *La femme qui lira ce livre, est une femme perdue;* filiæque ipse suæ paterni operis lectionem severe interdixit. Tam de suis, nempe, operibus, quam de aliorum ejusdem scholæ auctorum, verum esse intelligebat, quod idem scripsit de comico Molière : « Le théâtre de ce même Molière, dont je suis plus l'admi» rateur, que personne, (est) une école de vices et de mauvaises » mœurs, plus dangereuse que les livres mêmes, où l'on fait pro» fession de les enseigner. Son plus grand soin est de tourner la » bonté et la simplicité en ridicule et de mettre la ruse et le men» songe du parti pour lequel on prend intérêt..... L'honneur des » applaudissements rarement pour le plus estimable, est presque » toujours pour le plus adroit. Il tourne en dérision les respecta» bles droits des pères sur leurs enfants, des maris sur leurs » femmes, des maîtres sur leurs serviteurs. Il fait rire, il est vrai, » et n'en devient que plus coupable, en forçant *par un charme* » *invincible les sages mêmes,* de se prêter à des railleries, qui de» vraient attirer leur indignation. J'entends dire qu'il attaque les » vices; mais je voudrais bien que l'on comparat ceux qu'il at» taque avec ceux qu'il favorise. »

Neque mira videatur ista quorumdum confessio; cum ipsa natura clamet scelus esse imprimere, quod pudor vetat dicere; aut legere, quod verecundia prohibet audire; tractare in secreto, quæ honestus quisque ruberet tractare in publico.

12 Est vero ridiculum in desperatæ causæ patrocinium adducere illud Justi Lipsii : *urbanitate capior,..... non adhæreo* [2]. Quod enim verum esse potuit in casu particulari, respectu viri gravis et ætate provecti, in libro forte non ita obscœno, adferri non potest in favorem librorum, quos ipsa dictasse videtur luxuria, et contra periculum commune juventutis, incautæ, quia periculi ignara, et

[1] « Eloquar invitus tenores ne tange poetas; summoveo dotes impius ipse » meas. (et enumeratis Saphphone, Anacreonte, Tibullo.... addit. Et mea, » nescio quid, carmina tale sonant. » *De remedio amoris*, l. II.

[2] Epistolarum, l. III. epist. 2. Cum in tribus diversis J. Lipsii epistolarum exemplaribus frustra horum verborum contextum quæsierim; dubium subit vitiosæ aut mendosæ citationis : Interim ad illa, qualia apud plures nobis legentur objecta, respondendum duximus; non quasi pro auctoritate tanti viri; quæ, etiamsi jure invocaretur, plane evanesceret, ubi revelationis, traditionis et communis hominum sensus obstaret dictamini; sed pro simili, quæ sæpius a levioribus mundanis prætexitur, excusatione.

inexperta infirmæ quoque, quia passionum æstibus adusta. Enimvero adsunt qui de communi legentium periculo testentur, ipsi, quum ad meliorem frugem redierunt, librorum obscœnorum auctores, confitentes rei; adsunt judicum sententiæ, adsunt tribunalium documenta; adsunt testes locupletissimi et de falsi crimine nullatenus suspecti, ipsi, scilicet, diariorum maxime lubricorum auctores [1]. Horum namque omnium una vox est; e perversorum librorum fœtoribus quæcumque pullulare crimina; invidias, zelotypias, adulteria, incestus, furta, discordias, homicidia, suicidia, regicidia..... Huc nempe provocant passiones, quas excitant hujuscemodi scripta; huc doctrinæ quas inculcant; huc impellunt tot imagines, veluti virorum fortium aut matronarum honestarum puellarumve infelicium, quos casus aut infortunium ad crimen adegit, lectoribus ad intuendum admirandumque propositæ; quasi turpissima quæque aut crudelissima scelera naturæ potius aut fortunæ forent peccata; quam culpabiles voluntatis humanæ prævaricationes.

Nec mirum videatur, librorum lectionem effectus sæpe producere tam horrendos; quas enim supra descripsimus, etiam hic in auxilium advocantur artes et fallaciæ; fragilitas vero et malitia cordis humani, quod ad malum pronum est, hoc præsertim loco viam scriptoribus præbet planam accessumque facilem ac amicum. Est enim, ut vere anthropologia docet [2], et sui quemque monet experientia, est homo, natura sua, aliorum imitator; ut non nisi magna adhibita violentia, quæ, in tanta naturæ corruptione, paucorum est, ab iis abstineat; quæ, etiam ratione reprobante, assiduo visu frequentat ac auditu. Atque hinc est, ait cl. Descuret [3], quod actionum scenicarum spectandarum librorumque romanensium legendorum consuetudo ultra, quam credi possit, noxias quasque excitet passiones, non minus in damnum valetudinis corporalis, quam in triste morum naufragium facultatumque animæ exstinctionem.

13. Verum non in morum honestate expugnanda sistunt, qui ex nauseabundis suis conscriptionibus quæstum sectantur; non sibi lucrum in tuto satis æstimant; nec lectorum passiones

[1] Voyez la *Nouvelle Revue de Brux.*, an 1843, mois d'avril, p. 1, où l'on cite les *Guêpes* d'Alph. Karr, le *Journal des Débats*, le *Constitutionnel*, le *National*... tous journaux que personne ne soupçonnera d'une morale trop sévère : la *Gazette des Tribunaux*, la *Gazette de France*....

[2] Cfr. cl. Ubaghs, *Précis d'anthropologie psychologique*, n. 382.

[3] *La médecine des passions*, 1re P. ch. IV.

avaritiæ suæ sat firmiter devinctas tenent; nisi, subversis fidei dogmatis, ipsum omnis honestatis et virtutis germen e cordibus illorum eradicaverint [1] : sunt enim, quod supra, n. 6, de perversis libris in genere jam monebam et nus 9 de libris impiis palam faciebat, pariter et libri obscœni veri gladii ancipites, utraque acie sævientes, una quidem morum honestatem, altera fidem in corde legentis impetentes. Quantum vero hic fidei sit periculum; docent nos quæ sub oculis nostris indies conspicimus viva juventutis exempla. « Quære, inquiebat orator modernus, cujus verba » latina facio, quære ex juvene illo, qui impietatem perfricta » fronte profitetur..... ubinam ergo didicisti veritates divinas » suggillare; et in risum vertere quidquid omnium habet venera- » tionem, quidquid est sacrum? Parentes tibi sunt tam pii, edu- » catio tua commissa curis tam sedulis et tam probis; vix egressus » es ab oculis eorum, qui tanta cum sollicitudine ad omnem pro- » bitatem, simul et ad litterarum cognitionem informabant; ubi- » nam ergo impietatem modo es edoctus?.... Quid? Quia legisti » unum librum obscœnum? Quid? Una historiuncula voluptuosa et » effrenis! et en te jam incredulum et statuto decreto impium! » [2]. Idem quærere licet ex tot juvenibus spei olim optimæ, quos incauta lectio pellexit, paullatimque ab avitæ religionis dogmatis abduxit. Quærere et licet ex tot vanis sequioris sexus personis, quæ frivolis similiter lectionibus deditæ, tam leviter quam ridicule theologos agunt ac philosophos; et idem continuo in fronte legeris responsum : ex quo liber aliquis phantasiam movit, ejus quoque dogmata plenis amplexæ sunt ulnis; simul ac vero imbutæ fuere cavillis ejus, et ipsæ scire aliquid putarunt, quo simpliciorum fidem exagitarent.

Quæ cum ita sint; manifestum arbitror, libros tam obscœnos, quam impios, ipso plerumque naturæ jure, esse vitandos; et, pro communi particularium discrimine, jure etiam positivo notandos ac prohibendos esse; ne temerarius quis aut incautus, in exitium ruat.

14 Porro cum familia et societas civilis ac religiosa ex individuis

[1] Hæc quidem ipsis incumbit necessitas: verum tam pro sua, qui religionem vix per infideles hostium nostrorum descriptiones, verius dixerim, adulterationes edocti fuerunt, quam pro lectorum, qui sensuum totos, sese immerserunt oblectamentis, conditione, hic nihil offendas, quod scientiam prodat aut eruditionem : hoc unum; per dicteria et jocos religionem in legentium animis deprimunt ac perdunt.

[2] M. Beauregard, sermon inédit, prêché à la cour de Louis XVI, *sur les mauvais livres.*

coalescant, sponte fluit; quam grave illis vulnus inferatur a pravis libris; eo ipso, quod respectu particularium tam nocivi existant. Et vero quis, impiissimus licet et corruptissimus, familiam sibi velit, quis statum; e quibus omnis exsulet religio [1]; bonorumque morum principium omne? Ad hanc tamen omnis nequitiæ abyssum recta, unus post alium, ex se ducunt et propellunt illi, quos impugnamus, perversi libri; ac consequenter hostes habendi sunt gravissimi non minus omnis societatis, quam hominum privatorum.

Verum quantopere omni communi bono immineant prava illa scripta; longe clarius apparebit consideranti singularum societatum naturam et leges; prosperitatisque earum conditiones.

Imprimis familiarum felicitas requirit; ut conjuges, sicut sunt una caro, sic et unus sint spiritus; ut mutuos ferant vel potius, pia simplicitate, ignorent defectus; ut maritus uxorem diligat et foveat ut carnem suam; uxor vero virum revereatur, eique serviat, quasi domino; ut parentes proles suas ament, ad omne bonum instituant, filios ad iram non provocent; filii vero honore, obedientia, obsequio subsidioque parentes prosequantur; ut heri, memores servos et mancipia, ejusdem secum esse naturæ, ejusdemque creatoris sui, filios, in charitate et mansuetudine iisdem præsint et imperent, remittentes minas; famuli vero, non ad oculum servientes, obediant præpositis suis, sincere et ex corde; eum, cujus vivam exhibent imaginem, Dominum in eis venerantes et diligentes. [2] Hæc vero omnia sola religio docet *cum energia auctoritate et efficacia* [3] : quicumque ergo liber religionem impetit una societatis domesticæ sacratissima perfringit vincula, pacem turbat, concordiam vellit, omnemque membrorum inter se necessitudinem dissolvit. Neque dici potest quod eadem illa officia noverit quoque et præscribat recta ratio : constat enim quid recta ista ratio, neglecto religionis præsidio efficiat. Quid erat familia apud Romanos ante Christum? (vide Troplong). Quid etiam nunc iis in regionibus, quas doctrina Christi non illuminat? Quin

[1] Juverit hic lectorum remittere ad opusculum, nuper editum, sub titulo : *De l'influence du christianisme sur le droit civil des Romains*, auctore Troplong : in priore illius parte licebit contueri; quam salubris fuerit evangelicæ doctrinæ in societatem civilem, in genere spectatam, influxus : in posteriori vero mirabitur legens; quæ ex sacrosancta religione nostra in familias dimanarint commoda; et indignabitur, puto, tot ingratos scriptores eam toto conatu velle eversam, a qua tanta salus et felicitas nostra.

[2] V. ad Coloss. c. III et alia script. loca; præsertim epist. d. Pauli, passim. Vide Troplong, op. cit. et *les mauvais livres*, p. 43.

et in ipso Christianismo, nunc quo magis ab ecclesiæ catholicæ centro receditur; eo quoque magis familiarum vincula dissolvuntur [1]?

15 Libri pariter, quos *immorales* dicimus, felicitatem domesticam funditus evertere nituntur. Alii blandiuntur juventuti, cujus lascivias infirmitatis facetiæque nomine cohonestant; naturæ nostræ fragilitatem dolent, qua resistere passionibus vix possimus; ut tantum crimen esse non possit, cedere necessitati; saltem dissimulandum cum juvenibus, clamant, quod in iis corrigere nefas est; hac vel simili ratione, parata sibi, prout res patitur, via, aperte fœdarum voluptatum ignem excitant. Alii adulterinos conjugatorum contuitus et familiaritates honestatis nomine decorant; apud conjuges compartium mores odiose traducunt; affectus alio defigunt; et in vinculi conjugalis natales inquirere fingentes, iis qui damnabilis ejusmodi doctrinæ capaces sunt, nullam, a natura, mulieri dependentiam impositam clamant. Alii prolium in parentes obligationes labefactant, superbum de parentum simplicitate supercilium commiserationemque progressus societatis felix esse germen pronuntiant. Famulos opificesque, natura dominis æquales, solo horum fastu, illorum vero pusillanimitate inferiores docent; omnem prælationem odiosam, omneque obsequium intolerabile faciunt: his aliisque variis varii modis familias dividunt; proles a parentibus, uxores a viris, servos a dominis separant. Singulis familiarum membris, pro sua cujusque fragilitate, insidias struunt, et quos, aperto marte, vincere nequeunt, clanculariis artibus captivos ducunt. [2] Quæ vero ex similibus principiis invalescere debeant familiarum dissensiones, quæ scandala subversionesque, nemo non videt.

16 Neque minora societati *civili* nocumenta inferuntur a libris religionis bonorumque morum eversivis: quænam etenim societas concipi potest religione sanisque morum principiis destituta?

[1] Cum hic non sit locus latius de hac materia disserendi: confer historias ecclesiæ schismaticæ in oriente; et earum regionum, quas recentius hæreses sec XVI invaserunt; et vel pauca quædam in memoriam revoca pseudo-reformationis dogmata: abrogata matrimonii sacramentum vinculumque indissolubile; missum ob prætensam nubendi necessitatem cœlibatum; sublatum liberum arbitrium..... Si libeat, adeas et litteras missionnariorum apud infideles, et gloriare, si tibi frons est, de ea, quam recta ratio eos docuit opinandi vivendique ratione. (Collectæ prodeunt eæ litteræ sub titulo: *Annales de la propagation de la foi.*)

[2] Confer. *Instr. past.* 1843. § 5. ubi graphice depinguntur, quæ, in singulis familiarum membris, dicti libri producunt mala.

Numquid enim religio est, quæ ipsum hominis societatisque nos finem docet? Quæ recte vivendi regulas tradit? Numquid ipsa nos docet scientiam politicam non esse mysterium iniquitatis aut artem opprimendi populos ac decipiendi reges? Numquid ipsa subditis obedientiam et subjectionem inculcat? Generositatem fortitudinemque animis inserit? Numquid ipsa sola cum auctoritate magistratibus præscribit, populos gubernare ad ipsorum subditorum felicitatem, et quas ad amussim principes sequantur, imponit summæ æquitatis, omnisque humanitatis regulas? Numquid non ipsa causam corruptionis humanæ indicat; perversitatis progressum notat et remedia commonstrat atque suppeditat? Numquid non hæc ipsa sunt omnis societatis, recte instituendæ, prima elementa; ad quæ plus minus allucinati sunt, quicumque ab initio cum laude mundum gubernarunt? Hæc ipsa nobis exhibet religio a protoparentibus nostris in nucleo accepta [1], serius quidem magis evoluta et traditione populorum per orbem dispersa; ipsius tamen sinu religiosius custodita et fidelius tradita. Quotquot ergo libri hæc elementa aut sacrosanctam, quæ eadem proponit et sanctione munit, religionem impetunt, simul ipsius societatis fundamenta convellant, necesse est; atque adeo vel ob ipsius societatis civilis bonum ab omni hominum commercio amandari, penitusque exterminari debere, non est ambigendum.

Neque dissentiebat, recentiori ævo, Genevensis philosophus, de arte typographica scribens : « Ex stupendis, quæ jam in Europa » ars typographica progenuit, malis, et ex festino malorum pro» gressu prævidere licet; principes brevi ducturos, in damnum » suum, funestam illam imprimendi artem in regna sua se intro» duxisse [2]. » Nec mirum adeo videri debet; cum idem, utut impius obscœnusque philosophus religionem tam necessariam duxerit, civili solidandæ societati; ut in ea, quam fingebat, constitutione, primas illi daret; idque cum obligatione ut « ei quisque fidem » adhiberet, secus e republica pellendus; utque vitam ei confor» maret, sub pœna capitis, ob gravissimum, quod admisisset, delic» tum. » Quo circa idem, qui hæc refert [3], ill. Præsul Trecensis

[1] Cum, scil., Deus *mandavit illis unicuique de proximo suo.* (Eccl. XVIII). Enimvero tunc etiam Adamo, in rectorem primum humanæ societatis instituto, communicavit Deus necessaria rectæ gubernationis principia « Primus » homo, inquit s. Thomas, etiam institutus est in statu perfecto, quantum » ad animam; ut statim posset alios instruere et gubernare. » 1 P. q. 94. a 3.

[2] In disc. laureato ab academia Divionensi. Ed. Genev. p. 44.

[3] *Instr. past. sur l'impression des mauvais livres*, p. 15.

(p. 14) oportune observat : « La gloire de Rome ne s'éclipsa que » quand l'impiété prévalut, et qu'avec la liberté de tout écrire, na- » quit celle de tout oser. Alors la ville éternelle tomba. Elle avait » résisté aux plus formidables armées... ! »

Pone tolli in aliquo regno dogma Numinis omniscii, a quo remunerentur boni debitisque mali suppliciis afficiantur : quis quæso in imperantibus et judicantibus injustas oppressiones et tyrannidem cohibebit ? Quis subditis debitam inculcabit subjectionem, legumque urgebit observantiam? An forte altera pars debito alteram continebit officio ? At numquid semper, quæ sibi adversantur partes, nisi superiori quodam imperio constrictæ teneantur, mutuas aggressiones per novos ac graviores excessus corrigere adnitentur; et ipsa, quibus medium quæritur, mala in societatis perniciem novis malis cumulabuntur? Pone, tolli e quadam republica communem persuasionem de distinctione boni et mali, justi et injusti; quid putas, eveniet? Sufficientne leges et judices et lictores civibus pacem, securitatem et prosperitatem procurare? Justitiam tueri in pactionibus; æquitatem in relationibus; mutuum obtinere in calamitatibus subsidium? Non sanus quisquam asseveret : norunt enim omnes, vehementiorem esse hominis ad bona visibilia propensionem; quam ut motivis mere humanis intra debitos passim possit retineri limites.

Plurima sunt, quæ rempublicam inficiunt, immo lenta tabe conficiunt, mala; quæ tamen legislator aut ignorat aut tolerare cogitur; quibusque religio efficax afferre remedium sola potest : qualia sunt fraudes secretæ, crimina occulta, privata pleraque in familiis scandala et flagitia ; otium et quæ inde scaturiunt mala.... ; sexcenta alia, quæ ea fere ingravescunt proportione, qua religionis sensus exstinguitur [1].

Passiones vero, quarum habenas laxant scripta obscœna, non minus omnem societatem enervare, certum est. « Dès que ces » grandes familles, dit Mr Descuret, (en résumant ce qu'il a établi » dans le corps de son ouvrage par des faits et des observations) » dès que ces grandes familles ont brisé les liens, qui faisaient » leur force; alors que chaque individu, érigeant en loi ses propres » doctrines, se fait une religion de l'égoisme, de l'intempérance, » du luxe et de la cupidité; on peut infailliblement annoncer leur » dissolution prochaine ou leur retour à la barbarie [2]. »

[1] Vide ill. Frayssinous, *Conf. les principes religieux, fondement de la société* et conf. *Nécessité de la religion pour le bien public.*

[2] *La Médecine des Passions*, 3me éd. p. 442.

Rationi hic quoque adstipulatur auctoritas : teste enim, quem divinum aiunt, Platone, qui convellit religionem ipsa quoque societatis convellit fundamenta [1]. Cicero non minus expresse loquitur, l. II. Quæst. Tusc. de levioribus poetis ita disserens : « Lamentantes » inducunt fortissimos viros, molliunt animos nostros, nervos om- » nis virtutis elidunt. Recte igitur a Platone educuntur ex ea civi- » tate, quam finxit ille. » Quod Cicero de poetis illis, id eodem jure de quibuscumque, qui bonos mores offendunt, scriptoribus dicendum, nemo non videt.

Huic porro gravissimo argumento suffragatur, quod infra, in argumento historico, visuri sumus ; nationes hæreticas et paganas libros religioni suæ adversos continuo proscripsisse ; cum istæ quidem hac fere de causa libros profligarent ; quod, iis non amotis, salvam stare non posse rempublicam arbitrarentur [2].

17 Vidimus modo, quam per effectus suos funesta sint societati civili, quæ religionem morumque honestatem corrumpunt scripta : verum etiam *directe* cuncta societatis recte institutæ elementa expugnare non desistunt perversi illi libri : alii principibus adulantes, potestatem amplificant tyrannicam in gravamen populorum : plures ambitiosorum typhum inflant ; quo sibi regiminis capescendi viam per fas et nefas aperiant : apud divites charitatem et misericordiam in pauperes et miseros exstinguunt : subditis alii suadent, natura et dignitate primoribus ipsos æquari ; sola aliorum injuria, propriaque imbecillitate, inferiores eos esse : erga divites et potentes odium conflant ac invidiam ; dum eos exhibent avaros, crudeles, fraudulentos, oppressores, his aliisque modis cupiditatem plebis excitant ; turbas, seditiones cient.... [3] Omnibus inculcant æstima-

[1] L. X. de leg.

[2] Cfr. Balmes : *Le catholicisme comparé au protestantisme*, ch. LII. Item ill. Cornelii, Ep. Leodiensis : *Examen des faits et des doctrines consignés dans le rapport adopté par le conseil comm. de Liége*, p. 50 ; Scotti, *Théorèmes de politique chrétienne*, 1re P. 1r théor.

[3] Funestissimam hanc, pro societate civili, theatri moderni technam severis verbis modo comitiis publicis Galliæ denunciabat d. Fulchiron : « C'est » l'attaque constante contre l'ordre social ; ils représentent constamment les » classes élevées de la société comme ennemies de la nation, comme oppres- » sives, comme immorales.... Qu'arrive t-il ? C'est que le peuple, les classes » humbles, privées d'éducation, accourent à ces spectacles et se nourrissent » de ces idées immorales et perturbatrices de l'ordre social. De là vient en » partie cette haine profonde, qui n'est pas naturelle au cœur du pauvre, » mais qu'on lui inspire par l'avidité de mauvais et de honteux succès scé- » niques. » (*Journ. de Brux.* 1847, n. 212.) Assertionem confirmat auctor

tionem et amorem perditum hujus seculi; quasi extrema hominis felicitas sit in deliciis versari : docent, quod finis excuset media et adeo quod nihil sit natura malum, modo utile, et salva consistat respublica, dum ejusmodi libri simpliciorum animos informant; nec minus eos, qui studiosius ad humanitatem instituuntur, quique, post brevem annorum seriem, omnis societatis civilis cardines sunt morturi, in juventute pascunt et in provectiori detinent ætate?

18 Quam vero prædicti libri exitiosi existant ipsi religioni societatique religiosæ, et per se manifestum est et jam in præcedentibus satis fuit dictum : cum nempe recta fidem moresque (quæ duæ sunt religionis partes intimæ ac essentiales) oppugnent; nemo non videt; quod ipsam religionem funditus convellere, propositum sibi habeant istorum scriptorum auctores. Quapropter huic argumento amplius evolvendo, diutius non videtur immorandum.

19 Concludamus igitur, perversorum scriptorum auctores tot esse nequissimos latrones; qui uno ictu quatuor simul crimina machinantur, in homines privatos, familiam, statum civilem et ecclesiam commissa; ea vero ideo magis damnanda, quod non vitam petant corporis, sed animæ; quod non in privatos quosque, sed in familias integras, in gentes et regna et in ipsam ecclesiam mortifera tela contorqueant : vias publicas obsident illi; latenter occidunt, ex insidiis prosilientes; immo parricidarum instar in eas ipsas, quæ sinu illos exceperunt et confoveruntsuo, patriam et ecclesiam debacchantes, crudeliter nimis desæviunt. « Quando demum, » inquit cl. Maccarthy, spiritus ille irreligionis et immoralitatis, » quem libri illi toti spirant et communicant, dominatum obtinue-

nostras, operibus dramaticis d. Victoris Hugo eumdem hunc finem, omnis societatis eversivum, assignans his verbis : « Quel but s'est proposé le poète?... » quel résultat a-t-il espéré de ses efforts et de ses veilles?... Abaisser tout » ce qui s'élève, avilir tout ce qui est grand, aduler les passions populaires, » conspuer les institutions qu'entoure encore la vénération des peuples. » (*Revue cath.* t. 2. p. 461.) Quod vero ille probat de scriptis d. Victoris Hugo, de aliorum quoque modernorum auctorum dramatis passim dici debere, ex ea quam mox daturi sumus, similium nonnullarum lucubrationum notitia, colligere licebit. Gratulari quidem licet nobis Belgis, quod iste saltem generatim plebem nondum invaserit spiritus; merito tamen timorem nobis incutere debent, quæ sæpius nuntiantur scenæ, in theatris nostris exhibendæ, ultra omnem modum scandalosæ; de quibus auctor modernus testatur dicens : « Les pièces que la censure française, malgré toute sa » complaisance, repousse comme immorales et funestes, viennent impuné- » ment s'étaler sur les théâtres belges. » D. Thonissen, ib., p. 463.

» rit in omnes ordines; in eos qui imperant, sicut in eos qui obe-
» diunt; in eos qui condunt leges et interpretantur, sicut in eos qui
» parent, quid, quæso obstabit; ne relabamur in horrendam illam
» anarchiam moralem, religiosam et politicam, quæ, etc. [1] » Manifestum est ergo libros tam funestos vitari debere; et ab iis, qui societatis curam habent, notandos esse ac prohibendos.

20 Interest quoque quam plurimum rei litterariæ, bonarum artium, philosophiæ, scientiarum naturalium et studiorum historicorum; ut libri, religionis morumque subversivi (generatim hic loquor) aboleantur. Etenim, ut nihil dicamus de maxima in omni seria facultatum mentis applicatione a gravioribus studiis nausea, quam inducere solet lectio librorum, qui veram religionem bonosque mores impugnant; ipsi veritati adversi lectores quoque suos a veritatis studio abducunt, quæ tamen omnis in litteris artibus scientiisque profectus prima est conditio.

Litteras et artes quod attinet; pulchrum, inquiunt, ontologici est splendor veri : ubi igitur verum non est, nec est pulchrum, et quatenus opus quodcumque a vero deflectit, etiam a pulchri legibus deviat. « Opus arte factum; inquit cl. Ubaghs [2], verum dici » non potest; nisi quatenus congruit cum ipsa mente divina » quæ utique ipsa est veritas. « Il n'y a qu'une route, dit Monseigneur de » Boulogne [3] pour aller au beau, ainsi qu'il n'y en a qu'une pour » aller au vrai, la religion, source éternelle de toute vérité et de » toute beauté [4]. » Quam idem cl. philosophiæ professor pro operationibus phantasiæ stabilit ipsius naturæ legem, « que rien » d'opposé au bon ou au vrai n'est beau » bonis artibus litterisque pariter applicanda est.

In scientiis studiisque historicis verum esse omnis profectus conditionem primam, per se manifestum est.

Philosophia vero aliud nihil est quam ipsarum primarum veritatum systematica expositio.

Qui vero ad impietatem morumque corruptionem propagandam conscribuntur libri, non solum a vero, sed etiam ab ipsa veri specie continuo deflectunt : cum enim verum sibi constet et cohæreat; scopum illi suum omnis veritatis inimicum, assequi, nisi per tortuosas errorum vias, non possunt.

Et ex hoc igitur capite perversi libri proscribi exterminarique merentur.

[1] Loco cit.
[2] *Ontol.* n. 154 et 155. Cfr.
[3] *Instr. past. sur l'impression des mauvais livres.*
[4] *Anthropol. psychol.* n. 131.

Verum quidem est; ecclesia, cujus nos, circa libros, potestatem vindicandam suscepimus, non litterarum aut scientiarum, sed fidei morumque doctrinæ depositum servandum accepit : hoc tamen præsenti efficitur argumento, quod ecclesiasticæ, circa libros, disciplinæ leges, nedum, quod garriunt quidam, litterarum scientiarumque obsistant progressui; contra vel maxime eis sint salutares. Qua propter operæ pretium est, idem hoc argumentum paullo latius evolvere.

21 Quam arcta intimaque cognatione scientiæ cum vera religione contineantur, seculo mox elapso manifestius fuit comprobatum. Cum enim plerique, qui scientiarum laude florebant, statutam haberent religionis catholicæ destructionem; ipsa cogente rerum natura, factum est; ut celeri motu, quæ adversus religionem parabantur arma, in ejusdem cederent defensionem. Recentior nimisque evulgata est factorum notitia; quam ut hic enarrari debeat; quantum a medio et amplius seculo scientiæ naturales contulerint confirmandis Bibliis sacris; quas etiam in vindicandis sanctissimis ecclesiæ Pontificibus, in commendandis saluberrimis ecclesiæ institutionibus et in reconciliandis ecclesiæ Romano-catholicæ dissidentibus ab illa fratribus partes habuerint studia historica, solo eruditionis fine, suscepta [1].

Philosophicæ vero disciplinæ quam arcto cum theologicis vinculo constringantur, si in dubium vocari posset; duo hæc abunde demonstrarent : prius est ipsa communis omnium persuasio, qua factum est; ut ss. ecclesiæ Patres, et post illos, auctores scholastici per priores illas disciplinas ad posteriores manuducendos disciplinarum theologicarum tyrones rati sint; utrasque etiam pari studio excolendas et per philosophicas disquisitiones, qui a fide alieni sunt, ad fidem præparandos existimarint. Alterum est ipsa irreligionis abyssus, in quam præcipites proruere videmus, qui semel falsæ philosophiæ principiis imbuti sunt [2].

In litteris porro, easdem ac scientiis et philosophia, progressus esse conditiones, eumdemque earum esse cum religione nexum; probat historia Christianorum litteraria [3].

[1] Cfr. cl. Ubaghs, *Logicæ*, n. 528, ed. quartæ, et quæ ibidem laudantur opera.

[2] Cfr. ill. archiepiscopi Paris. *Introduction philos. à l'étude du christianisme*, ed. de Louv. p. 89 et seqq. signanter, n. 1, 7, 8 et 17 : ubi ostendit archipræsul, religionem Christianam suapte natura præstare meliori philosophandi methodo. « Leves, gustus in philosophia, aiebat Baco, movere fortasse posse ad atheismum ; sed pleniores haustus ad Deum reducere. »

[3] Recole, quos sinu suo semper fovit ecclesia Romana, insignes in omni humani ingenii palæstra viros. Quocirca vide infra, n. 90, et in app., nota A, versus finem, corollarium IV.

22 Voltaire, Rousseau aliique scriptores, utut maxime impii et obscœni, litterarum laude floruere; horum tamen exemplum nedum infirmet thesim nostram, contra quam maxime illam corroborat. Quid enim? Non contenderim ego, non posse scriptores illos litterarum peritia eminere; sed hoc in certis pono: quod hoc ipso, quo veritati virtutique bellum indicunt, a majori perfectione deficiant. Quod ipsum in iis, qui nobis objiciuntur scriptoribus, manifeste fuit declaratum : hoc enim animadversum a peritissimis criticis fuit; in illis nominatim scriptis semetipsis superiores esse præfatos auctores, in quibus veritatem vindicandam susceperant aut virtutis encomium prosequebantur. Nec mirum sane; est namque veritati nativum decus, et vis quædam illi propria, quæ falsitas simulare quidem ad momentum potest, mutuari constanter non potest. Error sibi non constat. In errorem igitur litteris expresso, quis concipi potest ordo? quæ unitas? quis decor?

Ad quid, dicent in artibus et litteris unitas? Numquid varia quæ in mundo agitantur religiosa systemata variaque, quæ societatem maculant crimina, qualia reapse sunt, licet sub oculis ponere? Numquid enim poetæ et historiographi veri sunt pictores, qui omnibus artis suæ regulis fecerunt satis; quum ejus, quod, vel natura instituit, vel hominum adinvenit ingenium aut malitia, fidelem exhibuere imaginem? Numquid vere aiebat quidam, litteræ expressam referunt societatis imaginem?

R. Primo : tametsi litteræ, ut ait cl. De Bonald, fidelem exhibeant societatis imaginem (la littérature est l'expression de la société); quod litteræ proprios cujusque seculi characteres referant; tamen hoc non eo sensu intelligendum est; quasi de facto, in litterarum objecto, ipsius quoque societatis gesta generatim liceat contueri. Quid enim? Plerumque scriptores ex uno aut alio societatis ordine ea exempla, aut vera aut ficta arripiunt, quæ ad finem, bene aut male sibi præfixum, magis conducant; quemadmodum et romanenses plerique modernis ex infimæ plebeculæ scelestissimis quibusque hominibus suarum evocarunt scriptionum heroes. Absit ergo ut totius societatis fidelem in illis reperisse putemus imaginem? Tune, qui id mihi opponis temet ita adumbratum velis aut etiam existimes?

R. Secundo : litteræ non tantum sunt imago morum ac naturæ, sed insuper doctrina et institutio nostra : hoc ergo intima earum exigit natura; ut res pingant quales reipsa sunt; et eo modo, quo tales suadeantur; fugienda et damnanda, ut fugienda et damnanda : laudanda et imitanda, ut laudanda atque imitanda. Ideo, quam primum litteræ, utut historice, vitia exornant, aut virtutem deprimunt;

quam primum etiam quod natura horrendum et fugiendum instituit, ut exoptandum proponunt; quod vero ratio commendat, ut fugiendum, non solum a vero atque adeo a pulchro deviant; sed et a scopo suo plane aberrantes, in primas veræ artis regulas peccant[1].

23 Ut vero quod, de litterarum cum religione nexu, diximus, etiam ex hodiernis litterarum monumentis confirmetur; nec tamen, dum hæc discutimus nostram judicio excedere mensuram videamur; liceat hic in medium afferre quosdam criticos coævos, rei imprimis peritos; et celebriora quædam ætatis nostræ scripta cum iisdem ad veras artis regulas expendere.

Libros romanenses (qui tamen, cum ad delectandum conscribantur, perfectionis litterariæ modos plenius assequi deberent (mediocribus enim esse, poetis non licet), his temporibus, in Gallia editos, his verbis castigat scriptor quidam Anglus : « De nos jours » un grand nombre d'écrivains français séduits par le succès ou » trompés par l'exemple de lord Byron, ont adopté une théorie, en » vertu de laquelle ils séparent complètement dans les œuvres » d'art la partie artistique de la partie morale et soutiennent que » le peintre, le sculpteur, le poète, n'ont à s'occuper que de » la première. Selon ces novateurs, pourvu qu'un tableau, qu'un » poëme, étonne l'imagination, lui plaise ou l'éblouisse ; soit » par une fidèle imitation de la nature; soit par la puissance » de la conception et la magie des détails; l'auteur a rempli sa » tâche et nul n'a le droit de lui demander compte des moyens » dont il s'est servi, du sujet qu'il a traité, des conséquences mo- » rales auxquelles il arrive [2]. » « *L'art pour l'art*, est leur axiome » favori : et ils entendent par là, ainsi que nous l'avons déjà dit, » que la poésie, que la littérature n'ont rien à démêler soit avec » la morale, soit avec la religion [3]. »

Verum illa theoria ait auctor, est penitus falsa; quia ipsi etiam

[1] Qua ratione ab ecclesia provisum sit ; ut perfectiora etiam perversorum scriptorum opera et segmenta in litterarum commodum conservari et adhiberi possint; vide infra, c. IV, ubi de regulis indicis Trid. et de librorum expurgatione; et c. VI de licentia legendi libros prohibitos.

[2] *Revue de Dublin*, article reprod. dans la *Revue de Brux.*, nouv. ser., 1842, t. I, p. 520.

[3] Ib. p. 525. Vide etiam B. Quinet, *Étude sur la Lucrèce de M. Ponsard et sur les Burggraves de Victor Hugo.* L'auteur y reproche à M. Hugo de confondre l'art avec le beau ; tandis que l'art à lui, n'est que le talent de l'invention et de l'expression ; talent dont on abuse et qui cesse d'être talent, dès qu'on s'en sert pour créer ou enjoliver ce que la raison repousse. (*Choix de mémoires de la soc. litt. de l'Univ. cath. de Louvain*, t. III, p. 288.)

poetæ debent adhærere vero : verum illis idem est, ait, quod *possibile*. (Exactius, puto, mentem expressisset dicendo : *verisimile*.) Quamvis, ut canit Horatius :

« Multa licent stultis pictoribus atque poetis; » [1]

Tamen simul atque e possibilium, aut rectius, e verisimilium limitibus egreditur poeta; abnuit sana ratio : si humano capiti cervicem quis appinxrit equinam; moveor; verum est; sed ad risum, ubi montrosam adverto naturæ imitationem. Atqui tamen adversus primam hanc genuinæ artis regulam peccare docet præfatum, quod plerique Romanenses sibi ponunt, principium. Cum enim religionem et morum leges, quæ mundum moderantur universum, insuper habeant, jure ipsi suo, eos fingunt actorum suorum characteres; qui morum legibus ipsique adeo naturæ hominis repugnent. Eodem etiam jure illas personis attribuunt actiones, quæ earumdem fallant characterem. Quibus quid magis arti contrarium esse possit, non video.

Quod vero maximum est omnis lucubrationis meritum, totius nempe operis unitas variarumque ejusdem partium intima inter se connexio; eæ plerumque nullæ in illis scriptis reperiuntur. Enimvero impietatis suæ placitis stabiliendis, vel excitandis pascendisve lectorum passionibus, unice intenti, auctores, continuo ab assumpto themate, unitate rupta abludunt; præconceptis ideis sæpe a veritate et varietate historica abrepti, iisdem hærent imaginationis suæ quisquiliis, et per longas deviasque circumcursantis phantasiæ aut garrulæ ratiocinationis ambages, ad finem proreptant suum [2]. « Il est certain, disait naguère *le Constitutionnel* lui-» même, en parlant des productions du jour, que ces livres sont » dangereux pour le goût, et avilissent la littérature, en la traî-» nant dans la fange du ruisseau. »

Putas nunc, quod genius poeticus auctorum modernorum sat late possit exspatiari, posito principio, *l'art pour l'art?* Falleris et multum falleris; si ita existimes : etenim supersunt amovendæ grammatices regulæ, molesta nimis libertatis poeticæ repagula. Audi ipsum d. Victorem Hugo de grammatica disserentem : « Le pre-» mier, l'indispensable mérite d'un écrivain dramatique, c'est la » correction. Non cette correction toute de surface, qualité ou dé-» faut de l'école descriptive, qui a fait de L'homond et de Res-» taut les deux ailes de son Pégase; mais cette correction intime,

[1] *Arte poet.*

[2] *Revue de Brux.*, ib. passim. Hoc idem modernæ artis infaustum systema, pro meritis, exagitatum vide in collect. *Revue cath.* t. II, p. 371. (Cum simpliciter cito *Revue cath.*, intelligo scriptum periodicum, quod Lovanii edi cepit ab. an. 1846.)

» profonde, raisonnée, qui s'est pénétrée du génie d'un idiome, » qui en a sondé les racines, fouillé les étymologies; toujours libre, » parce qu'elle est sûre de son fait et qu'elle va toujours d'accord » avec la logique de la langue. Notre dame la grammaire tient » l'autre aux lisières; celle-ci tient en laisse la grammaire. *Elle* » *peut oser, hasarder, créer, inventer son style : elle en a le droit* (Pré- » face de Cromwell). » Quam vero lata isthæc libertas memorato auctori accommoda videatur; exemplis ex ejusdem scriptis depromptis, probatum vide *Revue cath.*, t. 2, p. 525 et seqq.

24 Exempla nunc quædam ponemus ex iis, quæ præcipuos, nuperis diebus, in mundo plausus tulere, operibus; eorumdem succinctam analysin vel ipsi exhibituri, vel ubi cuique obvia reperiatur, indicaturi.

D. Victor Hugo pene a pueris insignia dederat splendidi ingenii specimina, utut suis infecta nævis litterariis [1]; verum postquam, an. 1823, patrocinium suscepit præfati axiomatis, *l'art pour l'art*, « il n'y a en poésie ni bons ni mauvais sujets.... pas de fruit défen- » du.... que le poëte aille où il veut, en faisant ce qu'il lui plaît.... (il » ne peut être questionné) sur sa fantaisie [2], » postquam, inquam, illud principium propagandum suscepit ejusdemque axiomatis factus est manumissus; vera protrudere cepit monstra litteraria.

In dramate illius celeberrimo, *Notre-Dame de Paris*, deficit omnis actionis unitas; nulla ei subest verisimilitudo omnisque exsulat nobilitas et decor. Laborat lector quærens miseræ conscriptionis scopum; hæret anceps, scire volens quæ sit dramatis persona princeps. Herois vices gerere videtur elegantissima quædam puella Bohema, Esmeralda nomine; at vilissima conditione, moribus, affectibus; publica in compitis cantatrix, quæ vocis suæ illecebris, et capræ, quam circumagit, præstigiis, non solum infimæ rapit plebeculæ animos; sed virorum conditione spectabilium libidinem excitat. Post juratum, quem castissima, ait poeta, ad vitam servavit, Phœbo, dissoluto militi, amorem, fidem alteri ficte despondet, et cum novis jocatur amatoribus. Innocentissimam autem creaturam inexorabile persequitur fatum!! Infelicem in vita et in morte invidæ luxuriæ victimam!!!

Sequitur altera, quæ præcipuas in scena partes agit persona, Claudius Frollo, archidiaconus Parisiensis, sacerdos ceteroquin integer; at qui domare numquam valuit, eam, qua die quodam ex alto turris prospectans, captus fuit in vilem cantatricem, passionem. Hic post repetitos, at irritos libidinis conatus, alteri post-

[1] *Revue cath.*, t. II, p. 233, 367 et seqq.

[2] Victor Hugo, *Préf. des Orientales*, l. c. p. 370.

habitus, vindicaturus sese, ream agit Esmeraldam homicidii, quod ipse in æmulum ejusdem amatorem patrarat. Illa a Quasimodo, turris custode, supplicio erepta, novos cum liberatore suo nectit amores. Frollonis crescit invidia, at magis luxuria; quapropter et iterato a turpi pacto repulsus, morti addictam procurat, quam invidus alterius esse non patitur. Pacatis Frollo animis spectat e turri ultimum Esmeraldæ supplicium : verum a Quasimodo præceps datur; prehensa leviori casus remora, pendulus hæret, mox in certissimæ mortis delapsurus abyssum. Interim pascitur jucundo hoc spectaculo Quasimodo, vir antehac mundo exsul, omnique seculi hujus corruptioni inaccessus : modo oculos conjectat in Esmeraldam jamjam ultimo afficiendam supplicio; modo in pendulum Frollo, cujus sibi gratulatur præcipitasse vitam! Neque tamen, quod mirere, ullos offendis in perituris, tanta post crimina, conscientiæ remorsus! angores nullos! Quis vero hoc sibi suadeat, seculo Lud. XI, in quo versatur auctor, aut nullam fuisse fidem, quod verius supponit liber; aut si qua fuerit fides, nullam tamen post tot ac tanta, quæ ab his aliisve scenæ personis admissa fuere flagitia, fuisse criminis aut acti aut perpetrandi conscientiam? Verum D. Victor Hugo, scholæ, quæ ab aura simul auroque pendens, per fas et nefas, turbis placere nititur, parens præcipuus, voluit præ primis lectorum captare animos; dum lubricis scenis illis traduceret hominem, sacro charactere insignem; dum teneræ, et, ut ait, castissimæ Esmeraldæ enarraret amores et lascivias; ipsiusque capræ ejus, utpote quæ superstitionis exstitisse credebatur instrumentum, instans exhiberet supplicium. Attamen et aliud simul in mente habuerit, necesse est. Enim vero illud ipsum felicius eidem obtigisset; si vivis etiam coloribus exhibuisset vehementissimam illam, quam seculi fides postulabat, Christianorum, facinora machinantium, luctam, acerbamque de patrato crimine ægritudinem : hæc non minus lectorum, quam spectatorum jucunde suspendissent animos : hæc non mississet auctor, cetera tam gnarus eorum, qui isto quidem seculo vigebant, morum; nisi animum obsedisset importunum ineluctabilis fati figmentum. Exigebat, nempe, artis veriquc neglectum adulterinus, qui fictioni, quasi historicæ, subrepsit auctoris scopus; lectoribus, scilicet, instillandi suum, de fati necessitate, et quæ inde pullulat, larvatæ indifferentiæ systema; quod adeo verbis gestisque imprimere debuit earum, quas scenæ inducebat personarum, neglecto etiam et contempto, qui dramati nativus erat, modo quasi historico [1].

[1] Cfr. *Revue de Brux.*, t. II, p. 116; Duvalconseil, *Revue anal. et crit. des romans mod.* t. I, p. 22—50 et *Revue cath.*, t. II, p. 645.

Quod vero de uno Victoris libro probatum fuit; cum ex statuta hominis regula pendeat, de aliis posterioribus ejusdem fœtibus dici debet : hic verum illud : *ab uno disce omnes.*

Prodiit nuperrime aliud ejusdem scriptoris genimen, in mundo litterario satis celebre : titulus illi est : *les Burgraves.* Non minus est impium, quam morum honestati adversum; nec minus etiam in litterarum leges, quam in religionis sanctiones peccat : nulla enim scenarum partiumque, in se ipsis, et ad invicem connexio; nec solum a vero, sed a similitudine etiam veri longissime abludere auctorem, ostendit laudatus d. Quinet [1].

25 Nec minus abludit, quod fœtida Eugenii Sue protrudit phantasia, artis modernæ genimen, sub nomine, *Mystères de Paris;* quo omnigena quæ in variis reipublicæ ordinibus perpetrantur, aut perpetrari possunt aut etiam non possunt, crimina, propalantur ac graphice depinguntur. Adversus nauseabundam illam fictionem, nimis, heu! vulgatam [2], non minus litterarum, quam publicæ morum honestatis nomine inclamarunt boni quique : est enim opus non minus juxta regulas artis abnorme, quam juxta morum præcepta pudibundum. In primis nulla est in scripto argumenti unitas : actionis namque partes principes agunt successive varii, undecumque adsciti heroes; nullus personarum delectus, dignitas nulla; nulla scenarum connexio, neque ulla plurium confictionum verisimilitudo. Hic, nempe, ut advertit d. Duvalconseil [3], unus fuit auctoris, per fictiones tam disparatas evagantis, scopus; eorum, qui suas legerent pagellas (feuilletons) novaturientium fa-

[1] L. cit. *Choix de mém.* t. III, p. 270—97. Qui voluerit de Victoris Hugo stratagematis et vitiis latius doceri; adeat Duval conseil, t. I, p. 1 et *Revue cath.*, t. II p. 367 et seqq. et 461 et seqq. Qui plura ejusdem d. Victoris Hugo monstrosa spectare cupit genimina, ad regulas sanæ criseos expensa; adeat *Revue cath.*, t. II. p. 528—33. Nos ad alios ejusdem furfuris auctores festinamus, singulorum pene singula specimina exhibituri.

[2] Evulgatum fuit infame illud scriptum, referente viro, in his negotiis, apprime versato, ab omnibus fere Belgii ephemeridibus, liberalium nomine tum appellatis; nominatim a sequentibus : l'*Observateur*, l'*Indépendance*, le *Politique*, le *Précurseur*, le *Journal du Commerce* d'Anvers, le *Messager*, la *Tribune*, le *Journal de Liége*, l'*Éclaireur*; *L'Émancipation* l'a donné en brochures. Dans la seule ville de Bruxelles il en a été tiré 80 mille exemplaires. Hæc referens tamen nullum crimen illatum volo diariis; quæ hodie sub iisdem nominibus prodeunt; plures jam anni lapsi sunt; quibus sexcenties possunt pellem mutasse, et plura viperarum ad instar pellem mutarunt; an vero simul et viscera; an in melius, an in deterius nec affirmandum habeo, nec negandum.

[3] T. I, p. 320.

mulari passionibus, alia atque alia indies subministrando nova ac mira. « On faisait un feuilleton, dit-il, on a allongé, allongé » tant qu'on a pu. » Editores scripti, cui titulus : *Revue nationale de Belgique* [1], certe non suspecti de nimia erga eos, quos insectamur scriptores, severitate, post exhibitam, quantum liceret, conscriptionis analysin, aiunt : « Nous croyons que l'auteur en commen- » çant son livre ne savait pas trop où il irait.... cette aventureuse » façon d'écrire.... suppose ce mépris de l'art, cette absence de » goût et de dignité, ce déréglement de l'esprit et cet abus du ta- » lent, qui sont les signes ordinaires des littératures qui finissent. » Dans cet ouvrage, dit un autre écrivain, M. Sue « avait pour » héros les repris de justice ou échappés des galères; pour lan- » gage l'argot des bagnes; pour théâtre des cloaques immondes.... » La première scène aura lieu dans une allée humide et noire de » l'une des ruelles les plus décriées; elle s'achèvera à coup de » poing dans le ruisseau; la deuxième scène sera un souper dans » le *Tapis franc;* la troisième un guet-à-pens devant une maison » de construction ; la quatrième se passera en campagne, sur un » tronc d'arbre devant lequel sera un trou à fumier : sous ce fu- » mier se cachera en observation un des personnages. Le dégoût, » les nausées, l'horreur sont les stimulants qu'on vous sert dans » ce livre [2]. » Verbo, lupanar et quæ illic fiunt, carceres cum suppliciis et quæ illuc ducunt, en volutabra Suis hujus; quæ inde proreptans sexcenta decutit non minus fœtida quam inconcinna et absurda. Piget minutim exhibere scenas illas plebeiis impensas næniis; mendaces et ad societatis perniciem conflctas morum imagines; narrationes illas parum sibi hærentes, nonnumquam aperte sibi adversas, semper disjectas ac disparatas. Hæc videre studiosus, adire potest laudatos modo auctores.

Nec valet dicere, unum esse fictionis intentum : pandere, scil., quæ magis noxia sunt, secreta seculi nostri fascinora, tam contra bonos mores, quam contra bonum societatis civilis committi solita. Prætextus est ille, quo captentur incautorum animi. Blandiloquus ingreditur auctor ut fidem lectorum sibi devinciat. Si enim iste finis est; quorsum ista tot criminum, quasi ex necessitate admissorum, excusatio? Alius educationis vitio homicida! Ista ex necessitate scortum et tamen pudica! Plurimi, ineluctabili necessitate, ad omne malum nati et instituti! Quorsum istud votum de conditione redhibitoria matrimoniis impertienda? Illa

[1] T. IX, p. 131.

[2] *Revue cath. de Brux.*, nouvelle série, t. II, p. 203.

Providentiæ, tot mala in mundo permittentis, et quasi sine statera in virtutis præjudicium dispensantis, incusatio? Illi ipsius luxuriæ congressus? Nuda illa tot criminum pudibundorum traductio?....

Verum est plures quæstiones, magno animorum æstu agitari solitas, de pœna mortis, de emendandis carcere detentis..... tam vere quam graviter pertractat auctor. At vel hoc ipsum non est minimum miseræ conscriptionis peccatum; quod, scilicet, arreptis violenter occasionibus, in eo de *omni scibili et de quibusdam aliis disseratur*. Fatetur laudatus auctor scripti, *Revue nat.*, de nimia hic severitate certe non suspectus : « Il ne nous a pas été permis » *de prendre M. Eugène Sue au sérieux sous ce rapport*... l'ouvrage est » *trop mal écrit pour être dangereux, trop repoussant pour être utile.* » (p. 148.)

26 Nec minus in omnes artis regulas impingit aliud, quod nuper prodiit impium Eugenii Sue scriptum, sub nomine, *le Juif Errant;* cujus non minora in ipso dramatis argumento fingendo, quam in elaborandis partibus, adversus principes fictionis leges, sunt peccata. Operis heros, saltem prætensus, est Judæus errabundus, fictio illa, inter Christianos popularis; in qua Judaicæ nationis in deicidii pœnam, per orbem universum, dispersio et oberratio visibilis sistitur : quo themate, si fidelis in eo versatus fuisset auctor, vix aliud repereris fecundius. Verum illico se prodit malesanæ phantasiæ fœtus : Judæus errabundus, antiquum illud portentum medius sistitur pactionibus politicis, et exhibitionibus theatricis ævi nostri; vere novam superindutus personam, cum charactere novo, novisque, pro seculi nostri genio, placitis et moribus! Dramatis honores partitur Salome, infamis illa saltatrix, Herodiadis filia; quæ cum Herodi saltans placuisset; præmium tulit caput prophetæ. Fingitur hæc mulier, haud secus ac Judæus ille, mundum obambulans, et negotiis mista politicis seculi nostri! Mira dixit auctor : utique; sed mira ad risum et sibilum. « Quand » vous montrez cette femme, dit M. Alfred Nettement, en s'adres- » sant à l'auteur, quand vous montrez cette femme qui dansa du » temps de Pilate et d'Hérode, se promenant à Leipsick et venant » délivrer les victimes du despotisme russe, ne voyez-vous pas » qu'il est impossible de s'empêcher de sourire [1] ? » Appositum magis est, quod Judæo errabundo affingitur, studium pro nepotibus suis; quibus attento advigilat oculo; ut eorum, quantum per

[1] *Nouvelle Revue de Bruxelles*, t. III, p. 25.

longa et pene otiosa itinera licet, prosperitati consulat. Latus hic imaginationi aperitur campus; at, quod male concepit, adulterinum auctoris propositum, illum in millenas ablegat summæ futilitatis nænias, et in absurdissima quæque delirantis phantasiæ figmenta. Fuerat, ait, Judæo soror, cujus unicus, cum Calvinianismi in Gallia sectatores proscriberentur, superstes erat hæres; homo ditissimus. Ilic a religiosis societatis denuntiatur, ut saltem suspectus in fide; quo ipso, cuncta ejus bona a rege eorumdem religiosorum societati addicuntur : partem tamen quamdam, sed quæ summam 150,000 fr. non excedebat, sibi feliciter subtraxit proscriptus; qui hæredibus suis eam secure transmissurus, testamentum fecit, ea lege; ut a morte sua, per exteros fenori daretur pecunia, hoc medio, ad valorem 212,000,000 francorum adaugenda ante annum 1832; cujus mense Feb., die 13ia, ingens illa summa distribueretur illis, qui sese in determinata domo sisterent, nepotibus suis. Hos, studiose satis, signo commemorativo, quod servarent ipsi, curavit continuo prænonendos de hæreditate, quam post secula erant adituri. Imminente partitionis tempore, septem erant homines in mundo, quibus participandi jus esset; iique, qua patet orbis, dispersi. Verum vigiles aderant Jesuitæ, quorum cor, oculi, actus ubicumque latere thesaurus creditur : eorum r. p. Generalis hoc jam pridem pronuntiaverat effatum : « Il faudra » surveiller furieusement cette famille, et rentrer, *per fas et nefas*, » dans le bien. » Ex illis itaque prætensis bonis suis pendebant patres; atque adeo, astu suppares nemini, unum e paucis illis hæredibus ad societatem pelliciunt; et post emissa, ut moris esse notatur, sub expressa bonorum præsentium ac futurorum cessione, vota, ad missiones longinquas amandant, suo eum tempore, ad prædam revocaturi. Appropinquante hæreditatis adeundæ die, alios hæredes, qua perfidis consiliis, qua artibus, qua machinationibus, qua secretis confessionis præstigiis, qua per mulieres socias (Jesuitesses) possunt, suis hæredes quosque locis detineri curant homines illi, ubique terrarum, apud ipsos etiam reges, et Romanum quoque Pontificem potentissimi : qui immo nec in prosequendis commodis suis sicariorum et regicidarum dedignantur opem : at conatus omnes irritos facit Judæus errabundus, et quæ idem cum illo negotium ardentissime prosequitur, Salome. Qui enim in diversissimis remotioris orbis plagis, a Jesuitis sequestrati, gemebant, illico ecce adsunt, nescio quo prodigio, idem commune cum r. patre, cohærede suo, ad oras Galliæ naufragium passi! Feliciter crepti, aliter alii a novis liberantur Jesuiticis laqueis et statuto tempore adesse festinant. Ad nova igitur patres recursum habent stratagemata;

quibus dum alii detinentur hæredes, solum se hæredem sistit pater missionnarius. Modo eluctatos se jubilantur patres : Verum numeratis modo nummis, apparet invisa Salome, indigitâns, qui ad hunc usque diem latuit, testatoris codicillum, quo alius a priori, statuitur hæreditatis tribuendæ dies.

Ad novas itaque machinationis atque ad novos conatus mittuntur patres. Reverendo p. provinciali, qui tam astu et fraude, quam aperta vi hæreditatem manu jam tetigit, pro benefactis destituto, alius subito sufficitur; qui novis et inopinis mediis ad eumdem finem pertingat. Est homo singulariter ambitiosus, generalatum sui ordinis, quin et ipsum pontificatum mente prehendens, et ipso suo ordine potentissimo extincto, latissimam in orbe dominationem machinans. Hic vero passionibus hominum ad fines suos utitur; illas oportune excitare, dirigere atque ad facinus provocare novit, ut optatum attingat finem. Aliorum ergo incendens iras, invidias, libidines, hoc per fideles nimium procurat subditos; ut extinctis, vario crimine, ceteris cohæredibus, pretiosus pater solus iterum se hæredem sistat. Verum Samuel pecuniæ depositarius, omnis fraudis probe conscius, nescio qua arte veteratoria, in scenæ latebras congesta commonstrat hæredum, variis loco et tempore occisorum, sena cadavera! et prodigium! Mystica quædam et invisibilis, manus ingens excitat incendium! In fumum abit tantis laboribus quæsitus thesaurus! Pater provincialis veneno vitam ponit! Et nigrum post mortem obducitur scenæ siparium!!

En tibi, Optime Lector, totam Judæi errabundi historiam! Verum recordarisne ubi remanserit ille dramatis heros? Errat utique! Interim habes sane, quæ ejus vices suppleant. Habes integram cognatorum ejus tragœdiam. Habes integrum religiosorum ordinem; cujus genium et mores exhibent duo patres provinciales, utique religiosæ perfectionis typi (hoc enim fictionum ejusmodi proprium esse omnes novimus; ut personæ assumptæ aliorum conditionis suæ hominum imaginem passim referre censeantur); et tamen, plus quam auditum umquam fuerit, improbi ac scelesti! Habes immo et cum religiosorum ordine, religionem ipsam catholicam, scenæ ad risum et odium inductam. Huc pompa funebris, quæ pro divitis corpore celebratur, collata cum modesta pauperis sepultura : huc mulieres devotæ, exhibitæ ut superstitiosæ, cum viris morosæ et pervicaces, ut cæca sæpe iniquitatis instrumenta; quorum omnium causa confessio auricularis et prætensa, inquit Sue, conscientiæ directio. *Tout cela*, exclamat maritus unius ex illis, exhausta demum patientia angelica, *tout cela sent le confessionnal.* Huc et ipsius confessionis auricularis, quasi per uxores,

pueros, famulos, intima familiarum penetralia moderantis; moribundorum lectos regumque thronos obsidentis, sinistra imago : huc longinquæ, pro fide propaganda, missiones, exhibitæ ut passionum humanarum industriæ; huc pater ille provincialis, qui juvenis, humili loco natus, coram effigie Sixti V, miratur futuram sui exaltationem, quam tam sanguineis, juxta scriptorem romanensem, deinceps machinationibus conspurcat : huc p. Gabriel, qui, utut verus secundum Christum sacerdos, scientiam theologicam, qualis in ecclesia colitur, ut generi humano inimicam explodit; asceseos seu perfectionis Christianæ principia ridet atque adulteratur; qui semetipsum, non secus atque alios quosque religionis aut sacerdotii vinculo obstrictos, exhibet, ut infelicis voti tenaces nimium, miserasque tyrannicæ disciplinæ victimas. Talem nominatim auctor exhibet eumdem patrem, ideo injuste suspensum, quia debitæ impenderat Christianis sepulturæ jura; quæ prætextu impœnitentiæ finalis aut dogmatis protestantici deneganda dictabant judices.

Nec vasta religionis catholicæ œconomia terminatur auctoris campus : de religione quoque naturali disserit; ipsaque etiam omnis societatis principia discutit. In hoc eodem opere videre licet blasphemam ipsius luxuriæ apotheosim ; matrimonii, etiam ut civilis contractus est proscriptionem; suicidii, subin necessarii, sæpe liciti, commendationem : verbo, habes, Judæi errabundi loco, possibilia innumera, quomodocumque sibi coagmentata; et insuper absurda plura, quæ tœdii vitandi gratia, sicut et centum scenas minus principales, in qualemcumque, quorumdam saltem lectorum oblectationem adornatas, recensere supersedeo [1].

Omnibus expensis, satis difficile est dicere; quisnam fuerit auctoris scopus præcipuus : an, quos odio honestabat suo, ordinem societatis Jesu, religionem catholicam aut societatem ipsam humanam, quam posset plurimis et infamibus scenis traducere; an per quascumque imagines et argutias quorumcumque lectorum captivare passiones ac præjudicia; an vero stabilire vilem passionum sensualismum putidique fatalismi religionem. Forte nec auctor ipse scivit. Hoc certum : fecisse illum ex partibus, ad invicem tam disparatis, et in se tam horridis, monstrum litterarium, horrendum, ingens; cujus scriptores catholici ephemeridibus suis

[1] Quis namque, media scena, ferat nænias v. g. canini duelli, quo alter canis, nomine Jesuita, meritas nomini dat pœnas? Historiunculam pantheris a viro, post luctam , occisi, et similes, vetulis et pueris detinendis, vix aptas fabulas?

aliisque scriptis satis habuere quasdam inseruisse pericopas [1]; ut commune bonarum mentium odium provocarent in detestabilem conscriptionem illam, qua non minus omnis artis regulæ contemnuntur, quam omnia religionis et honestatis principia atque humanæ societatis bases convelluntur. Utique imaginationis fœtus est; multa licent poetis. At fingere quæ non solum vero non sunt similia; sed et veritati historicæ prorsus adversa, et intrinsece secum pugnantia, ars omnis prohibet : atqui tamen in præcipuas has regulas expositum drama, ex professo, peccat. Quid magis historiæ adversum, quam ponere omnes fictionis personas, quæ catholicæ sunt, criminibus maculatas; quæ vero, ejurata fide, deismo adhærent, honestas et virtutibus moralibus insignes? Quid magis implicat, quam illa, quæ media existere fingitur in Gallia, æmula, quin et prævalens potestati publicæ, potestas; quæ, aut nesciis, aut incuriis et complicibus primoribus, quæcumque libet, ubique terrarum per suos exsequitur, facinora? Quid magis, quam fingere eosdem homines astutos, fraudulentos, ubique terrarum actione validos, sine lege et conscientia; per crimina quævis, ad suos fines proruentes; et tamen in agendo tam segnes ac timidos, mediisque studentes tam ineptis; ut timere serio videantur; ne, quod unice in votis habent, quodque per fas et nefas assequi statutum est, reapse nimis prompte assequantur? Perpauci homines, lato orbe dispersi, religiosis tendunt ex ad-

[1] Cfr diaria, aliaque scripta periodica ann. 1845. passim; nominatim, *Journ. de Brux.* ad diem 10 et 19 aug. 1845. Vis tibi, optime Lector, ex portentoso opere, segmentum quoddam; quo simul et sacrosancta religio nostra, et morum honestas et humana etiam societas funestissimo petuntur ictu? Audi, et contine, si vales, indignationem tuam : Nobilis Djalma post occisam, quam cum alio agentem reperit, suamque, furenti amore concupitam, errore deceptus credit, invidia tabescens veneno sibi vitam desperabundus adimit : jam cum agone luctanti supervenit ea, quam deperibat Adriana, quæ et ipsa, vesano amore acta, dilecto commori, post haustum venenum, incipiens ait : « Nos âmes immortelles vont s'exhaler dans nos » baisers, pour remonter encore enivrées d'amour, vers ce Dieu adorable » qui est tout amour ! ! !.... Adrienne et Djalma rendaient le dernier soupir » dans une voluptueuse agonie » ! ! ! His auditis, nemo, putem, mirabitur; ipsos, qui infame illud opus diariis suis inseruerant, scriptores, apud lectores suos, prætexta sui deceptione, veniam postulasse; cum jam suæ in pestiferis diariis sentinæ sordes erant defecturæ. Insertum autem fuit infame illud opus sequentibus, inter alias, ephemeridibus, ut retulit mihi vir, harum rerum maxime gnarus : l'*Observateur*, l'*Émancipation*, l'*Indépendance*, le *Politique*, la *Tribune*, le *Journal de Liége*, le *Précurseur*, le *Journal du Commerce*, le *Messager*, l'*Éclaireur*.

verso; et quamvis criminibus assueti, et ubique suos præsto habentes sicarios, vel non cogitent, vel non possint quos amotos cupiunt simul et semel impetere cum effectu! Eccur non illico in thesaurum aut in ipsum pecuniæ depositarium artes suas exserunt patres; aut forte hic nihil efficere se posse autument, qui fraude et oportuna violentia per mundum sunt omnipotentes? Qui fit, ut homines illi, cum de divitiis adeundis agitur, tam astuti, ita tamen cæcutiant; ut patrem, quem destinant ex asse Judæi proscripti hæredem, periculoso committant mari in longinquas amandando missiones, eumque vix demum, instante hæreditatis adeundæ die, revocent, nequidquam prævidentes aut cordi habentes diuturnæ navigationis casus aut moras?

Nec minor est in scenis secundariis incohærentia et absurditas. Veteranus imperii dux, obserata diligentissime triclinii porta, imbellem religiosum ad singulare certamen cogere et ignaviter conficere non erubescat! Idem societatis pater hodie tam sui abnegans, ut ad superioris nutum, omnem quo turgebat fastum deponeret, sui deinceps subditi futurus famulus; modo tam sui impos, ut nec reflexæ conscientiæ stimuli a duello absterreant, nec sacri status character avertat! Quid moribus magis adversum, quam ponere, notum vitæ proditorem illico in intimæ assumi amicitiæ secretum? Quis credat furentem nupturientium, verius, luxuria ustorum amorem frigide philosophari de matrimonii incommodis; et ita jam timere amoris reciproci remissionem; ut periculosum fabuletur eum juramento firmari aut pacto? Nempe veri ratio habita nulla; auctoris lectorumque libido artis summa est et unica pulchri regula [1]!

27 Habemus et aliud opus famosum, in scriptum : *du prêtre, de la femme et de la famille*, quo D. Michelet cælibatum ecclesiasticum et confessionem auricularem (verius religionem Christianam), eversurus contendit. Suæ sunt illi partes, quæ, seorsim spectatæ, perfectione litteraria non destituuntur. Quam male tamen quis ad scribendi studium ejuscemodi miseram, in exemplar, assumeret conscriptionem; facile sibi persuadebit, quisquis perpenderit, quod vere de isto phantasiæ figmento, tulit judicium alter ejusdem impiæ scholæ scriptor, cum operis auctore adversus religionem Christi conspirans; nec minus quam ille, tum scriptis, tum prælectionibus suis, nefastus iis, quas informandas seu potius pervertendas, in regno vicino, altius accepit, studiosæ juventuti, novellorumque lu-

[1] Cfr. Duvalconseil, t. II, p. 307 ad 499 et Alfred Nettement, dans la *Nouv. Revue de Brux.*, t. III, p. 23 et 118.

dimagistrorum turmæ : ait itaque de præfato opusculo : « Ce livre, » considéré dans son fond, et pour ainsi dire, d'un œil de philoso- » phe, contient de nombreuses et capitales erreurs. » Dein, libri substantiam breviter resumens, asserit; doctrinam, eo contentam, non minus philosophice et historice, quam theologice falsam esse : in eo fundamentalem esse auctoris errorem, quod liberum philosophiæ (rationalismi scil.) examen cum libero arbitrio seu libertate morali confundens, omnem sus deque vertat, tum sientiæ theologicæ, tum historiæ ecclesiasticæ et philosophicæ notionem. Docet v. g. ecclesiam catholicam fatalismo et quetismo patrocinatam fuisse, etiam tunc; cum, concilia Calvini prædestinationem, Pontifices vero Jansenii libram et Bossuetus Molinosi quietismum et Fenelonii pseudo-mysticismum insectarentur. Contendit nempe Micheletus in fatalismum et quietismum continuo concedere et necessario desinere omnem ecclesiæ actionem, omnemque cleri directionem; signanter per eam, quæ omnem Micheleto bilem commoverat, confessionem auricularem.

Habes, quid statuas de opellæ substantia. Vis nunc discere ex eodem illo scriptore, quis singularum partium elaborationi præsideat spiritus? audi : il y voit une critique violente, haineuse, qui veut moins expliquer les institutions religieuses, (quod intellige de suo religionem explicandi et ex moderna philosophia critica purgandi et perpoliendi modo) « que les décrier et les dé- » truire; ne cherchant dans l'histoire et dans la science que des » armes pour le combat; peu scrupuleuse sur les moyens de dé- » truire; ne respectant rien; n'épargnant rien; mêlant le vrai et » le faux; le bien et le mal; féconde en assertions tranchantes, en » inductions téméraires, en accusations passionnées..... C'est donc » là un livre de colère et de haine, et non un livre de science et » de sérieuse critique [1]. »

Quærere jam liceat quid demum scientiæ, quid artis inveniri possit; quid veri, quid pulchri quæri in opere, cujus membra singula totidem sint disparata phantasiæ figmenta; eaque tam fallaciter et tam ad omnem historiæ scientiarumque notionem false et absurde adinventa?

28 Eodem modo et impudentissima illa femina, quæ delitescit sub arcadico nomine Georgii Sand, multa quidem habet, quæ artificiose elaborata, lectoris phantasiam rapiunt; et seorsim sumpta, delectant; at in vanum desudat qui legit ejus scripta, ubi partes

[1] Saisset. *Renaissance du Voltairianisme*, dans la *Revue des deux mondes*, 1843, t. I, p. 109 suiv. notamment 110, 118 et 124.

ferens, totum aliquod construere nititur; succenset simulac, in judicii partes, ratiocinii aut artis leges vocat; quod tam nequiter sibi illusum fuerit; miseretque tot simplicium, qui dolo capiuntur, lectorum [1].

29 Quid citem nauseabundum illud opus, quod Aug. Luchet inscripsit, *nom de famille*, infamem illam conscriptionem, quam Gallia cauterio notavit, imbelle autem Belgium latis amplexum est ulnis[2]? Hujus namque lucubrationis tam fœtidæ simul ac tam monstrosæ singulæ fere partes singula exhibent capita, nullo conjuncta nexu aut habitudine [3].

Quod vero de his notissimis celebriorum scriptorum operibus, casu selectis, dictum est; aliis ejusmodi impiis et obscœnis conscriptionibus applicari debet: artis, nempe, verique rationem in iis haberi nullam; unam artis esse regulam; scriptoris, scilicet, pro ipsius avaritia, impietate aut obscœnitate, libidinem. Nulla apud illos historica veritas; ipsa scriptorum, utut absona placita et vitiosæ affectiones, variis dramatum personis tributa, scenam, ad spectatoris tædium incessanter obsident. De omnibus verum est, quod acriter et jocose de lucubrationibus Victoris Hugo scribebat auctor hodiernus, dicens : « Dans les drames de Victor Hugo, les » personnages ressemblent singulièrement à des marionnettes sans » vie, sans volonté propre, que la main du machiniste fait mou- » voir à sa guise. Vous croyez d'abord que c'est polichinelle qui » marche, qui parle, qui rit ou se fâche; mais bientôt vous » apercevez la main, vous reconnaissez la voix de Victor Hugo, » et comme c'est la même main qui les met tous en mouvement » comme c'est la même voix qui exprime leurs idées, vous ne » voyez plus devant vous que de misérables poupées et vous » vous retirez bientôt fatigué de cet éternel monologue de l'auteur » devant le public [4].

[1] Cfr. *Revue de Brux.* ed. ann. 1842, t. I, p. 238; *Revue cath., Liége* 1843, p. 135 et Duvalconseil, t. I, p. 51. Ubi avaram, quam impudens impiaque mulier novaturientium ingeniorum pruritui exhibet, servitutem, vaferrimamque ejusdem hypocrisin, ex ipsis ejus verbis, ad lucem trahit.

[2] Non per calumniam hæc dico : adsunt enim calculi typographorum publici. V. *les mauvais livres...* p. 51 (1) et 59 (1), et *Revue de Br.*, t. II, p. 206. Quæ quidem adnotationes litterariæ nos Belgas rubore suffundere deberent. Refertur posteriori loco, quod in tota Gallia impressa tum fuissent 500 exemplaria operis, *Nom de Famille*; in Belgio autem ultra sex millia. Scriptum aliud perniciosum, *la Revue de Paris*, in Gallia distrahebatur ad sexcenta exemplaria, hic ad duo millia!

[3] Critice probatum invenies in *Journ. hist. et litt.*, t. IX, p. 53.

[4] *Revue de Brux.*, t. I, p. 524.

Nedum ergo, artis stylique titulo, conservari colique mereantur scripta, religionis morumque subversiva; contra, vel hoc ipso ex capite, generatim magis vitari et destrui merentur. Id ratio suadet et allata modo exempla commonstrant.

30 Præterea juventutis educatio religiosa imprimis esse debet et moralis. Veritas hæc in exploratum abiit axioma, quod nemo sanus in dubium revocaverit.[1] Hanc nempe juventutis institutionem exposcit bonum cujusque particularis; bonum familiarum; bonum status et religionis : hanc expostulant graviores litteræ, studia philosophica et historica; hanc scientiæ quoque naturales : illa informat magistratus non secus ac populos; illa efformandis necessario præit judicibus integris, medicisque prudentibus ac generosis.

Verum quo pacto, quæso, educatio manebit religiosa, et moralis; si pestilenti libri, quaquaversum sparsi, juventuti permittantur? Quo præterea pacto finem illa consequetur suum; si simul ac e pueris excessere juvenes, atque ad altiora studia aut seculi negotia se conferunt, in ejusmodi inciderint libros, a quibus fidei corrumpi integritas morumque decipi simplicitas facile possit? Aut an forte ad tempus scholarum tantum extendi debet salutaris religionis in juventutem influxus? Et jam debite informati, nihil habeant ultra timendum ab innumeris, quæ indies prodeunt, quibusque toti, laxatis habenis, inhærere proni sunt, pestiferis diariis, fasciculis, romanensibus.....? Numquid non potius ingravescentium passionum ætas, et emancipatæ paullatim mentis luxuria periculum augent? Numquid injuria ill. Episcopus Leodiensis (*Docum. quadrages.* 1845, p. 299 et seqq.) frequentem deplorat juventutis, religiosissime etiam institutæ, postquam familiæ paternæ aut mundi commercio reddita fuit, per pravos libros subversionem? Quis non id exemplis edoctus?

31 Spectatis igitur natura et fine hominis; considerata religionis indole; pensatis funestissimis effectibus lectionis pravorum librorum in individuis, in familiis et in societate tam civili, quam religiosa; perpensis etiam tum progressus scientiarum aliarumque humaniorum disciplinarum; tum religiosæ juvenum educationis conditionibus; sive ipsam naturæ vocem consulamus; sive auctoritatis sacræ aut profanæ oracula, hæc una omnium vox est : perversos libros et ipso naturæ jure vitandos esse atque exstirpandos : et,

[1] Hanc veritatem solidissime probatam reperies ap. ill. Frayssinous, *Discours sur l'éducation* et in opere : *Exposé des vrais principes sur l'instruction publ.* par Monseign. l'évêque de Liége; ubi, prolatis factis historicis et citatis testimoniis, haud suspectis, invicte ostendit ill. auctor, quod omni instructioni intimus esse debeat religionis influxus. Cfr. nominatim, parte I, C. I et VII, — et p. 2, c. VIII vel *Analyse* du même exposé, p. 4 et 8.

quoniam non omnia scripta idem respectu singulorum periculum habent; nec sine damno etiam suo particulares disjudicare possunt, quinam sibi nominatim libri vitandi sint; lege quoque positiva ab iis, qui societatis curam gerunt, providendum.

32 Possemus quidem hic nova congerere argumenta ex consensu populorum; ex præscriptione; ex praxi ecclesiæ; ex traditione ss. Patrum; quin et ex ipso hæreticorum sensu et usu : verum præstat hæc omnia compendii gratia in unum contrahere argumentum historicum [1]. Quo quidem argumento hoc etiam evincemus; non ita præteritis seculis fuisse pravorum librorum usurpatam atque intellectam in ecclesia prohibitionem; quasi publicam tantum lectionem, aut librorum distractionem illà attingeret; nequaquam vero aut retentionem aut lectionem privatam. Mendacii proinde arguentur P. Suave, Boehmerus et Van Espen, qui contendunt, novitium esse in ecclesia usum, privatis prohibendi libros sub reatu peccati; nullique olim prohibitum fuisse aut retinere aut legere libros quoscumque, nisi de jure naturæ, pro periculo uniuscujusque, aut inutili et perniciosa, ut aiunt, temporis jactura [2].

Notandum tamen; quod etiam hoc, quod falsissimum est, concesso, nihil sequeretur contrarium recentius introductæ desuper disciplinæ : viget namque in ecclesia, non minus quam in societate civili potestas legislativa; cujus officium est novis exortis periculis per novas continuo legum dispositiones obviare. Hanc vero, quæ ab hæreticis negatur, potestatem in conscientia obligandi fideles, contra eosdem stabiliunt et defendunt theologi, in tract. *de ecclesia* : in gratiam autem Espenii, qui eam admittit quidem, sed ejus, pro suo jansenismi fermento, criminatur usum; non solum per totum hunc libellum dispersa sunt justa recentiorum prohibitionum motiva, sed et, c. IV. speciales ex inventione artis typographicæ, hæreticorumque fraudibus, immutandæ disciplinæ rationes proferentur.

33 Imprimis apud veteres judæos constat, ipsius etiam scripturæ sacræ partes quasdam maturiori ætati reservatas fuisse; nominatim plura capita Geneseos; loca quædam Ezechielis prophetæ, et canticum canticorum [3] : Ezechias etiam rex libros quos-

[1] In hoc argumento fere secutus sum cl. Zaccaria; apud quem latius videri possunt pleraque, quæ breviter enarrabo facta.

[2] Ita Suave ap. Pallav. l. XV. *Hist. conc Trid.* c. XVIII. p. 2; Bæhm. in l. V, *Decret.* Tit. VII. n. 89; Van Espen, *Jus Univ.* p. I, tit. XXII, c. IV, n. 1, seqq.

[3] S. Hier. *Proleg ad Ez.*, (alibi citatam legi, Proleg. in Jerem.); Orig. *Prolog. in cant.*; S. Greg. Naz. *Apolog.* et auctor II. *De vita contempl.* l. III, c. VI.

dam qui Salomoni tribuebantur, exuri jussit, quia ad idolatriam iter pandebant [1].

34 Apud Syros Antiochus Ephiphanes libros sacros Judæorum aboleri jussit [2].

Apud Athenienses, Pythagoras, quod principio cujusdam libri sui sic edixisset : *De diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere*, urbe ejectus; et libri ejus publice combusti fuere [3].

Verum historia Romanorum, accuratius nobis conservata, hic etiam plura, eaque exactius paullo descripta, reliquit exempla. an. 549. ab urbe cond., Atilius, prætor, in concione jussit ad se deferri destruendos omnes libros *vaticinos precationesque*, ut narrat Tit. Liv. [4].

An. 571. Solemniter in foro combusti libri ipsius Numæ, quos bubulcus quidam repererat; quoniam de cultu deorum, e senatus judicio, non recte (quia verè) sentiebat [5].

Postea Petillius, prætor urbanus, ex auctoritate senatus, quosdam libros, *quia, aliqua ex parte, ad solvendam religionem pertinere existimabantur, per victimarios, igne facto, in conspectu populi igne* cremavit. *Noluerunt enim,* ait, *prisci viri, quicquam in hac asservari civitate; quo animi hominum a deorum cultu avocarentur* [6].

Testatur præterea Titus Livius, apud Romanos pontifici maximo demandatum fuisse, de libris cognoscere, eosque damnare et comburere [7]. Romanos quoque postulasse, ut libri *de natura deorum*, in quibus Cicero male de religione sentire videbatur, abolerentur; testis est Arnobius [8].

Ovidius etiam, post emissum suum, *de arte amandi*, librum, ab Cæsare Augusto in exilium fuit amandatus. Esto liber proscriptionis prætextus potius, quam vera causa fuerit; manifesta nihilo minus est publica, etiam corrupti mundi Romani sententia.

Ipse Nero an. Christi 62 exuri jussit libros, quibus nomen *codicilli;* quod multa *probrosa in patres et sacerdotes* continerent [9].

Neque etiam silentio prætereundi sunt ipsi, qui ecclesiam Christi

[1] Glica 2 p. pag. 182, *in Byzant. hist. collect.* citans Eusebium.

[2] L. 1, Mach. c. I, p. 59. Flav. Jos. *Antiq. jud.*, l. XII. c. VII.

[3] Lact. *de ira*, c. IX; Minut. Fel. in Octavio, c. VIII; Cic. *de nat. deorum*, l. I, n. 23.

[4] Lib. XXV, n. 1.

[5] Idem, l. XX, n. 29. Valer Max., l. I, c. I, et Plin., l. XIII, c. XIII.

[6] Ita valer. Max., l. I, c. I, § 12, consentit Tit. liv. l. XL. XXIX.

[7] Lib. X, dec. 10.

[8] L. III, ap. *Baron. ad ann.* 302, n. 19.

[9] Ità refert Tacitus, *Annal.* l. XV, n. 50.

persequebantur Imperatores; quorum contra sacros fidelium codices, aliosque, de religione, libros severissima erant edicta. Intelligebant, nempe, omnes, (idem cunctis dictante natura) in salvo esse suam non posse religionem; ubi contrarii dogmatis invaluissent volumina; et adeo, legibus etiam positivis, pro suæ utique convictionis errore, imminenti prospiciendum esse periculo arbitrabantur.

35 In ecclesia vero catholica primum « insigne moris, de quo agimus documentum, inquit Jacobus Gretzerus [1] occurrit Act. XIX. 19. « sive, inquit, sponte, sive ab antistitibus jussi, libros illos inflam- » mandos (fideles Ephesini) obtulerint. » In urbe, scilicet, Ephesina magnæ nec minus (quia victum, amictum, famam et gloriam illius templo accepta referebant Ephesini) almæ suæ Dianæ addictissima, et superstitiosis libris passim dedita, postquam diu multumque prædicasset gentium Apostolus; « Multi ex eis, qui fuerant curiosa » sectati, contulerunt, libros, et combusserunt coram omnibus : et » computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum » quinquaginta millium [2]. » Ex quo nemo, quod sciam, extundit edictum apostolicum; ne ipse quidem quod ex citatis modo verbis patet, Jacobus Gretzerus, quem hujus ineptæ deductionis falso accusat Boehmerus[3]. Interim factum est maximi momenti; prodit enim, aut apostolicam intercessisse auctoritatem, sive doctrinaliter, ut Boehmero loqui placet, id est ad premendam obligationem naturalem; sive imperative, per prohibitionem positivam; aut, ipsos Ephesinos illico intellexisse; sinceram conversionem stare haud posse cum occasione relapsus, quam induxisset præfatorum librorum detentio; nec posse se nimium esse libris illis abolendis alacres. Ad minus patescit ex hoc documento; quis ex illo jam tempore spiritus esset ecclesiæ; quamque doctrinæ evangelicæ nativa sit praxis perversos vetandi libros. Quod ipsum quoque agnovit Lutherus dicens ; « est veteris exempli et antiqui moris, infectos et im- » probos codices comburendi, quemadmodum legimus in actibus » Apostolorum [4] »

[1] *De jure et more prohibendi libros malos.* Opus eruditum, quo hæreticos sec. 16, hujus nostræ disciplinæ ecclesiasticæ adversarios, acriter persequitur.

[2] Act. XIX.

[3] In lib. v, decr., t. VII, n. 89. Quo loco, magno quidem eruditionis apparatu, plura congerit huc spectantia : verum impotentis iræ protestans, per evidentes etiam contradictiones; per asserta gratuita, et putas calumnias in Pontifices et ecclesiam Romanam, omne quo turget, virus evomit.

[4] T. 2 epist. ad Spalat.

36 Narrat porro Tertullianus [1], quemdam in Asia presbyterum, librum conscripsisse, sub titulo : *Periodi seu itinera Pauli et Theclæ;* quo mulierum docendi tingendique licentia commendari poterat. Quamvis autem sacerdotem illum ex sincero in Paulum affectu, hoc ei opus supposuisse fateatur, loco tamen a Joanne Apostolo (hunc enim depositionis auctorem facit S. Hieronymus [2]) motum fuisse commemorat.

Canon inter apostolicos 59^us^, sub poena depositionis inhibet evulgare falso inscriptos impiorum libros. Si canon ille neque sit apostolicus, ut demonstrarunt eruditi; neque ab ecclesia latina receptus; certe jam inde a primis ecclesiæ seculis in synodo aliqua particulari editus et exinde in ecclesia græca passim Apostolorum nomine, receptus fuit. Idem sit judicium de *constitutionibus apostolicis*, falso adscriptis S. Clementi Rom. : in quibus l. I. c. VI legitur : *abstine ab omnibus libris gentilium,* etc. Certe, quamvis hæc opera minime genuina haberi possint nec approbari cæce possit, quidquid iis continetur; hæc tamen bina decreta verum exhibere primorum ecclesiæ secularum spiritum, confirmat ipse Binghamus [3], cum ait : « Ut veteres omnis generis hæreticos libros combusserunt atque » aboleverunt, ne fidem corrumperent; ita non minus libros mori- » bus Christianorum perniciosos componere et legere interdixe- » runt. » et alibi « nemo eorum (hæreticorum) recipere poterat » eulogias aut munera festivalia, vel legere ac retinere eorum scrip- » ta; sed ea manifestare debebat atque comburere [4] »

37 Anno 325. ab ipso concilio primo œcumenico condemnatus fuit legique vetitus liber Arii, inscriptus *Thalia;* quo placita sua sub lascivis verborum involucris propinabat hæresiarcha [5]. Constantinus etiam Imperator jussit libros Arii, in publicum productos, incendi, « Quo neque ipsius, ait Imperator, neque opinionis, cujus » auctor fuerat, ullum monumentum exstaret. Quod si quis ali- » quem librum ejus occultare deprehenderetur,.... capitis muleta- » retur supplicio [6]. »

[1] *De bapt.* c. XVII.

[2] Cap VII, *de viris ill.*, ubi de s. Luca.

[3] *Originum eccles.* l. XVI, c. XI, § XI.

[4] L. XVI, c. VI, § X.

[5] Socr., l. I, *Hist. eccl.*, c. VI ; — Sozom., l. I, c. XX. *Hist. eccl.*, Hic de concilio narrat his verbis : « Quin etiam et verba, quibus ejus explicabatur » opinio, et librum, quem de eadem ediderat, inscripseratque Thaliam, legi » vetuit. »

[6] Ap. Sozom, l. II, c. XX.

38 Ecce vero, ait Boehmerus [1] jam « sec. IV, pro modestia » et humilitate prisca, dominatus, sub præsido Imperatorum Chris- » tianorum, Episcopos invasit; brachio seculari contra hæreticos, » in subsidium assumpto, praxis gentilium, libros per combus- » tionem damnandi, magno applausu ab Episcopis recepta, Impe- » ratoribusque commendata est; quæ tamen ab innocentissima » primorum Christianorum fide, ad evangelii exemplar expressa, » aliena fuit.... Ita ut, majorum vestigiis relictis, ethnicam crude- » litatem, immo ethnica severiorem tandem in ecclesiam reduxe- » rint. » Verum liceat modestiæ protestantiæ adversus illos ecclesiæ seculi IV, fastum dominatumque commoveri; liceat Boehmero sanctis illis Niceni concilii Patribus calumniam inferre; liceat ei ignorare potestatem legislativam ecclesiæ divinitus collatam officiumque impositum avertendi a fidelibus omne fidei morumque discrimen; liceat ei jam oblitum esse illius, quem ab initio, immo in ipsis jam scriptis Apostolorum, ecclesia nobis manifestum reliquit, de communicatione cum hæreticis vitanda, spiritus, et subsequentis temporis documentorum; nobis certe catholicis, aut cuicumque justo factorum æstimatori id non licet. Rectius ex principiis protestantium (apud Boehmerum cit. l. passim) principes civiles, proprio et nativo jure, religioni dominentur; quam catholici sanctæ matris ecclesiæ definitionibus filiali obsecundent obsequio!!

Quantum vero ad genus pœnæ, a Constantino inflictæ, non constat; an Episcopi vel ipsam librorum exustionem postulaverint; quod si fecerint, quemadmodum deinde Patres effecerunt Ephesini; magisne id repugnat modestiæ ac mansuetudini episcopali; quam mansuetudini ac modestiæ apostolicæ incendium librorum Ephesinum, quod Actuum cap. XIX, factum testatur; utique invitis pariter ipsis librorum auctoribus; de quibus, cum foris essent ecclesiæ, nec Apostolorum, multoque minus fidelium erat judicare? An adeo crudele ac barbarum, igne destruere libros; ut efficacius a plebe, tum rudiori averteretur spiritualis damni periculum [2]?

[1] L. c. n. 90.

[2] An autem, jure suo, imperantes civiles, inflicta etiam mortis pœna, in eos procedere valeant; qui religionis leges in pacis publicæ detrimentum contemnunt; quinam circa hæreticorum punitionem ecclesiæ sensus; et quænam ejusdem, ad mansuetudinem semper propensæ, praxis; non hujus loci est inquirere. Vide J. Balmes : *Le protestantisme comparé au catholicisme dans ses rapports avec la civilisation européenne*, ch. XXXV; Bergier, *Traité hist. et dogm.*, 3e p. ch VII, art. 4. præsertim §§ 2, 8, 15, 16 et 18. *Dict. de theol. V. Hérétiques.* Item *Revue cathol.*, Liége, t. II, p. 593; ill. Frayssi-

39 Anno 336; Ariani in conciliabulo Constantinopolitano, ecclesiis Galatiæ præscripserunt, inquirere in librum quemdam Marcelli Ancyrani, sub titulo, *de subjectione J. C. Domini nostri*, contra ipsos editum; et omnia, quæ reperissent exemplaria, flammis dare [1].

In altero conciliabulo, Constantinopoli habito, an. 359, vel, juxta Valesium 360, simpliciter prohibita fuere scripta et epistolæ Aetii [2].

40 Celebris est index, a Damaso Pontifice, circa an. 379, in concilio Romano editus; quo de scripturis divinis, quid *universalis catholica recipiat ecclesia, et quid vitare debeat*, statuitur. Conveniunt interim eruditi quod tertia ejusdem indicis pars, (quæ apud plures legitur, post præcisum librorum sanctorum catalogum, sub his verbis : *post has omnes propheticas*, quæque seriem texit scriptorum non divinitus inspiratorum, quatenus ab ecclesia vel recipiantur, vel rejiciantur) ex decreto Gelasiano, de quo infra dicendum est, huc fuerit translata [3].

An. 398, Imperator Arcadius, sub pœna capitis, Eunomiorum libros aut occultare aut retinere vetuit.

41 Eodem anno, in concilio Carthag. IV, ducenti et quatuordecim Episcopi, can. 16, (cit. ap. Grat. dit. 37. *Episcopus gentilium*) statuunt : « Ut Episcopus gentilium libros non legat ; hære» ticorum autem pro loco et tempore. » Quoad vero priorem canonis partem, merito suspicatur Zaccaria [4] origenetenus vel expresse adjectam fuisse quamdam restrictionem; vel saltem ex circumstantiis intelligendam fuisse de casu abusus cujusdam; qualis erat, de quo S. Hieronymus, ep. 146, querebatur : quosdam, sc., ita gentilium scriptis inhærere, ut evangelia et prophetas secundo haberent loco.

42 Theophilus, Patriarcha Alex., patronus exstiterat Origenis : verum cum postea animadverteret, scripta ejus scandalo esse monachis Nitriensibus, qui eadem legebant, defendebantque; an. 400,

nous, *Conférences*, disc. intitulé : *La religion vengée du reproche de fanatisme*, et Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen-âge*, introduct. art. II, § II, signanter n. 54. et seqq. Certe ecclesia Christi semper abhorruit ab extrema capitis pœna. Quapropter et legibus suis sancivit ; ut vel pro clericis, quos per degradationem ob gravissima flagitia ejiceret et brachio seculari traderet, judices ecclesiastici efficaciter intercederent, ut, *citra mortis periculum, sententia* temperaretur. L. v. decret., t. XL, *de verb. signif.* c. XXVII.

[1] Cfr. Nat. Alex. *Hist. eccl.* sec. IV. c. III, art. IV, § V; Sozom. l. II, c. XXXI.

[2] Ita ap. Theodoretum, *Hist. eccl.*, l. II, c. XXVIII.

[3] Zacc., l. I., epocha I, a. II.

[4] L. I. ad ann 398. n. 13.

synodum coegit Episcoporum, quæ *Alexandrina* passim inscribitur : in hac synodo lecti fuere libri Origenis et *consensu omnium condemnati.*

Rei ab eodem Theophilo certior factus, Anastasius Papa, illico convocat Episcopos, et Origenem simul et doctrinam et libros ejus damnat. A quo et admoniti Chromatius Aquileiensis, et Venerius Mediolanensis metropolitæ, pariter adunatis synodis, Origenem et libros ejus proscribunt.

Episcopi etiam Cypri, a Theophilo excitati, lectionem librorum Origenis damnant; et s. Epiphanius, communicato ipso synodi decreto, tum aliis, *tum Constantinopolitano Episcopo* (s. Joanni Chrysostomo) *suadet, ut synodum convocent et eadem decernant* [1].

Quin et s. Hieronymus, olim Rufino junctus amicitia, quod Origenis libros latinos fecerat, in eumdem calamum acuit, et insuper, contra Origenistas eorumque libros, imperiale provocat edictum; ut ipse, in libro *contra Rufinum,* testis est.

43 Paullo post, anno scil. 405, consultus ab Exsuperio, Tolosano Episcopo, Innocentius I, transmisit canonem divinarum scripturarum, una cum indiculo scriptorum apocryphorum novi testamenti, *quæ non solum*, ait, *repudianda; verum etiam noveris esse damnanda* [2]. Non igitur a canone tantum librorum sacrorum repelluntur; sed et in se, ut perversa, jubentur damnari.

Hanc quidem epistolam Wernsdorffius, post Cocum, ad falsas Isidori merces amandandas ait; sed immerito, cum pluribus collectionibus Isidoro antiquioribus inserta legatur.

44 S. Augustinus etiam aliique, in Africa Episcopi, anno 416, Innocentio supplicarunt; ut librum Pelagii damnaret et apostolica auctoritate efficeret; quo Pelagius, vel negaret suum esse, vel doctrinam, quæ illo continebatur, retractaret. Quantumvis autem Innocentius non ipse scriptum condemnaverit, ratus expedire ad eorum, qui seducti jam fuerant, conversionem; ut Pelagius ipse reprobaret; respondit tamen, illud opus *a quovis damnandum atque calcandum* [3]; non alio sane, quam ipso naturæ jure; sic manifeste innuens, duplici perversos libros affici posse condemnatione, positiva una, naturali altera.

45 Patres Ephesini, an. 431, deposito Nestorio, libros ejusdem ab Imperatoribus Theodosio et Valentiniano quidem damnari, pro majori utilitate, postulant : suam tamen potestatem etiam exse-

[1] Sozom., l. VIII, c. XIV.
[2] In t. III, op. s. Leonis, ed. Ballerin.
[3] Ap. Const. Epist. Rom. Pont. col. 905.

runt, debita sententia afficientes, librum Massilianorum, qui dicebatur *Asceticon. Similiter, adduńt, si quid, illorum impietatem sapiens, apud plerosque inveniatur, etiam hoc anathema sit* [1].

46 Anno 346, s. Leo m., detectis, in Urbe, plurimis Manichæis, incendi fecit eorum codices, quorum magnæ moles fuerant interceptæ [2]; et an. seq. 447, contra libros Priscillianistarum scribens ad Episcopos Hispaniæ, ait : « Curandum est et sacerdotali » diligentia maxime providendum; ut falsatos codices, et a sincera » fide discordes, *in nullo lectionis usu habeantur* : apocryphæ autem » scripturæ, quæ, sub nominibus Apostolorum, habent seminaria » falsitatum, non solum interdicendæ sunt; sed etiam penitus au- » ferendæ atque ignibus concremandæ... Unde si quis Episcoporum » vel apocrypha habere *per domos* non prohibuerit, vel... hæreticum » se noverit judicandum [3]. » Quin et neque inter catholicos censeri vult eum, qui legerit tractatus cujusdam Dictinii, juxta Priscilliani dogmata conscriptos.

47 Sequuntur, annis 448, 449, 452 et 455 novæ Imperatorum Theodosii, Valentiniani et Marciani leges, quibus ad rogum damnantur libri Nestorii et Porphyrii, et quicumque editi aut edendi contra fidem Nicænam, et Ephesinam : item quæcumque scripta fidem Nestorii ac Theodoreti continentia; libri insuper Eutychianorum et Apollinaristarum.

48 Anno 496, prodiit celebre, in hac materia, decretum, a Gelasio Pontifice in synodo septuaginta Episcoporum editum; cujus primæ parti hic apud Labbeum [4] præmittitur titulus : « Ordo librorum veteris testamenti, quem sancta et catholica Ro- » mana suscipit et veneratur ecclesia, digestus a beato Gelasio » Papa I, cum septuaginta Episcopis » recensentur deinde libri canonici.

Post horum catalogum legitur : « Gelasii Papæ decretum cum « 70 Episcopis habitum, de apocryphis scripturis » in variis codicibus habetur : *de recipiendis et non recipiendis libris* : sequitur mox præclara sententia de primatu, divinitus ecclesiæ Romanæ collato; super quam petram, post sacras scripturas, totum ecclesiæ ædificium est constructum. Recensetur deinde ordo trium, quæ tunc agnoscebantur, sedium patriarchalium, Romanæ, Alexandrinæ et Antiochenæ : exinde texitur catalogus quatuor conciliorum gene-

[1] Act. VII, t. III.

[2] Prosper, in *chronico*.

[3] Ep. ad Turibium, c. XV et XXI.

[4] T. IV, p. 1260. Exstat etiam integrum apud Zaccariam ad hunc annum.

ralium, ss. Patrum, aliorumque veterum scriptorum; quorum libri suscipiendi sunt, et legi permittuntur; quamquam non omnium eadem sit auctoritas: ut patet ex restrictionibus, passim appositis; in quibus et hæc d. Pauli monitio occurrit : *omnia probate; quod bonum est tenete.* Quin et obvia sunt scripta quædam auctorum in ecclesiam rebellium; ut Origenis, Rufini aliorumque; sed cum debitis, ut dictum est, limitationibus.

Tandem in parte tertia, cujus hæc est inscriptio, *notitia librorum apocryphorum, qui non recipiuntur*, recensentur quam plurima apocrypha; actus, evangelia, revelationes, epistolæ, passiones ss. Martyrum, opuscula quorumdam hæreticorum et tandem additur : « Hæc et omnia his similia, quæ Simon magus... et omnes hæretici » eorumque discipuli sive schismatici docuerunt vel conscripse- » runt, non solum, ut repudiata; verum etiam ab omni Romana » catholica et apostolica ecclesia eliminata, atque cum suis aucto- » ribus, auctorumque sequacibus, sub anathematis indissolubili » vinculo, in æternum confitemur esse damnata. »

49 Occurrit quidem illico Zegerus Vanespen [1], contendens sermonem hic esse de lectione, quæ fiebat in ecclesiis, publica; a qua depellere voluit Pontifex, ait, quidquid sublestæ esset fidei : illud vero quod dicimus indicem librorum, privatim prohibitorum, non esse antiquius anno 1546; quo, jussu Cæsaris similem indicem confecit, inquit, sacra facultas Lovaniensis.

At ne ita statuatur; manifeste vetat integer decreti textus. Quid enim necesse fuisset, a synodo declarari; scripta Montani, Fausti, Manichæi, Arii, Macedonii, Nestorii aliorumque, quos pridem ecclesia simul cum scriptis suis anathemati devoverat, omniumque hæreticorum et schismaticorum scripta non debere Romæ publice prælegi in conventibus fidelium? An forte Espenius docuerit; fuisse aliquando fideles, in doctrina Christi institutos prælectione scriptorum hæreticorum?

Nec minus id evincunt, quæ in decreto leguntur, ad *scripta de inventione crucis dominicæ*.... « Hæc, dicitur, cum *ad catholicorum* » *manus* pervenerint, b. Pauli apostoli præcedat sententia : *omnia* » *probate, quod bonum est tenete.* » Quibus verbis per catholicorum manus Espenius intelligit cœtus ecclesiasticos, et qui eis mode-

[1] *Jus eccl. Univ.* P. I, t. XII, c. IV, n. 1 et seqq. Sequitur quidem Espenius, quoad hoc præcise factum, alios, eosque non minimi nominis auctores : Mabillonium, Fontaninum... sed rationes eorumdem funditus evertit cl. Zaccaria; et sententiam, unice veram, iis munit argumentis, quæ, nullum linquere videntur dubio locum. Confer ipsius Zacc. l. I, ad ann. 496.

randis ab ecclesia præficiuntur. Hæc sane, donec ab Espenio probentur, gratuito nemo prudens admittet.

At inquit Espenius : « ideo non leguntur, ex tenore decreti, scripta, in tertia decreti parte recensita; quia eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur; et ab infidelibus et idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta putantur,» hæc vero, ait, de prælectione publica intelligenda veniunt; ut manifestum fit his decreti verbis : « Ceterum, qui libri, in eccle» siasticis officiis, per anni circulum, a nonnullis legantur, pro fi» delium ædificatione, adnotandum censuimus. »

R. Dupliciter errat, hoc loco, Espenius : primo quidem, esto verba isthæc posteriora in decreto Gelasii legerentur, non probarent, quod vult Espenius; siquidem ex ipsa ejus lectione expresse ad lectionem in ecclesiasticis officiis *publicam* restringantur; quod ipsum innueret in aliis decreti locis, de lectione *privata* sermonem esse : sed ista verba nequaquam pertinent ad Gelasii decretum; solus illa legit Gratianus : hic autem post secula, Gelasii decreto eadem subtexuit ex s. Gregorio VII, qui officio ecclesiastico, in novam formam redacto, decreto huic Gelasiano distributionem librorum scripturæ et ss. Patrum ex norma breviarii Romani adjecerat.

Errat secundo, seu potius in errorem inducit Espenius; cum verba, priori loco adducta, quæ in secunda decreti parte, de libris suscipiendis leguntur, applicat libris, tertia decreti parte declaratis apocryphis et adeo non recipiendis, hac gravi præcedente censura : « Cetera, quæ ab hæreticis sive schismaticis conscripta » vel prædicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica » Romana ecclesia; e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt » et a catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.»

Præterea nullo prorsus jure, sed arbitrio suo Espenius ultima isthæc decreti verba : « A catholicis vitanda sunt» restringit ad lectionem *publicam*. Nedum hoc conficiant, quæ producit decreti verba, contrarium ea ipsa prorsus evincunt. Hoc autem ut manifestum sit, scil., illis ipsis verbis de *privata* etiam lectione sermonem esse, audiamus integrum loci contextum. «Item (venerabiliter recipienda » decernimus) gesta sanctorum martyrum.... Sed ideo secundum » antiquam consuetudinem, singulari cautela, in sancta Romana » ecclesia non leguntur; quia et eorum qui conscripsere, nomina » penitus ignorantur; et ab infidelibus aut idiotis superflua, aut » minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur; sicut » cujusdam Quirici et Julitæ.... Propter quod, ut dictum est, ne vel » levis subsannandi oriretur occasio; in sancta Romana ecclesia

» non leguntur. » Unicuique, ni fallor, statim in aprico est, de *privata* lectione intelligendum esse, quod venerabiliter suscipienda declarentur; quæ tamen, quia non satis sunt authentica, e publicis excluduntur officiis.

Ergo, quidquid dicat Espenius, non solum lectionis *publicæ*, sed *privatæ* etiam materiam determinat decretum; et tertia decreti pars, quæ recenset opera, quæ simpliciter sine ulla restrictione *a catholicis vitanda* declarantur, non de lectione *publica* solum; sed simpliciter, ut verba jacent, de lectione quacumque, etiam *privata*, est intelligenda. Quidquid igitur dicat Espenius exhibet nobis decretum Gelasianum verum librorum, tam probatorum, quam legi etiam privatim vetitorum, iudicem; qua quidem libros privatim prohibendi ratione prædecessores habuit Gelasius s. Leonem m. et ipsum concilium. Nic. I (n. 37 et 46).

50. Longius tamen procedunt alii : 1° Wernsdorffio edictum illud dudum apud doctos et sinceros homines fidem omnem amisit, ut barbarum et rude, certeque spurium opus, quod nomen Gelasii fraudulenter mentitur, atque ex eadem officina Isidori mercatoris, cum epistolis Pontificum decretalibus prodiit [1]. Idem jam opponebat Guilielmus Cavus. 2° Saltem concilio V, œcum. recentius esse; nec Gelasio, sed incerto auctori tribuendum contendit Pearsonius [2]. 3° Damnationem Arnobii, Lactantii Clementisque Al. a doctrina et judicio Gelasii clerique Romani longe distare plures clamitant.

R. ad I. Viderint Cavus et Wernsdorffius; an Bellarminus, Labbeus, Harduinus aliique canonum collectores; viderint; an duo Pagii [3]; an Natalis Al. [4]; an Card. Norisius [5]; an Doujat [6]; an Benedictinus Lironius [7]; an Erasmus, Frölich [8]; an Ballerinii [9]; an etiam Dupinius [10]. *Docti sincerique haberi* non valeant; dum concordi sententia decretum hoc genuinum, pronuntiant, fidem secuti plurimorum codicum seculo nono antiquiorum! tales sunt, testibus Balleriniis, collectio *Lucensis Colbertina* patris Mansi, Gelasio fere

[1] P. 8. *Commentationis hist-criticæ de fide hist-critica librorum Maccabaicorum.*

[2] *Vindic. epist. s. Ignat.* p. I, c. IV.

[3] Ant. *in crit. Baron.* an. 494. Franc. *in vit. Pontt. ad Gelasium.*

[4] *Hist. eccl.* sec. 5, c. V. a 18.

[5] *Cenotaph. Pisan.* diss. IV, c. II, § I.

[6] *Prænot. juris. can.* l. II, c. XXIX, § 20.

[7] *Les aménités de la crit.* t. I, p. 1.

[8] *Anal. rer et reg.* Syr.

[9] *Observ. in opera card. Noris.* l. II, c. XII.

[10] *Bibl. eccl.* t. III, p. II, pag. 270.

coæva; pretiosissimus codex *Palatinus* 493 apud Fontanini; codex *Diessesius*, ex antiquiori fonte confectus, mediante seculo VIII. aliique plures [1]. Nec desunt auctores Isidoro antiquiores, qui decretum memorent : Ricarius, auctor chronici abbatiæ Centulensis, in Picardia, narrat, an. 831, monachos, jussu Ludovici Pii, recensuisse bibliothecæ suæ libros; quorum unus referebat decretum, *Gelasii Papæ de Libris recipiendis et non recipiendis*. Ansegisus etiam, abbas monasterii s. Germeri, ante 823, abbatiæ suæ donavit codicem cui titulus : *in evangelio s. Matthæi ejusdem* (s. Hieronimi), *continens in eodem, decreta Gelasii Papæ de libris recipiendis et non recipiendis.*

51. R. ad 2[m] nunc quidem non tanti interest, modo genuinum sit sedis apostolicæ oraculum: an ad Hormisdam, initio sec. VI; an potius ad Gelasium, sub finem sec. V; an forte ad Damasum versus finem sec. IV, sit referendum. Certe omnes codices et auctores omnes, concilio V œc. anterius esse, concorditer testantur. Porro Gelasio codices plerique, iique fidelissimi, attribuunt; eidem abjudicandi nulla est ratio. Damasum quidam proferunt; sed plerique codices, ejusdem nomine insigniti, posteriorem partem decreti Gelasiani non habent; ut merito existimetur hæc pars, aliis quibusdam codicibus superaddita, retento auctoris prioris partis nomine. Hormisdam assignant alii codices, iique sat numerosi sed pauciores numero : quod ortum videtur ex eo, quod consultus hic Pontifex ab Episcopis Hispaniæ, circa lectionem librorum, remisisset decretum Gelasii P.; cui, ne suspicarentur Hispani, silentio reprobata concilia Hispanica et Africana, addidit clausulam generalem de aliis, præter quatuor illa œcumenica, conciliis; et duas, vel tres novas insuper pericopas; quæ pariter in plerisque codicibus antiquioribus desiderantur. Exinde autem factum fuerit; ut decretum in Hespaniis passim sub nomine Hormisdæ circumferretur; dum interim illa additamenta in externa quoque reciperentur exemplaria, retento primævi auctoris, Gelasii, nomine [2].

52 Ad 3[m] respondet de Marca [3] : vario modo proscribi varia ; « quum non tantum figmenta hæreticorum veniant in hunc cen- » sum; sed etiam opuscula tractatorum, in quibus sunt nævi qui- » dam » ex quibus utique fit; ut, non sine cautela, in omnium debeant dari manus.

[1] *Atti di Lipsia* del 1690, pag. 311.
[2] V. Zacc., l. I, ad an. 496.
[3] *De Conc.* l. III, c. II, n. 7.

Ex allatis modo primitivæ ecclesiæ factis colligere licet unicuique; quam falso Boehmerus asserat [1] : « Non ex principiis veræ » religionis, sed impiæ persecutionis hunc morem, libros religioni » dicatos exurendi profluxisse, » eumque « abhorruisse ab insti- » tutis primitivæ ecclesiæ; quæ magis adhortationibus, piisque » monitis, quam ulla vi coactiva usa legitur... (addit) Apostolos » Episcopos presbyterosque dehortatos fideles fuisse....; sed, ait, » hæc improbatio tantum fuit doctrinalis. » Certe librorum exustionem jam pridem in ecclesia usurpatam vidimus, (n. 35 et 46); vidimus et prohibitiones plures, ab ecclesia et Pontificibus primitivæ ecclesiæ sancitas. (Cfr. nominatim n. 37, 46 et 48). Miserandam utique religionem Christi;quæ post septemdecim, demum secula, verum didicit à Boehmero Christi spiritum!

Castigandus hic etiam venit Durand de Maillane; qui (*Dict. du droit can.* art. *livres*) primam librorum prohibitionem positivam a Leone X, profectam scribit; omnemque, quæ eumdem Pontificem præcessit, librorum reprobationem ac fugam juri naturali ac divino attribuit. Hoc ipsum procul amandant, quæ huc usque disputavimus et innumera quæ porro enarrabimus facta; quibus utique concilia, synodi; Pontifices, Episcopi non tantum, quæ plerosque, pro suo cujusque periculo, stringebat, juris naturalis ac divini obligationem; sed, quod ad unum omnes afficeret, legis suæ positivæ præceptum urgebant.

53 Constabilita nunc, contra salutaris disciplinæ agressores, antiquissimorum ecclesiæ seculorum praxi, liceat celerius subsequentia tempora percurrere, plurima [2] negligendo; quædam hinc inde breviter perstringendo; quo pateat eumdem semper et ubique in ecclesia Christi viguisse spiritum.

In ecclesia Gr., anno 536., synodus Constantinopolitana, sub Menna patr., damnavit omnes Severi, Petri, Zoaræ aliorumque libros, dicens : *Abjicimus et anathemate ferimus omnia ab ipsis conscripta* [3].

54 Scripta quoque *Theodoreti* adversus S. Cyrillum, libros *Theodori Mopsuesteni* et *Ibæ* epistolam proscripsit Vigilius P.; quæ ipsa,

[1] In l. v decret. tit. vii, n. 89.

[2] Mirari merito quis posset, quod illis etiam ignorantiæ seculis, totidem circa noxiæ lectionis libros documenta prodierint; cum vix essent, qui litteris operam darent, et vel legere callerent; nisi qui, e status sui officio, aliis docendis destinarentur : sed id maternæ ecclesiæ sollicitudini tribuendum; quæ ubi major erat ipsius etiam cleri ignorantia; studiosius quoque providit; ut periculum ab ipsis populi doctoribus severis amoveretur statutis.

[3] Actione i.

paullo post, Constantinopolitanum II^m^, an. 553°, igni tradidit; et, si quæ superessent exemplaria, ea legere sub excommunicatione vetuit[1].

55 In Hispaniis concilium Braccarense I, can. 17., anno 563, edixit : « Si quis scripturas, quas Priscillianus secundum suum de- » pravavit errorem, vel tractatus Dictinii legit aut defendit, ana- » thema sit. »

S. Gregorius M. Anastasium, in quodam Isauriæ monasterio presbyterum, functionibus suis restitutum noluit; priusquam promisisset, ultra non legere librum hæreticæ pravitatis plenum, quem penes ipsum inventum, Joannes Constantinop. Pontifici detulerat[2].

Lateranensis, sub Martino I synodus, an. 549., his statuit verbis : « Si quis non respuit et anathematizat, anima et ore omnes, » quos respuit et anathematizat nefandissimos hæreticos, cum » omnibus impiis eorum conscriptis, usque ad unum apicem, sanc- » ta Dei ecclesia; et cum illis denuo scelerosum *Typum*.... hujus- » modi condemnatus sit.[3] »

56 In concilio Constantinopolitano III., œcumenico VI., anno 680., de eorumdem Monothelitarum scriptis legitur : « Prævidimus » profana et animæ perniciosa; continuo ob perfectum externi- » nium igne concremari. Et combusta sunt.[4] »

57 Concilium Nicœnum II^m^, an. 787.[5], proscriptis quibusdam Iconoclastarum libris, addit: *Anathema illis libris, et eis, qui legunt.* Gravissime quoque in transgressores animadvertit : « Si vero quis, in- » quit, inventus fuerit hæc (scripta, contra venerabilium imaginum » cultum edita) occultare, siquidem Episcopus aut presbyter, vel » diaconus fuerit, deponatur; si vero monachus aut laicus, ana- » thematizetur. »

58 Quin et apud ipsos Nestorianos, hic antiquus ecclesiæ mos probandi aut condemnandi destruendique libros invaluit. Cujus rei testis est locupletissimus, Timotheus, catholicus Nestorianorum; qui, an. 800., edidit constitutionem synodalem; qua inhibet novos libros, expositiones aut interpretationes edere; nisi ab ipso catholico probata existant[6].

59 Nota est quoque simultas in Gallia exorta, seculo IX. mediante,

[1] Apud. Nat. Al. sec. VI, cap. 3 et in sec. VI. diss. 3.
[2] S. Gr. m. l. V epist. ed. vet.
[3] Act. V. ap. Labb. t. VI, col. 335.
[4] Act. XIII. ib. col. 384.
[5] Act. II.
[6] Eam const. refert Assemanus in comment. suo Italico : Hist. chronol. de catholicis seu patriarchis Chaldæorum et Nestorianorum.

in causa damnationis capitulorum Scoti Erigenæ et quatuor capitulorum, Carisiaci editorum.

60 Recitari quoque meretur quod occasione schismatis Græci, an. 866., locum habuit. Invictissimus Pontifex, S. Nicolaus I., acceptis ab Imperatore Orientis, Michaele, ardentissimo schismatici Photii defensore, litteris, tam ipsi quam sedi apostolicæ maxime injuriosis, eas quidem Imperatori fraudulenter adscriptas; aut, ad minus, subdole ab eodem extortas, supposuit : exegit tamen, ut ipse Imperator, conquisitum aliquod illarum exemplar, publice, hoc modo se ipsum purgaturus, et sanctæ sedis honorem restituturus, comburet; quod ni faceret, eidem minatus est « ip- » sam epistolam in stipite, videntibus cunctis, suspensam, sup- » posito foco, ad vituperium vestrum coram omnibus nationibus » extremæ perditioni » donare [1].

Post duos annos, Adrianus II., misso ab Imperatore Basilio, altero, quem vaferrimus Photius, quasi a quadam synodo subscriptum ediderat, libro; mox Episcopos convocat, ad quos ita loquitur : « Æque ut illa (hæreticorum et schismaticorum figmenta) perpetuo » anathemati duco subdendum; et, contemplantibus cunctis, et » præcipue Græcorum legatis, igni traditum, in cineres quoque » conjicio redigendum; quatenus nec simpliciorum puritas illius » contagione polluatur; nec fidelium mentes hujusmodi colluvione » quoquo modo saucientur [2]. » Sequitur sententia in ipsam synodum, quam Photius celebratam asserebat : « Ipsius exsecranda » gesta, dicitur, quibuscumque habeantur monumentis inserta.... » penitus abolenda decernimus; ita ut igni voranda tradantur, et » anathemate perpetuo percellantur [3]. » Dein Adrianus cum concilio decernit : « Quamdiu post notitiam hujus apostolicæ sanctio- » nis sibi perlata monumenta vel exemplaria ipsius exsecrandi con- » ciliabuli penes se quispiam retinens celaverit,.... tamdiu, ana- » themate constrictus, communionis Christi munere careat. » Ad Basilium vero sequentibus verbis rescripsit Pontifex : « cuncta de- » cernimus exemplaria (Photii), prorsus a possessoribus ablata, » igne cremari; nec superesse apud quemlibet ex his unum apicem; » nisi forte quisquis totius nominis Christiani dignitate, anathemate » perculsus, carere voluerit [4]. »

Acta vero synodi illius Romanæ confirmavit concilium œcumenicum VIII., Constantinopolitanum IV.; quod etiam ipsum solemniter

[1] Ep. 9. ap. Labb, t. VIII, col. 346.

[2] Labb., t. VIII, col. 1091.

[3] Ib. col. 1093.

[4] Ap. Beyerling verb. *Dedecus* litt. *f*.

in vase æneo combussit, in media Patrum sessione, ingentem numerum chirographorum undique conquisitorum; nominatim, quæ contra Nicolaum P. et s. Ignatium patr. congesta fuerant.

61 Supervacaneum duco, inter innumera particularium locorum statuta, illa memorare; quibus scripta Joannis Erigenæ, Berengarii, Abailardi aliorumque, repetitis vicibus, proscripta fuere.

An. 1120, in ecclesia Orientali, Leo patriarcha in Concilio Constantinopolitano, combussit libros Constantini Chrysomali; quos deinceps vetitum omnibus fuit legere et tenere [1].

Notari quoque merentur, quæ contigere, anno Christi 1148. Eugenius III, in concilio Rhemensi, ut narrat Godfridus, monachus Cestellensis, in epistola ad card. Ep. Albanensem [2] « de assensu » totius ecclesiæ, quæ convenerat, capitula ipsa (Gilberti Porreta- » ni) damnavit; districte præcipiens, ne eumdem librum legere vel » transcribere, etiam sic reprobatum, quis auderet; nisi prius eum » Romana ecclesia correxisset. »

Nicolaus quoque Muzalon, patr. Constantinopolitanus, flammis dedit, eodem anno, quamdam vitam s. Parasceves, ut scribit Balsamon, super can. 63 concilii Trullani.

In concilio Parisiensi, an. 1204, *libri* (Davidis a dinando) *jussi sunt omnes comburi; et, sub pœna excommunicationis; cautum est in eodem concilio; ne quis eos de cetero scribere, legere præsumeret vel quocumque modo habere* [3].

62 Anno 1209, librum Joachimi abbatis scriptum contra Petrum Lombardum, profligavit concilium œcumenicum Latèranense IV^um^. Sed præstat silentio premere Galias, quæ sibi in alliis continuo, per hæc tempora, successere librorum proscriptiones, in concilio Paris., anni, 204, et altero, anni 1209; in Sennonensi 1225 : prætermittere etiam, quæ apud universitatem Parisiensem, Gregorius IX, et apud s. Ludovicum Innocentius IV. egerunt contra libros Talmudicos; quæ Alex. IV, an. 1259, apud Episcopum Parisiensem et universitatem, contra *Tractatum brevem novissimorum temporum* Guillielmi a s. amore; et quæ iterum in Galliis statuere concilium Arelatense 1260, Episcopus Parisiensis 1276, et, paucos infra annos, iterato et tertio Episcopus Parisiensis; Senonensis item, et Inquisitores fidei tam in Gallia, quam in Arragonia.

63. Anno Domini 1327, Joannes XXII, proscripsit librum Marsilii Patavini, cui titulus *Defensor pacis*, quo electionis Ludovici Bavari,

[1] Ap. Allatium, *de eccl. occ. et or. perpet. consens*, l. II.

[2] Ib. col. 1125.

[3] Ita Rigordus, *de gestis Philip. ap. Petav.* in prolog. c. III, n. 8, et ap. Nat. al.

in Imperatorem, patronum agebat ille pseudo-politicorum pater.

64 Post plures, tum Romæ, tum alibi gentium, prohibitos libros, an 1282, Joannes Wicleffus, instante Romano Pontifice, Urb. VI, retractatis erroribus, libros suos ipse flammis tradidit : Henricus IV autem « maximorum conciliorum auctoritate constituit.... ne quis » damnatos libros apud se retineat [1]. »

Et in eadem Wicleffistarum causa, synodus provincialis Oxoniensis, anno 1408, sub Thoma Cantuariensi, can. 6, statuit his verbis : « Ne libellus aliquis, compositus per magistrum Joannem Wi» cleff, legatur in locis quibuscumque, nisi fuerit approbatus. » Post canonem cavet concilium; ne ullus tractatus, per quemcumque compositus, aut componendus, legatur, in locis quibuscumque; nisi per universitatem recensitus, et ab Episcopo probatus. « Quod » si quis, inquiunt Præsules, libellum vel tractatum hujusmodi in » scholis vel alibi, ut supra, legerit,..... ut seminator schismatis, » atque fautor hæresis puniatur [2]. »

Concilium Constantiense, an. 1415, postquam confirmaverat synodi Romanæ, sub Joanne XXIII, contra Wicleffum, ejusque libros acta ; etiam ipsam prohibet librorum et articulorum *lectionem, doctrinam, expositionem.... omnibus et singulis catholicis sub anathematis interminatione* [3] : fuit autem citatum decretum per bullam, *Inter cunctas*, confirmatum a Martino V.

65 In statu Veneto, an. 1459, Nicolaus Francus, sanctæ sedis legatus, inhibuit [4] imprimere quemcumque librum, in materia fidei aut rerum ecclesiasticarum; nisi obtenta prævie Episcopi licentia, aut approbatione; idque sub excommunicationis censura.

Alexander VI etiam, licet ejus vita minime præcellenti, quam gerebat, dignitati congrueret; ut alias, quotiescumque de fidei aut morum agebatur integritate, hic quoque saluberrimum dedit decretum : inaudiens enim, irrepsisse in diœceses Coloniensem, Trevirensem, Moguntinam et Magdeburgensem perversos libros imprimendi abusum, constitutione, *Inter multiplices* ita statuit : « Om» nibus et singulis dictæ artis impressoribus, et illorum obsequio » quomodolibet insistentibus, et se circa eorum imprimendi artem » quoquo modo exercentibus, in provinciis prædictis degentibus, sub » excommunicationis latæ sententiæ pœna.... auctoritate apostolica, » præsentium tenore, districtius inhibemus; ne de cetero libros, » tractatus aut scripturas qualescumque imprimere, aut imprimi

[1] Ita legitur in *Hist. Wiclef.* Nic. Harpsfeld. c. XVII.

[2] Labb., t. XI, col, 2039.

[3] Sess. XIII ; ap. Labb. t. XII, col. 48.

[4] Ap. Rayn. ad ann. t. 1459, n. 29.

» facere, quoquo modo præsumant; nisi consultis prius super hoc » Archiepiscopis.... »

66 Anno vero 1613, Leo x, in sess. x. concilii Lateranensis v, sacra approbante synodo, sequentibus edixit : « Ordinamus quod » de cetero perpetuis futuris temporibus, nullus librum aliquem, » seu aliquam quamcumque scripturam, tam in urbe nostra, quam » in aliis quibusvis civitatibus et dioecesibus imprimere seu impri- » mi facere præsumat; nisi prius, in urbe, per vicarium nostrum » et s. palatii magistrum, in aliis vero civitatibus et diœcesibus » per Episcopum vel alium habentem peritiam scientiæ libri, seu » scripturæ hujusmodi imprimendæ, ab eodem Episcopo, ad id » deputandum; ac inquisitorem hæreticæ pravitatis civitatis sive » dioecesis, in quibus librorum impressio hujusmodi fieret, dili- » genter examinentur, et per eorum manu propria subscriptio- » nem, sub excommunicationis sententia, gratis et sine dilatione » imponendam, approbentur. Qui tamen secus præsumpserit, ultra » librorum impressorum amissionem et illorum publicam combu- » stionem, ac 100 ducatorum fabricæ Principis apostolorum de » urbe, sine spe remissionis, solutionem; ac anni continui exerci- » tii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia in- » nodatus existat [1]. »

67 Bulla sua, *Exsurge, Domine*, an. 1520, idem Leo x, condemnatis 35 ex Luthero propositionibus, omnia ejusdem Martini Lutheri opera flammis addicit, et, sub pœnis, contra hæreticos a ss. canonibus statutis, prohibet; ne fideles scripta, etiam præfatos errores non continentia, « ab eodem Martino quomodolibet condita vel » edita, vel condenda vel edenda; vel eorum aliqua, tamquam ab » homine orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehementer suspecta, » et ut ejus memoria omnino deleatur de Christi fidelium consor- » tio legere,.... tenere quoquo modo præsumant [2]. »

In Galliis synodus provincialis, Parisiis habita, an. 1528, sub Archiepiscopo Senonensis provinciæ (unde et Senonensis audit aliquando) vetuit sub pœna excommunicationis « sententiæ latæ; ne » qui, cujusque conditionis aut status exsistant, prædicti Lutheri » libellos; aut qui ab eo et suis sequacibus prodiisse asseruntur, » deinceps comparent, habeant et circumferant : » et *in decretis de moribus*, c. xxxiii, prohibetur omnis impressio librorum de fide aut moribus ecclesiasticis, sine Episcoporum permissione. « Contra fa-

[1] Ap. Labb., t. xiv, c. 257, et passim ad calcem decretorum conc. Trid.

[2] Ap. Rayn. ad ann 1521, n. 37.

» cientes, dicitur, ipso facto, sententiæ excommunicationis sub-» jaceant [1]. »

68 Liceat hic gradum sistere; quoniam ea, quæ modo sequuntur, ad disciplinam ecclesiæ modernam spectant; quam, ut speciali cap. latius prosequamur, instituti nostri ratio postulat. Hæc ipsa est disciplina quam a calumniis hæreticorum defendendam suscepimus : quapropter accuratius et singulatim varia illius capita exponenda et vindicanda sunt. Eamdem vero disciplinam, adstruendo, quem negabant hæretici, libros prohibendi usum, a primis Christianismi seculis ad recentiora tempora, substantialiter eumdem in ecclesia, ab impacta novitatis injuria prævie purgare debuimus.

Hoc loco tamen compleri, siquidem operæ pretium responderet, argumentum posset; qua complectitur hæreticorum praxin et consensum; cujus abundans nobis suppeteret materia apud ipsum Boehmerum [2] et apud Gretzerum [3]; quos curiosus adeat lector. Docet ibidem Boehmerus, nominatim, n. 102, omni modo destruenda scripta genuinæ religionis eversiva; idque firmat ex ipsis actis Corporis evangelici, et ex praxi statuum principumque protestantium. Et quidni insistant homines illi vestigiis præclarorum, a quibus nomen habent, magistrorum suorum? Etenim Lutherus integrum edidit opus : *de abolendis pravæ doctrinæ libris* [4]. Calvinus non solum ejulabat adversus malos libros [5]; sed etiam auctor fuit, ut Michaël Servetus una cum libris suis, Genevæ combureretur.

Hoc tamen notandum; apud hæreticos nostros, contra illam, quam vidimus modo cunctorum ecclesiæ seculorum praxim, publicam tantum prohiberi librorum lectionem, aut retentionem, nullatenus autem privatam; exceptis tamen, ut docet idem Boehmerus [6], libellis famosis. In rebus religiosis, aiunt, vis con-

[1] Labb., t. XIV, col. 442.

[2] *In l.* V *decr.*, tit. VII.

[3] *De jure et more prohibendi libros malos.*

[4] Ap. Steidanum lib. II. Doctrinæ facta adjecit Lutherus; cum jus canonicum publice combussit. Factum ita refertur, t. II *lat. op. Luth.*, ed. Witt. 1546; p. 129. « Agminatim est itum ad combustionis locum.... Atqui ibi magister » quispiam haud incelebris, rogum exstruxit, ac succendit, impositis anti-» christianis decretalibus per eximium d. Martinum Lutherum : addita etiam » est et bulla papistica; nuper exhibita; quam idem Martinus Lutherus in » ignem conjecit; hisce verbis prolatis : *Quia tu conturbasti sanctum Domini,* » *ideoque te conturbat ignis æternus.* Quo facto rediit in urbem eximius vir » d. Martinus. »

[5] Braschius, *de libr. eccl.*, t. III, c. XXVI, n. 5.

[6] Loco cit. n. 115.

scientiis non est inferenda; agitur hic de indagatione veritatis, circa quam primario occupatur intellectus, qui imperio ligari nequit : quapropter doctorum committendum est zelo; ut, quod condamnatio publica fori externi non attingit; ipsi *simpliciores a lectione privata dehortentur.*

Verum hæc argumenta, si quid probarent; etiam probarent contra prohibitionem libellorum famosorum; quorum exceptio insignem hominis aut inconsequentiam aut malam fidem, clara exponit luce. Si namque libri, in famam alienam involantes, quod perdere in animis nostris justam de proximo existimationem valent, prohiberi etiam privatim possint; quidni et ea, quæ perdere in animis nostris religionis sensum morumque honestatem possunt, scripta? Eadem utrobique ratio militat : enimvero utrobique intellectus veritatem indagat; et quemadmodum in libellorum famosorum, ita et in librorum aliorum prohibitione, nulla conscientiæ infertur vis, ut religionem quis amplectatur nolens; aut abjiciat, quam retinere cupit : nec ligatur aut cogitur ullo modo intellectus : sola, post justa credendi et obediendi data motiva, inducitur, non cogitur voluntas; ut noxia fugiens, profutura quæque amplectatur; quo intellectus, quod probe rationale ac vere philosophicum est, sponte convincatur sua [1].

Porro non miramur apud hominem, protestantium imbutum præjudiciis, tantam subito vim privato cuilibet doctori suboriri; ut quod ecclesia non possit, privatus quisque facile suos a librorum lectione dehortetur; cum communi calculo, cujusque etiam indocti rationem, sub specioso *spiritus privati* titulo, vel alio quocumque nomine, fastuoso infallibilitatis tripode subliment [2]. Quæ quidem necessaria eis fuere imbecillitatis humanæ fulcra; postquam auctoritatem ecclesiæ, divinitus institutam, omnibusque et privatis et publicis, et divinis et humanis subsidiis nixam munitamque repudiarunt; et omnem conscientias legibus ligandi potestatem sustulerunt, contra evidentissima Christi Domini verba;

[1] Cfr. *Introduction philosophique à l'étude du christianisme*, par Mgr l'archevêque de Paris. (éd. de Louv. p. 64) ubi notat ill. Archipræsul; quam foret intimæ religionis christianæ, quæ Deum in spiritu et veritate docet adorare, naturæ adversum, conscientias cogere ad cultum mere externum : ecclesiam adeo monstrat, persuasionis via, propagantem religionem Christi ; cui tamen humanitati, nedum sint adversæ, conformes imprimis habendæ sunt, quæ fraudulentam plebium seductionem præcavent, leges.

[2] Cfr. ex d. Malou, t. I, p. 96 et seqq. ubi hanc esse protestantium, etiam modernorum, doctrinam, allatis quamplurimis eorumdem textibus, invicte probat.

qui hanc immo ecclesiæ suæ potestatem nullis limitatam aut præpeditam voluit terminis, dicens : « Quæcumque alligaveritis super » terram erunt ligata et in cœlo [1]; » et « qui vos audit me audit, » qui vos spernit, me spernit [2]. »

Conveniunt igitur nobiscum hæretici, tam moderni, quam antiqui quoad principium : malos scilicet, libros destruendos esse; dissentiunt autem priores in ejusdem principii applicatione, quia de vera nobiscum dissident Christi ecclesia, de qua hujus loci non est latius disputare.

69 Vidimus itaque multiplex, a fide nostra, argumentum; vidimus omnimoda rationis momenta; et quoad longissime poterat mens nostra respicere spatia præteriti temporis, inde usque repetentes, vidimus sensum et praxim omnium seculorum; vidimus consensum omnium gentium ac religionum; vidimus, quæ traditio primitivæ ecclesiæ; quis sensus sanctorum Patrum, in statutis synodalibus adhuc vivus; vidimus quæ mens et praxis tot Pontificum et tot conciliorum generalium; quis spiritus ecclesiæ ab initio usque nunc, in varia, pro temporum, locorum personarumque circumstantiis, disciplina, idem semper perseverans, licet diversa vigens actione : atqui horum omnium una vox est; perversos, scilicet, libros et suapte natura maxime periculosos et vitandos esse; et positiva lege prohibendos : liceat igitur, cum illustrissimis Belgii nostri Episcopis concludere : « L'esprit de vérité, que J.-C. » a promis à son église pour toute la durée des siècles, a donc » parlé par sa bouche! J.-C. qui a promis de demeurer tous les » jours jusqu'à la fin du monde avec ses Apôtres et avec leurs » successeurs, les Souverains Pontifes, et les Évêques, a donc » hautement manifesté sa volonté suprême [3].

Proferamus tamen et æqua pensemus libra, quod tanto argumentorum ponderi tantæque auctoritati opponi posse credidere promiscuæ perversorum librorum lectionis patroni : magis inde rationabile videbitur nostrum in ecclesiam et saluberrima ejusdem præcepta obsequium, novumque, confido, expositis jam argumentis robur accedet.

OBJECTIONES.

70 Nota I. Plures hæreticorum incredulorumque cavillationes in lucubrationis decursu occupare et refellere studui; tum quod

[1] M. XVIII, 18.
[2] L. X, 16.
[3] *Instr. past.*, § 2.

illis suis locis occurrerent principia, iis dissolvendis apta; tum quod hac ratione tædiosum per longas objectionum series flexum aliquantisper levandum putarem : innumera quippe sunt, quæ adversum istas, quas vindicandas suscepi, ecclesiæ doctrinam disciplinamque congessere hostes nostri : persentiebant enim non alio felicius errores suos peti telo; quam si ipsis suis libris, omnis ad fideles aditus præcluderetur. Integris itaque voluminibus hic decertarunt [1]; integrisque voluminibus responsum iisdem fuit [2]. Ex his igitur præcipua in compendium contraxi, et quia : *intelligenti pauca*, valde breviter exposui : quod eo etiam minus feci invite, quo minus in eo oleum operamque perdere, videri possemus omnes : enimvero superba hominum gens, omnis impatiens jugi, re pene eadem, variis loco et tempore, adversus sacrosanctam molitur religionem : ut hic congestas contueri liceat quam plurimas, quæ etiam nunc in dies in sanctam religionem nostram contorquentur, garrulæ rationis difficultates.

71 Nota II. Pleraque, quæ in contrarium urgentur ab adversariis nostris, ubi ad fundamentales theseos nostræ rationes conferuntur, illico corruere conspiciuntur : unicum v. g. argumentum, e periculo communi fidei morumque depromptum, vel una, quæ satis est vulgata, herbæ venenosæ, appositis dapibus insertæ, comparatio, elidunt fere quidquid adversus ipsam librorum prohibitionem movent adversarii.

72 Nota III. Sæpe etiam thesim nostram, quæ de jure ac potestate est, directe non impugnant adversarii : *in factis hærent*, et verborum aculeis iisque quæ dicimus, *personnalités;* quæ partim quidem alibi convenientius tractabuntur [3]; partim vero negligenda

[1] Exstat Danielis Fransci *Disquisitio academica de papistarum indicibus librorum prohibitorum et expurgandorum*, in 4°; Jacobi Laurentii *Dissert. theologica de libris gentilium... permittendis ac tolerandis; protestantium vero prohibendis, abolendis ac comburendis*, in-12. Videndus etiam Boehmerus, in l. v, decretalium, tit. vii, qui sane palmam, suo in omne, quod Romanum sonat, odio præripuisse videtur.

[2] Zacc. *Storia polemica*... l. ii, c. iii et viii; Gretserus, *De jure et more prohibendi malos libros*, Theoph. Raynaudus. *Erotemata*...; s. Alph. de Lig. diss. *de justa prohib*... c. iv. Cfr. etiam, *les mauvais livres, les mauvais journaux et les romans;* item *Conférences prêchées à la cathédrale de Liége, par le P. Dechamps, 1re conf.*

[3] Præsertim c. iv, quo proprius est locus eorum, quæ adversus prohibitiones, prout ab ecclesia Romana recentius prodierunt, inferuntur; cum hic potius quæstionem in abstracto consideremus. Cum tamen adversarii ipsam librorum condemnationem cum Romana scriptorum censura fere confundant; aut saltem virus, quo turgent, quocumque dato loco, evomant; non

et contemnenda visa sunt; quoniam aut manifesta impotentis iræ (quæ garrit multum, probat nihil) argumenta præ se ferunt; aut a thesi quam longissime absunt; dum continuo abludunt ad puncta doctrinæ, nos inter et heterodoxos controversa; quæ immo sibi adjudicata ponunt [1].

Ex quo etiam errore plura argumenta nostra cassis evertere nituntur objectionibus; non intelligentes; nos, quoties producimus usum principum, consuetudinem ethnicorum, ipsorumque etiam hæreticorum et similia, non absolute concludere, quasi ab exemplis, agnitis ut legitimis; sed ex communi, apud omnes recepta sententia, de necessitate pravos, circa religionem aut morum doctrinam, libros destruendi procedere; licet plures in ejusmodi veritatis applicatione aberrent [2]. Probent igitur, quod probatum semper supponunt : ecclesiam scilicet, Romanam, in determinatis doctrinæ punctis, abs primævo Christi dogmate deflexisse; vel brevius, Romam nihil aliud esse quam Babylonem; apud ipsos vero perseverare integrum fidei depositum, et credimus eis. Nos certe

licuit ita utriusque quæstionis limites, in afferendis prætensis difficultatibus, servare, ut nihil ab una ad alteram quæstionem transferendum censeremus : hoc enim oportunum aliquando duximus; tum ut adversariorum, in eodem genere, rationes, pressius cumulatæ, ideoque omnem vim suam exserentes, nullatenus minui aut timeri viderentur ; tum ut uno quasi ictu citius conficerentur; neque sæpius eadem aut similia repetere cogeremur responsa.

[1] Francus, v. g. n. 170, multis contendit; libros quidem, qui jus naturæ lædunt aut religionem impetunt Christi, vel etiam bonum politicum tantum, recte aboleri; non vero qui adversantur ecclesiæ Romano-catholicæ : in quo errat de ipso quæsito. Et hinc quæcumque ibidem, in seqq., profert argumenta ac vibrat dicteria, in cassum contra Romanam diriguntur ecclesiam.

Hoc quoque si in animum inducere potuisset, seu potius, voluisset Jacobus Laurentius, non tantopere illi commota bilis fuisset contra Gretserum; qui, in catholicorum gratiam, librum ediderat; in quo, supposita religionis catholicæ veritate ac demonstratione, jus ac morem *prohibendi, expurgandi et abolendi libros hæreticos commendaverat.* Huic alterum ille librum opposuit, titulo : *Dissertatio theol. de libris gentilium... et pontificiorum permittendis ac tolerandis, protestantium vero prohibendis, abolendis ac comburendis;* in quo iisdem, quibus Gretserus libros hæreticorum insectatus fuerat, pugnat argumentis, verso tantum protestantium pro catholicorum themate : at non advertens, quod hic jam disputet cum iis, qui fide ab ipso dissident, oleum perdit operamque; dum supposita reformationis protestanticæ legitima origine, suadere conatur; libros nostros potius fuisse comburendos, Protestantium vero permittendos; id quod facile ipsi largiemur ; si reformationis, legitime factæ, non indubia protulerit argumenta. Sed hic nodus, hic labor est.

[2] V. Francum eod. cap.

Catholici non solum singula, quæ tenemus dogmata, suis quæque locis, stabilimus et ad compendium, divinam ecclesiæ catholicæ missionem et infallibilem veritatis, in ea, cathedram, ab omni prorsus erroris invasione securam, invicte demonstramus. Sed ad objectiones.

73 Obj. 1 *ex auctoritate.* 1° Apostolus, 1. *ad Thess. c. V,* 21, fidelibus præcipit dicens : *omnia probate: quod bonum est tenete.* In materia, nostræ prorsus simili, versabatur Apostolus : agebat namque de prophetiis, quibus fideles, in publicis eorum conventibus, instruebantur. Neque dicas; exclusive ad superiores ecclesiæ Thessalonicensis dirigi hæc verba; cum Hormisdas P., ep. 70, ad Possessorem ; et Gelasius, in decreto, de libris apocryphis, ea de fidelibus interpretentur : « Non legentes incongrua, ait prior, in » culpam veniunt, sed sequentes : quod si ita non esset, numquam » doctor ille gentium acquievisset nuntiare fidelibus : *omnia probate; quod bonum est tenete.* » « Cum hæc, ait alter, ad catholi- » corum manus pervenerint; Pauli ap. præcedat sententia : *omnia* » *probate*; *quod bonum est*, *tenete.* » Ex quibus etiam conficitur Pontifices illos censura sua libros notasse, non stricte, singulis eos prohibendo; sed commonendo de cautela, legentibus adhibenda.

2° Proferuntur dicta et facta ss. ecclesiæ Patrum. In schola Alexandrina, testante s. Greg. Thaumaturgo, *or. paneg. Orig* , discipuli instituebantur, nihil repudiare, nisi quæ atheorum essent. S. Hier., *ep. ad Mimer. et Alex.*, ait : « Meum propositum est » antiquos legere, probare singula, et retinere quæ bona sunt. » Dionysius Alex., hæreticos legebat; et hanc suam praxim, ut licitam vindicabat [1]. Theophilus etiam, Alexandrinus patriarcha, quos ipse prius damnaverat, Origenis libros, postea plenis amplexatus est ulnis, ut narrat Eusebius [2]. S. Augustinus etiam ad calcem *l. contra sermonem Arianorum* ait : se ad omnia respondisse, quæ illo sermone continebantur; quod ut explorare valeant omnes, qui desiderant, « huic nostræ disputationi, ait, (sermonem ipsum), præscri- » bendum putavimus; ut prius legatur ipse, ac deinde nostra » responsio. » Ex quibus 1° conficiendum est, tam scripturarum sententia, quam ss. Patrum praxi novitiam hanc librorum proscriptionem condemnari. Saltem 2° non existit illud, quod prætendimus præceptum legis naturalis; quo libros hæreticorum legere sit vetitum.

74 R. 1. ad 1. Contextus totus satis innuit, illam epistolæ ad

[1] Ap. Euseb. *Hist.*, l. VIII, c. VI.
[2] Hist. l. VI, c. XV.

Thessalonicenses pericopen, quæ a v. 14 ad finem dicti capitis excurrit, saltem principaliter dirigi ad superiores ecclesiæ Thessalonicensis; quibus utique proprium est, quod ibidem præcipitur (v. 14) corripere inquietos, et (v. 27) curare, ut epistola legatur omnibus fratribus. At esto; dirigantur verba intermedia etiam ad simplices fideles : sane agebatur ibidem de prophetiis probandis in communi cœtu; adeoque calculo communi, et debita cum subordinatione, erga eos, qui cœtui præsiderent, ecclesiæ ministros.

Neque alia fuit mens, summorum Pontificum Hormisdæ et Gelasii I : certe neuter existimavit; ecclesiam non posse certa scripta, fidelium examini subtracta, prohibere; cum uterque, in locis citatis, expressis terminis opera quædam absolute vetet. Ceterum hi Pontifices verba Apostoli non litteraliter interpretantur; sed utcumque ad suum applicant scopum. Hormisdas reprehendit Possessorem; quod ipse, Episcopus cum esset, et hæresi obviare deberet; nimium sibi timens, in libros inquirere detrectaret; quia, ait, non legentes incongrua, in culpam veniunt, sed sequentes. Gelasius vero, allatis verbis, nequaquam indulget fidelibus, discutere quæ ipse decreto suo inhibet opera. Contextus manifeste declarat; verba objecta tantum applicari scriptis quibusdam, de quorum authentia dubitabatur; quæ, quia pie conscripta, et a nonnullis catholicis lecta, ipse Pontifex indulget quidem; non tamen sine cautela monet esse legenda.

Breviter : Apostolus 1° alloquitur presbyteros ecclesiæ. 2° Non agit de libris debite examinatis et rejectis. Hormisdas scribit ad Episcopum. Gelasius permittit codices, quos testatur pie scriptos; at monet, omnia probare; quod minus sint authentici. Nullus agit de libris; nocivis et ab ecclesia reprobatis, promiscue permittendis.

75 R. 11, ad 2 cum Azorio [1] : Juxta plures, non fuit tum, generali ecclesiæ lege, prohibitum hæreticorum libros legere. Breve tamen post intervallum generalis hujuscemodi sancita fuit disciplina : non solum enim, ut Suarez (de fide, disp. XX, § 2, n. 15); Ferraris (*Bibl.*, ad vocem, *libri prohib.*, in art. fin. § 3), et Zaccaria (ad ann. 599), ex s. Gregorio m. docent, damnato auctore, damnabantur ejusdem libri et scripturæ omnes, in quibus errores essent, quorum causa damnabatur; sed etiam in decreto Gelasii 1, ut notabamus (n. 48), omnia hæreticorum et schismaticorum perversa

[1] T. I, moral. l. VIII, c. XVI; cui opinioni etiam favere videtur card. Bellarminus, *de controv.*, t. II, l. III, *de laicis*, c. XX, in f. dicens : « Nullam tunc » *fortasse* fuisse legem universalis ecclesiæ, sed solum consuetudinem de non » legendis libris hæreticorum. »

scripta vetabantur : quod tamen ipsum decretum, utpote in synodo particulari conditum, non videtur saltem tam cito per orbem catholicum vim habuisse. Hac temporum locorumque distinctione conciliandi videntur, qui, in speciem, contraria sentiunt, doctores; quorum aliqui, quod vetera ecclesiæ monumenta ad manum haud haberent, hic a vero aberrasse videntur; ut Martinus Becanus; qui, post A Castro, generalem librorum prohibitionem demum, anno 1550, a Julio III, latam fuisse, autumatur [1].

Si autem præceptum generale istis tempore et loco fuerit; eo exempti fuerint, aut saltem exemptos se crediderint, qui, juxta objectionem, libros hæreticorum pervolvebant clarissimi viri; ob necessitatem utique eosdem impugnandi : quo titulo plures ad legendum etiam obligari poterant; juxta celebrem canonem concilii IV Carth. « Episcopus gentilium libros » non legat; hæreticorum autem, pro necessitate et tempore. » Scimus aliunde; quam iidem illi Patres, quorum nobis obtruditur exemplum, necessarium ducerent, hæreticorum libros a fidelium manibus amovere : nota sunt S. Hieronymi adversus Ruffinum acta; quod libros Origenis latinos fecisset. Ipse Theophilus Al. Origenis opera primus proscripserat, et eos, qui probarent gravi reprehensione dignos censebat [2].

Dein esto quidam forte imprudenter egerint, aut peccaverint; id nihil probat contra legem, aliunde certam. Theophilum, patriarcham Al. propter librorum lectionem, omnium incurrisse odium, repulsis, quas allegabat, rationibus, scribit Socrates [3]. Ex quo patet; si strictum tunc ecclesiæ præceptum nondum adfuerit; saltem passim male audiisse hujuscemodi lectionem, quasi de jure ipso naturali periculosam; saltem specie malam et scandalo aliorum obnoxiam. Quare plures sancti viri non sine justis faciendum censuere rationibus. S. Hieronymus obmurmurantium querelis suæ agendi rationis purgatione occurrendum putavit [4]. Dionysius etiam a quodam fratre, ex presbyterorum ordine, prohibebatur; ne eorum scriptorum cœno involveretur, et perderetur anima ejus, ut scribit Eusebius [5]. Apud quem tamen ipse Dionysius fatetur quidem vera dixisse fratrem illum; animum namque suum impurissimis cogitationibus quassatum; sed propter utilitatem et necessitatem id invito sibi tolerandum declaravit.

[1] Theol. schol. tr. de fide, c. XV, q. VIII, n. 3.
[2] Socr. *hist.*, l. VI, c. VII.
[3] L. VI, c. XV.
[4] Ep ad Mimer. et Alex.
[5] Hist. l. VII, c. VI.

76 R III, ad concl. Nego consequens et consequentiam, quoad utramque partem.

Licet vera essent, quæcumque in antecedente dicuntur; non dum sequeretur id, quod in conclusionis priori parte enuntiatur. Cum enim librorum prohibitio res disciplinaris sit, certe potuit, forte, pro circumstantiis, debuit ecclesia recentiori tempore statuere, quod antea minus erat necessarium. Enimvero numquid pravæ lectionis discrimen, utut primis etiam seculis agnitum, et minus erat commune, et minus imminens, nec modo constanter observatum? An eadem, quæ hodie est, etiam tunc erat libros comparandi facilitas? Eadem apud plebem litterarum notitia? Idem legendi studium? Eadem afflata populis temeritas? Ridiculum igitur est, nec responsione dignum, quod Daniel Francus, n. 48, postulat, ut doceamus primis illis ecclesiæ seculis « Fidelibus » ullius libri vel auctoris lectione, sub pœna excommunicationis » latæ sententiæ, a quoquam fuisse interdictum. » Sufficit nobis, etiam antiquæ ecclesiæ suffragia quærentibus, ostendisse; quod, illa quoque ætate, agnita fuerint perverso lectionis pericula; id quod ipse Petrus Suavis, hist. conc. Trid. l. VI, p. 427 (apud eumdem Francum, n. 49), expressis fatetur verbis.

Nec minus absonum est, quod (n. 50) Francus ventitat: scilicet; saltem orthodoxorum lucubrationes numquam, priscis illis temporibus, fuisse prohibitas. Quid enim? Fuerint vel non fuerint umquam prohibiti catholicorum libri; si hodie reperiantur offendere bonos mores; aut disseminare errores; fovere schismata..... non poterit ecclesia, quod tum potuisset? Aut non faciet; quod tum circumstantiæ, ut idem fieret, non postularint?

Alteram conclusionis partem quod attinet; nec nos umquam diximus libros hæreticorum semper, seu respectu omnium jure naturæ vetari; largimur in casibus particularibus, de quibus in obj., potuisse eorumdem licere lectionem. Si quando lex ista fuerit neglecta; prævaricatio non probat contra legem.

77. Obj. 2 *ex inutilitate prohibitionum.* Similes librorum censuræ nequaquam desideratum attingunt scopum; quin contra sæpius videre est; quod liber vetitus eo jam plus legatur, quod excitata animorum curiositas pabulum quærat; neque aliud offerri possit, aviditati hominum magis sapidum; *nitimur* enim, ait vetus proverbium, *in vetitum : punitis ingeniis,* inquit Jacobus Laurentius [1] ex Tacito, *gliscit auctoritas ;* et reapse legitur in opera Carpentoriana (p. 337) quidam librarius de industria provocasse prohibitionem

[1] In concl. n. 1. Ei concinit Boehmerus, *in lib.* v *decr.* t. VII, n. 74.

in opus aliquod, quo illius promptuaria premebantur : ea vero obtenta non solum illico distraxisse, quæ gravabant, obscuri olim operis exemplaria; sed ad novam quoque adornandam editionem inescatum fuisse. Rem ingenue fatentur Expurgatores Duacenses; dum in censura Bertrami profitentur, metuere sese : « Ne liber iste » non solum ab hæreticis, verum etiam ab immorigeris quoque » catholicis, ob interdictum, avidius legatur, odiosius allegetur, et » plus vetitus, quam permissus noceat. »

78. R. ad ant. dist. Prohibitio librorum ad finem propositum inutilis, immo eidem ex adverso tendit, *aliquando*, *per accidens*, *apud certum hominum genus;* C. Generatim pessimus hic exitus prospici potest; dum ipsa, quæ sententiam dicit, auctoritas minus habetur sacra aut ex toto viluit apud populum. Hinc sæpius principum secularium proscriptionem funestum ejusmodi sortiri videmus effectum; quia populi suspicantur minus rectum ad edicta stimulasse studium. Si etiam auctoritatis sacræ prohibitionem viri, ceteroquin boni, nonnumquam transgrediuntur, excitata per prohibitionem curiositate; id eorum est culpa : censorum tamen etiam prudentiæ est; speciales pensare circumstantias, ut discernant, quantus prævideri debeat rei, de se bonæ, abusus.

Semper et per se inutilis ac nociva est librorum prohibitio. Nego : etenim vel 1° subditi sunt bene affecti, quales plurimi inter catholicos. Et isti quidem, per præceptum moniti, ex animo obedientes, eximuntur omni periculo.

Vel 2° minus bene dispositi obmurmurant quidem; sed ex timore pœnæ abstinent salubriter a lectione, quæ incautos fuerat perditura.

Vel denique 3° impii, scandalosi, nec minimum legi delaturi videntur : atqui vel hi ipsi subinde salutari remorsu absterrentur. At esto non avertantur; saltem, ut scribit Pallavicinus [1], etiam illorum respectu « Pravorum librorum interdictio duo simul affert » emolumenta : alterum quod metus hujus notæ, suis paginis » inurendæ, complures cohibet ab scribendis evulgandisque : alte» rum quod eadem injecta, venditioni prohibitio, typographos re» tinet ab ipsis imprimendis, et bibliopolas a coemendis. Hinc fit, » ut seges maligna, ex cultorum penuria, paullatim rarescat et arescat; et styli torcularia et officinæ alliciantur ab utilitatis esca » ad se in operibus utilibus exercenda. »

Hæc probe norunt adversarii nostri : secus non tot volumina, ad

[1] *Hist. conc. Trid.*, l. XV, c. XVIII, n. 3.

hanc a se indicis plagam avertendam, scriptitassent : non lamentatur, qui ægre non habet.

Liceat responsionem claudere verbis ejusdem Card. Pallavicini[1] « Minor est noxarum frequentia in locis, ubi præter eam lectionem, » quæ tamquam perniciosa ex se aut otiosa cognoscitur; adeoque » naturæ lege prohibetur, in noxam pariter generatim migrat, ob » ecclesiasticam institutionem, lectio pravorum librorum; quam » ubi eadem lectio noxa non est. Etenim plura et graviora peccata » vitantur, dum innumerabiles homines, ex obedientia ab hujus- » modi libris abstinentes, vivunt expertes damni, in quod ipsos » imprudenter pertraheret ea lectio; quam, quæ committuntur eo, » quod aliqui curiositate pellecti legem transgrediuntur [2]. »

79 Obj. 3 *ex jure libertatis.* Unicuique, ipso jure naturæ, competit 1° *libertas opinionum*, seu libertas, pro lubitu, cogitandi, inquirendi, judicandi; 2° libertas quoque communicandi aliis suas opiniones, voce aut scripto; seu libertas artis librariæ (*liberté de la presse*); 3° quæ libertates, cum olim tyrannice proscriptæ fuissent, a potestate tam sacra, quam profana; nuper variis locis, ingenti omnium plausu, lege civili in integrum restitutæ fuerunt : 4° eas vero catholici admittunt quidem, ut facta, necessitate compulsi; at, repugnante conscientia; cum eas, ex ipsis religionis suæ principiis, diris devovere debeant : 5° nemo autem non videt; quantopere concessæ nunc, jure civili, libertati adversetur, illa, quam catholici extollunt, librorum carnificina.

80 R. *Prænotandum.* Omnes hi, quibus indies impetimur de violata libertate, clamores, ut adnotant ill. Belgii Præsules (*Instr. past.* § 4 *ad* 1), nituntur æquivocatione vocis *libertas;* quæ modo *jus* denotat, modo *facultatem seu potentiam* faciendi. Ut igitur ob-

[1] L. c.

[1] Hoc perpendisse juvasset dominum Peignot; qui in oratione procœmiali sui *Dictionnaire crit. litt. et bibliogr. des principaux livres condamnés au feu*, p. 2, ita scribit : « On sait que ces sortes d'entraves n'ont ordinairement » produit d'autre effet, que d'irriter les passions, et rendre plus audacieuse » une plume, qui convertissait secrètement en licence, la liberté qu'on lui » refusait publiquement. »

Laudatus auctor, licet non *ex professo* potestatem ecclesiasticam invadat; suam tamen in curiam Romanam bilem semper continere non valuit, ut patet ibidem, p. XXI. Quam autem suo sit præfidens judicio, ad excessum Gallicanismi principiis mancipato, liquet ap v. Fleury.

Hæc quoque si animadvertisset Failletus, procul dubio, reformato paullisper judicio, non scripsisset : « Je ne sais comment il est arrivé jusqu'ici, que » ces sortes d'indices aient apporté si peu d'utilité et de secours. » (Jugements des savants, t. II, p. I, p. 46.)

jectionem depellamus, accuratius distinguendus multiplex, qui fingi possit, harum vocum, *libertas cogitandi et scribendi,* sensus.

1° Libertas proprie dicta et naturalis cogitandi et scribendi est nuda cogitandi scribendique facultas, seu potentia.

2° Eadem libertas considerata ut jus hominis, qui liber est; qui legi non subjicitur; seu cujus naturalis libertas lege non limitatur; si completa est, describi potest : jus utendi suis facultatibus, quod fingitur nulla lege limitatum.

Potest autem eadem cogitandi et scribendi libertas, qua jus est hominis seu ejusdem non subjectio legi, concipi incomplete et quidem, tripliciter; unde totidem novæ significationes vocis, *libertas.*

3° Igitur cogitandi scribendique libertas est jus, seu liceitas respectu legis naturalis et divinæ : sic jure naturæ liber sum scriptum edere de mathesi, vel in favorem religionis.

4° Est liceitas coram ecclesia, seu immunitas a lege ecclesiastica.

5° Liceitas seu impunitas coram lege civili.

Demum sexto a quibusdam hodie fingitur aliud libertatis simulacrum : independentia, nempe a regulis artis, logicæ ipsiusque etiam grammatices.

Primam libertatem sola impedit coactio et necessitas naturalis. Eam, cum mera sit facultas, nulla attingit lex; nec divina nec humana. Per eam quilibet homo, sui compos, liber est, ut scripta quævis edere et legere; ita et publicos veneno fontes inficere, et palam latrocinari. De hac libertate nulla hic potest esse quæstio. Leges quæcumque, quæ hujusmodi facultatis usum ligant, moraliter illam moderantur, non physice impediunt : illam ergo respiciunt, non qua facultas est; sed qua in sequentibus consideratur ut jus libertatis seu non-subjectionis.

De tertia libertatis specie pariter quæstio moveri non potest. Quod enim jure naturali aut divino facere vetitum est, nulli populorum mores, nullæ principum constitutiones licitum reddunt.

Ex quo ipso liquidum est nec de libertate, secundo loco descripta, hic agi posse; quatenus per illam etiam homo et subtrahi poneretur legi positivæ divinæ, et non ligari ipsis, quæ rationem nostram constituunt, juris naturalis legibus.

De 6° libertatis figmento hujus quoque loci non est dicere (vide supra n. 20 et seqq., et hic obj. 4).

Manet itaque libertas 4° et 5° sensu accepta. De hac intelligi debet, quidquid nobis ab adversariis objicitur.

Est autem libertas sic accepta bonum homini naturale; cujus in genere morum usus tum bonus, tum etiam malus esse potest. Illam libertatem lædit tyrannis quæcumque sive religionis prætextu,

sive boni politici nomine; sive etiam bonarum artium specioso titulo exercita.

Homo *naturaliter* liber est cogitare et scribere quæ vult, sicuti et in civilibus *naturaliter* liber est. Improprie tamen diceretur, *jure naturæ,* liber; sicuti improprie quis diceretur, *jure naturæ,* inire posse contractus, qui jure civili irritantur.

Libertas hæc, naturalis homini, restricta non intelligitur; nisi superveniente lege. Potest autem restringi duplici modo : primo, *coercitive;* dum, post factum, puniuntur libertatis abusus, per artem librariam commissi. Secundo, *per leges prohibitivas* (lois préventives) quibus abusus futuri seu prævisi caventur.

Tametsi autem maxima hic, pro temporum et locorum adjunctis, cernatur legum, tam ecclesiasticarum quam civilium, varietas; tamen illimitata illa, quam plures jure ipso naturæ nixam prætendunt, artis librariæ libertas; aliud nihil est, quam luxuriantis rationis adinventio. Enimvero tenetur respublica, nedum sacra, sed etiam civilis, suo tamen, quæque modo (cfr. infra c. II) legis naturalis observantiam salubribus statutis, prout circumstantiæ suaserint aut permiserint promovere. Unde consequens est; teneri quoque, per se loquendo, si id pro rerum adjunctis expediens visum fuerit, prævisos libertatis abusus, lege lata præcavere ; an autem lege prohibitiva, an repressiva tantum, superiorum disjudicandum est arbitrio; qui, pro sua prudentia, dispiciant; qua via securius et propius ad eum sperent pertingere, ad quem contendere tenentur, scopum. Eadem ratione naturalem homini, in rebus civilibus, libertatem jus gentium et leges civiles arctarunt. Atque hoc est, puto, quod ss. d. n. Gregorius P. XVI litteris suis encyclicis 15 aug. 1832 decisum voluit, cum dixit : « Plena illa atque » immoderata *libertas opinionum*, in sacræ et civilis rei labem late » grassatur, dictitantibus, per summam impudentiam, nonnullis; » aliquid ex ea commodi in religionem promanare..... Huc spectat, » inquit, deterrima illa ac numquam satis exsecranda et detesta- » bilis *libertas artis librariæ,* ad scripta quælibet edenda in vulgus, » quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. »

Quo vero loco ejusmodi Pontificis sententia a catholicis sit habenda; docet nos alia, quam idem ss. Dominus, post biennium, 25 scil. jun. 1834, dedit, epistola encyclica, incipiens: *Singulari nos;* in qua legitur : « Quam (catholicam doctrinam) memoratis nostris » litteris, tum de debita erga potestates subjectione, tum de ar- » cenda a populis exitiosa indifferentismi contagione, deque frenis » injiciendis *evaganti opinionum sermonumque licentiæ...,* pro aucto- » ritate humilitati nostræ tradita, definivimus. » Et hæc quidem

nominatim de illimitata libertate civili; quam quidam oportune, importune, tanto strepitu inclamabant, intelligenda veniunt. (Plenam libertatem ecclesiasticam, de qua postulanda nemo ullus cogitabat, præ civili abnormem fore, per se manifestum est.)

Est autem hæc ss. d. n. Gregorii definitio, principium morale, seu regula, quæ per se loquendo, seu generatim, et abstrahendo a circumstantiis, semper et ubique vera quidem est; non tamen in omnibus rerum adjunctis est applicanda : fieri namque potest, et his diebus nostris sæpe accidit; ut leges, quæ libertatem hanc restringerent, potius nocerent quam prodessent. Nemo autem dixerit, homines bono naturali, ad bonum et ad malum morale in se indifferenti, propter prævisos etiam enormes abusus, lege lata, privandos esse; si legis effectus malus potius futurus prævidetur, quam bonus [1]?

Nec solum id verum est; ubi subditi catholici a gubernio sibi vindicant aut conservari sibi postulant libertatem; quæ alias, sive agente sive permittente tantum potestate civili, per injuriam quidem, non minus tamen vere et realiter, in favorem tantum cederet malorum : sed etiam obtinere id potest; cum princeps catholicus (v. g. ethnicis imperans aut hæreticis) aut gubernium catholicum, novit; leges libertatis restrictivas (si quæ ferantur, præsertim prohibitivæ) nocituras potius fore bono spirituali subditorum, quam profuturas [2].

Notum est; in patria nostra viros quosque optimos, dudum et etiam nunc post præfatam s. Pontificis definitionem, non modo sine scrupulo præstare; sed et religiosissime servare juramentum de servanda constitutione, eamdem illam illimitatam opinandi scribendique libertatem sanciente; idque legitima et summa ad hoc habita auctoritate [3].

Notum est nuper variis in regnis, vel postulante vel plaudente clero catholico, eamdem illam libertatem fuisse concessam, una cum aliis connexis libertatis juribus, idque in manifestum

[1] Cfr. ill. Episcopi Lingonensis præclarum opus : *Cas de conscience* (15e cas, éd. de Louvain, p. 96 et suiv.)

[2] Huic assertioni nostræ manifeste suffragantur, quæ in laudato opere, ill. Episcopus Lingonensis enucleat et stabilit principia. (Premier cas, 2e prop., éd. de Louv. p. 11 et suiv.)

[3] V. *Exposé des vrais principes sur l'instr. publ*, p. 257—8 et 261, ubi ill. auctor non solum pro constitutione nostra hodierna, sed et pro illa 1815, ad expressum provocat ipsius s. Pontificis assensum. Cfr. *Collectio epistolarum pastor. decretorum... diœc. Mechl.*, t. I, p. 400.

jam, variis saltem locis, religionis bonum. Sanctissimus etiam d. n. Pius IX abrogavit, pro ditione pontificia, censuram *civilem* [1] prævium (Cfr. Constit. Rom., art XI, in collect. *Journ. hist.*, XV, p. 27) multis tamen legibus repressivis, quod loci circumstantiæ permittebant, atque omnino exigebant, artis typographicæ libertatem restrictam voluit. (Cfr. Loi du 3 Juin, 1848, in coll. *Revue cath.* III, p. 226). Quam certe concessionem pontificiam nemo cautus reprehenderit; nisi qui securus asseverare possit; scientiam se habere conditionatorum, et sese certo intueri obtutu; quid factum fuisset; si ss. Dominus nihil quidquam genio seculi indulsisset. Verum est; in singulari principiorum applicatione falli ecclesia potest; et Pontifex: verum quis sine temeritate eorumdem, in rebus incertis, sibi judicium sumat? His præmissis,

81 R. ad 1. Dist. Unicuique naturaliter competit *libertas opinionum*, *libertas cogitationis;* scilicet, immunitas cogitationis a lege civili et etiam aliquo usque a lege ecclesiæ C. cum etiam ecclesia, qui societas externa, actus mere internos probabilius directe non attingat. *Competit libertas cogitandi perfecta;* seu libertas etiam a lege naturali et divina N.; cum jus nemini esse possit cogitandi, judicandi et credendi; secus atque lex naturalis ac divina de religione ac morum doctrina sentiendum præscribunt. Unde et tam severis indifferentismumreligiosum verbis in eadem encyclica insequitur idem Greg. XVI. Porro ridiculum est hic, ubi de libris prohibendis agitur, invocare, quod plures absurde faciunt, hanc *cogitandi libertatem.*

82 R. ad 2. Naturaliter competit unicuique *libertas scribendi (liberté de la presse)*. Dist. Immunitas a jure positivo tam civili, quam ecclesiastico; donec tamen illa fuerit a debita auctoritate juste vinculata; C. Ita ut a debita potestate restringi juste non possit; vel libertas a jure naturali et divino N. : semper enim malum fuit, et adeo prohibitum, ea sermone vel scriptis vulgare, quæ aliis essent scandalo. Illam vero etiam, quæ naturaliter competit, libertatem a lege humana, non tollit quidem, sed juste limitat lex positiva; quemadmodum et dominium rerum temporalium, seu libertatem utendi-fruendi rebus suis, non tollunt tot leges, quæ illam juste restringunt, aliæque innumeræ leges civiles, libertatis nostræ naturalis restrictivæ atque adeo præexistentibus juribus nostris in speciem contrariæ. Hujusmodi jura, jura quidem sunt; sed multis obnoxia conditionibus; ita ut a cujuscumque societatis superiore, pro eo, in quo versatur, jure et officio, suam providis statutis conser-

[1] Huic tamen censuræ civilis immutationi, pro iisdem statibus pontificiis accommodata fuit lex canonica de prævia librorum censura. Cfr. litt. encycl. 2 junii 1848, in coll. *Revue cath.*, t. III, p. 264.

vandi et promovendi communitatem, limitari lege possint et sæpe debeant.

83 R. ad 3. De libertate cogitationis jam satis dictum est. Illa numquam fuit læsa, nec adeo restitui debuit. Ad id vero, quod libertas artis librariæ ab utraque potestate tyrannice proscripta fuisse dicatur; resp. dist. Si absque auctoritate, aut justo deficiente motivo, prohibitionis leges et decreta lata fuisse probaverint adversarii C. : secus N. Jam vero confidimus, nos partim omnigenis argumentis evicisse, partim vero, congruis adductis rationibus, evicturos; prohibitiones librorum, ab ecclesia latas, quas unice defendendas suscepimus, tyrannidis taxari haud posse. Si libertas artis librariæ non fuit læsa; nec debuit sarciri. Certe in vanum potestas quæcumque temporalis attentaret evertere leges, quas ecclesia de re spirituali et sui præcipue juris (confer. C. II) constituit. Postliminio itaque restituta tantum est, quæ diu compressa fuerat, (an pro circumstantiis jure, an injuria, hic non discutimus); libertas civilis, quæ mera est coram tribunali civili impunitas [1].

84 R. ad 4. De libertate opinionum nulla amplius potest esse quæstio. Qui vero hæc pro libertate artis librariæ nobis oggerunt, sæpe nesciunt ipsi de qua libertate garriant; neque intelligunt, quid sit libertas. Integrum igitur est eis respondere : nos veram ac genuinam amplecti libertatem [2], quæ evolvendis in religionis splendorem, in reipublicæ utilitatem atque bonarum artium scientiarumque profectum facultatibus hominum tam est amica : detestari vero tam libertatis tyrannicam oppressionem, sive religionis, sive boni politici specie exercitam, quam funestum pretiosi ejusmodi doni abusum; atque adeo etiam propugnare justas, quibus abusus præcaventur, leges. Quin immo et, annuente Roma, admittere quoque,

[1] Quam turpiter plurimi occasione hujus, quæ inducta fuit, impunitatis civilis, voce libertatis abutantur, ut simplicibus librorum prohibitionem abrogatam suadeant; sæpius oportunum fuerit cum ill. Belgii Episcopis (loco cit.) plebi inculcare.

[2] Et ne quis hæc a nobis ita dici forte miretur; animadvertat, quæso, veram populorum libertatem ipsi sacro-sanctæ religioni nostræ in acceptis esse referendam. Cum enim gravissima ubique dominaretur tyrannis, venit Jesus et mundum docuit, reddenda quidem, quæ Cæsaris erant Cæsari; at etiam, quæ Dei, Deo; atque obediendum conscientiæ et Deo magis quam hominibus; et ecce altera fuit in mundo auctoritas, a principe independens, conscientiæ scil. privatorum. Quæ quidem ipsa manumissio omnis, quæ enucleata exinde fuit, libertatis primum exstitit principium, et imago prima. Cfr. Balmès, *le protest. comparé....* ch. XXI, XXII et XXIII; Aug. Nicolas, *Études philos. sur le christianisme*, 3e p., ch. VII, § 3; et cl. d. Bautain, *La religion et la liberté*, passim.

pro circumstantiis, sincere et simplici corde, quæ nullum impietati aut obscœnitati librorum limitem ponunt, leges.

Sed, inquiunt, has inviti, et necessitate compulsi, accipitis, ut facta; eas explosuri, quam primum vobis per numerum licuerit. R. Dist. inviti, si sola nostra de religione principia spectari deberent; seu sub respectu religioso; C. : nunc, pro iis, in quibus versamur circumstantiis, sub respectu civili, vel ita, ut proponamus quam primum pacta jurata dissolvere N. Enimvero tametsi quod ex principiis religionis verum est, non possit esse civiliter seu politice falsum; tamen eæ possunt esse, et certe in Belgio sunt circumstantiæ; ut quod generatim falsum habendum est atque illicitum, in particulari censendum sit non minus ex religionis dictamine verum et licitum, quam civiliter legitimum.

Dicant nobis adversarii nostri; ex quo tempore catholici sacramenti religionem nullam esse credant; ut jure jurando confirmare non timeant; quæ frangere ut primum, proponant fœdera.

Est ridiculum id nobis objicere, quod in alio velle possemus rerum statu : est namque intrinsecum cuicumque bonæ legi; ita adaptatam esse populi moribus ceterisque circumstantiis; ut, iis mutatis, legem quoque mutari sit necesse. Pone universam Galliam amplecti Mahumedis cultum aut Communistarum commenta; aliæ procul dubio a præsentibus leges inducentur. An idcirco merito objiceretur Gallis, quod ad tempus et pro circumstantiis tantum, suis adhæreant institutis

Tum demum aliquid valeret, quod opponitur; si eos, qui ejusdem nobiscum religionis non sunt, astu adoriremur aut fraude : hic vero, qui numquam fuit, neque hodie est ecclesiæ Romano-catholicæ spiritus.

Ceterum cum fastu hic adnotare liceat; quod non modo experientia hodierna, sed et præteritorum seculorum historia cuilibet, in iis non undequaque peregrino, manifestum facit : acotholicos scilicet, subjectos guberniis catholicis, ipso etiam statu Pontificio non excluso, usos continuo fuisse libertate longe latiori, quam fideles degentes sub potestate spiritus hæretici; aut indolis, quam dicimus, indifferentis [1].

[1] V. *Journ. hist. et litt.*, t VIII, p. 271, extrait de la feuille prot. *Gazette fédérale; Revue cath.* Liége, t. II, p. 595. Facta vero singularia pene indies videre est in ephemeridibus aliisque scriptis periodicis. Sufficiat modo recolere prætensam tolerantiam Lutheri et Calvini, in eorumdem historia, nuper a cl. d. Audin, edita manifestam; tolerantiam iconoclastarum sec. XVI; tolerantiam philosophicam rationalismi in Gallia an 1793; protestanticam, *Revue cath.* Liége, t. III, p. 279, 439, 484 et 487; tolerantiam item Russicam; cujus,

85 R ad 5. Libertatem civilem ne attingit quidem illa, quam dicunt, librorum carnificina : prohibitio namque librorum unice conscientiam respicit eorum, qui libere et sponte volunt ecclesiæ subdi : catholici, qui, pro suæ religionis principiis, ejusmodi se statutis subjiciunt, civiliter non minus liberi sunt quam athei aut sceptici. Contendimus immo nos catholici, non obstante librorum censura, magis libere nuncium mittere pravis libris, quam plures alii eosdem legant. Nempe, certum nobis est; quod ecclesia nolentes subjici legibus suis, numquam clamoribus et calumniis insectetur.

Hoc, quod nuper in comitiis nostris publicis, vere notabat cl. vir, proprie libertatem læderet civilem; si quis vellet, *in foro civili,* ecclesiæ ejusve ministris, ne istiusmodi declarationes aut prohibitiones fidelibus intimare valeant, inhibere[1].

86 4° Obj. *ex nocumento,* quod librorum prohibitiones et *expurgationes inferunt,* et quidem 1° *damnum temporale* infertur non solum auctori, et librariis; sed insuper toti reipublicæ, cujus hinc intercidit commeatus, cujusque subditis quam plurimis subtrahitur labor et victus.

Prænotandum duco, hic certe contra censuras ecclesiæ invocari non posse jus Dominii sive naturalis sive civilis, quod habet auctor in opus suum. Dominium illud nequaquam afficiunt prohibitiones ecclesiæ. Ceterum de hujus Dominii jure (propriété littéraire) agendum erit infra, c. III, n. 146. Hoc posito,

R. a) *Ad damnum privatorum :* Damnum hoc sequitur per accidens ex lege aliunde justa ac necessaria propter bonum altioris ordinis, quod negligi nullo modo potest intuitu cujusdam damni temporalis. — Hoc vero damnum fere iis, qui patiuntur, est voluntarium in causa sua; quod, scil. auctores neglexerint censuram prævium operum suorum; quod typographi et librarii parvipenderint leges ecclesiæ. — Quod si etiam supponatur opus a quodam censore particulari probatum, deinde ab auctoritate superiore in indicem mittendum esse; ecclesia propter errorem aut etiam dolum judicis hujusmodi non solvitur officio suo; neque amittit adeo jus faciendi; quod faciendum habet. Damnum, quod sequitur, non in ecclesiam aut legem ecclesiæ refundi debet; sed in errorem aut

qui non ex persecutione, in religiosas conventus Minskensis excitata, sibi imaginem efformaverit, consulat opus inscriptum : *Persécution et souffrances de l'église en Russie.*

[1] *Moniteur,* compte rendu de la séance de la chambre des représ. du 4 avril 1846. Disc. de M. Dubus aîné.

fraudem judicis, qui solus, ut alius quisque, errore vel dolo damni causa, facti sui sequelas portabit. Neque dicant librarii aut typographi acatholici se non teneri legibus ecclesiæ, nec adeo damnum sibi, iisdem neglectis, esse subeundum. Respondemus enim nec ecclesiam nec fideles obstringi ut eorumdem subserviant fortunæ. Quid sui intersit, ipsi viderint.

R. b). *Quoad damnum publicum* R. Eadem partem valet solutio. Præterea felicitas reipublicæ non unice æstimari debet ad numerum aureorum, quos ipsa possidet; sed et ad civium inter se unionem et erga principes subjectionem : quæ si dissensionibus religiosis, et depravatis moribus tollantur; omnis prosperitatis nervus emarcuit, et brevi aureorum ingens numerus erit pessumdatus [1]. Cæterum damnum hoc mere fictitium est : supprimas hodie pravos libros, cras boni eorumdem subibunt locum, et omnia in integrum restituentur.

87 Obj. Damnum secundo infertur litteris et scientiis: etenim non solum per severam hanc librorum censuram 1° homines honesto privantur temporis usu et amœno facultatum suarum exercitio; sed et 2° quidquid in litteris præcellit supprimitur aut truncatur in damnum litterarum ; 3° quas non solum flecci faciunt Romani; sed etiam, ut adversas sibi, odio honestant suo; 4° « Quid enim » agunt, inquit Boehmerus l. V decr. tit. VII, n. 73 (prohibitiones » Romanas impetit), quam ut bona ingenia supprimant..... et » priscam barbariem, sub qua res Romana admodum crevit, rursus » inducere adnitantur....? Tunc potissimum in usum deducta sunt » (ista ingeniorum supplicia quando) res litteraria e tenebris in » lucem protracta, et tot optima ingenia florere cœperunt. » 5° Scientiis vero quantum immineret exitium, si potestati cuicumque ecclesiasticæ concederetur, ad suum citare tribunal omnes scientiarum libros! Cum, sec. XVII, Galileus Galilei defenderet solem esse immobilem in centro mundi, terram autem circummoveri motu diurno; omnes libri docentes novum illud, quod tunc feliciter adinventum et propagatum, et post recentiores experientias plane demonstratum fuit, systema, in judicem missi sunt, ab ecclesia illa Romana; quæ scientiarum etiam profanarum sibi infaliibile sumpsit judicium; ipse vero Galileus innumeras passus fuit vexas et demum immerito mancipatus carceri : et similes librorum censuræ scientiis non noceant? 6° Præ ceteris tamen ex hac, librorum persecutione patiuntur studia philosophica. « Si l'on veut

[1] V. Scotti, *Théorèmes politiques,* passim; præsertim 1re p., théor 3 et 3me p. théor. 2 et 3, et *du règne des vrais principes,* p. 237.

» former des philosophes, dit le marquis d'Argens [1], il faut laisser » aux hommes la liberté de penser et de faire usage de leurs ré- » flexions. » Ecclesia autem Romana jam pridem a medio ævo, ut ait d. Guizot [2], huic philosophandi studio litem movit; cum libros vetuit et doctrinas Scoti Erigenæ, Roscelini atque Abailardi; *qui rationis jura vindicabant,* quorumque hic omnis error; libera philosophandi methodo, a suis discedere prædecessoribus. 7° Hæc vero omnia eo tendunt; ne appareat hostium ecclesiæ in litteris scientiisque præcellentia; utque, oppressis adversariis suis, ipsa sola dominetur, usurpato sibi artis typographicæ monopolio : « hæc (quæ » florere ceperant ingenia), ferre non potuit Curia Romana, ait » Bœhmerus, loco citato, adeoque pro illis abolendis..... » Fatentur, ait Francus, ipsi catholicorum theologi; quod, occasione a Luthero accepta, vel ipsa scientiâ theologicâ, quæ tamen semper primas tenuit, a nugis purgatâ, tum demum ad meliòra studia animos adjecerint [3].

88 R. ad 1. Apage tales nugas! Quis enim honestum dixerit, quod fidei moribusque discrimen affert? Quasi vero, ut ait Lud. Vives [4]. « Non satis per se magnum sit vitiorum omnium fomen- » tum otium, nisi et faces subdantur? »

89 R. ad 2, a) Nec damnum quis causetur litterarum : enimvero pleraque, quæ censuræ obnoxia sunt opera, nec etiam in perfectionis litterariæ typos dari possunt; sicut enim in artibus, sic et in litteris non minimum in regulas peccatum est, a veritate deflectere. Vide quæ supra, a n. 20, protulimus rationum, auctoritatis et experientiæ momenta; *Instr. pastor.* § 4 versus finem; *Les mauvais livres...* 4^me^ préjugé. Neque est, quod præcipuorum magistrorum quis conqueratur defectum : habentur litteraturæ græcæ et latinæ immortalia monumenta, artis perfectissimæ opera, pleraque idiomatis modernis donata; habentur et pro variis regionibus et linguis (quarum consulantur historiæ litterariæ) scripta absolutissima, recentioribus ævis, in lucem emissa; quibus, sine damni periculo, juventus ad omnem humanitatis artem possit informari.

b) Ceterum esto privari oportuerit eleganti quadam lucubra-

[1] *Lettres juives,* lettre 127.

[2] *Histoire générale de la civilis. en Europe.* Leçon 6^e^.

[3] *Disquis. acad.,* n. 47.

[4] *L.* 1, *de christiana femina.* Cfr. et r. p, Dechamps, *Confér. sur les abus de la presse et leurs remèdes,* p. 35, et cum eodem nota; aliud esse honestum legendi studium, aliud passionem lectionis in detrimentum debiti officii, aut in libris frivolis et noxiis institutæ.

tione; aliquo sublimioris etiam poeseos segmento; numquid ubi innocentia, virtus, religio in discrimen vocatur; tantillum audebit quis prætexere temeritatis suæ præsidium? Quis imbellis, ut leges discat prælii, nulla necessitate compellente, telis se exponet hostium? Quis, ut artem discat navigandi, periculoso mari rimosa se committat navi? Numquid etiam eo periculum est gravius et lectio damnabilior; quo studiosius venenosa conditur potio? Quid tum demum profecerint juvenes spei optimæ; cum mellifluis exuberabunt verbis, affectibus vero fuerint depravati et omnis improbitatis stigmate inusti?

c) Ne tamen vel tantillum etiam damnum rei litterariæ inferatur; promptam sese exhibet ecclesia Romana, dandæ continuo licentiæ; quotiescumque aliquis sine periculo legere possit, profectumque ex similium librorum consuetudine haurire. Noti sunt etiam catholicorum labores, ut ipsi, quos lex naturæ legere plerisque vetat, libri, curis suis expurgati, permitti promiscue possint: nota etiam ea ecclesiæ disciplina; qua segmenta innocua, etsi ex impiissimo auctore, a catholicis transsumpta, cuilibet permittuntur.

90 R. ad 3. Non solum igitur gratuitum est; sed et prorsus falsum probatur, quod tertio loco asseritur: Romanos, scilicet, rem litterariam flocci facere; quin et aversari et omni conatu opprimere. In veternosis quorumdam præteriti temporis sciolorum dicteriis hæreat necesse est, qui ignorat adhuc hodie; quid Pontificibus et religiosis litteræ et scientiæ acceptum debeant referre. Numquid enim, nisi monachi nobis religiose quædam saltem conservassent; in prisca seculorum barbarie omnia periissent antiquitatis tum sacræ tum profanæ monumenta? An non litteræ scientiæque, seculis istis, ad solos ecclesiastici regiminis ordines et religiosorum claustra relegabantur? Undenam Carolus m. accersivit, qui Gallorum pro litteris et studiis zelum provocaret et promoveret, Alcuinum? Numquid et Romanum asylum petierunt, qui, capta Constantinopoli, Græcia exsulabant homines docti? Numquid non per ista etiam ignorantiæ secula soli Pontifices Romani, Episcopi, concilia scholas et liberalissima, pro tempore, studia instituerunt, promoveruntque? Numquid non serius, omnium primi, Pontifices, Leo X, aliique litteris excitandis, scientiisque excolendis auctores fuere ac patroni? Quinam sexaginta sex in Europa academias erigi curarunt, nisi Pontifices? Quinam primas in iis cathedras occuparunt nisi clerici [1]?

[1] Cfr. Bergier, *Dict.* ad v. *belles-lettres et sciences;* Chateaubriand, *Génie du christ.*, 4e p. l. VI, ch. V et VI, ubi concludit: « C'est une chose générale-

Ne vero studio videamur in iis, quæ spatio et tempore longinqua sunt, hærere; liceat lectorem remittere vel ad popularem recensionem humaniorum urbis Romæ institutionum, quam sub titulo, *Het liefdadige Roomen*, typis evulgavit d. Visschers; conferat sexcenta illa, pro extendenda ad omnes ordines instructione subsidia, cum institutionibus aliorum etiam regiarum civitatum et dicat, si Roma ullibi terrarum liberalibus studiis vincatur. Liceat, et pauca loqui, quæ nobis domestica sunt. Quinam sub Napoleone Imperatore, et post casum ejusdem, primi litteras docuere humaniores? Quinam scholas excitarunt ac gymnasia, nisi clerici, tam regulares quam seculares? Et post an. 1830, quinam, ut primum data libertas est, in pagis et civitatibus, scholas promovere et quantocius ipsorum ludimagistrorum institutionem curare; ad litterarum et scientiarum cultum provocare, atque ad altiora etiam studia excitare atque efficaciter et cum zelo cooperari præ ceteris visi sunt; nisi qui religionis et ecclesiæ catholicæ spiritu aguntur, ejusdemque nomine decertant! Duo sunt, quæ sola sufficienter rem hanc evincere plane possint : universitas, nempe, catholica, bis in annum juridice cum æmulis suis, gubernio et communi patriæ thesauro nixis, collata; et ipsa, qua indies petuntur catholici lividorum animorum aggressio; quasi non modo in erudiendis ruricolarum pueris, sed et in educanda cultiori juventute, omnis humanæ institutionis monopolium ambiant : in quo certe, et non infelix, pro voto, successus, et strenuus conatus manifeste signantur [2].

91 R. ad 4. Neque est quod dicat Bœhmerus; Pontifices Romanos egisse rem suam, favente pridem populorum ignorantia ac barbarie; tum ipsorum invaluisse imperium, lateque evolutam auctoritatem; at vero mox ut viderunt bona quædam efflorescere

» ment reconnue, que l'Europe doit au Saint-Siége sa civilisation; une par» tie de ses meilleures lois, et presque toutes ses sciences et ses arts. » Gosselin, (*Pouvoir des papes au moyen-âge*, 2e p. ch. IV, art. 2, § 3) cum cl. Demaistre, post lustrata medii ævi documenta, hæc habet verba « Il est démontré que » les papes furent les instituteurs, les tuteurs, les sauveurs et les véritables » génies constituants de l'Europe. » Cfr. Henrion, *Hist. des papes;* Ranke, *Hist. de la papauté;* Voigt, *Vie de S. Grégoire VII;* Hurter, *Vie d'Inn. III;* et *Tableau des institutions et des mœurs de l'église au moyen-âge;* item Digby, *Mœurs chrét. au moyen-âge*, trad. et augm. par M. Daniélo; Audin, *Hist. de Léon X.* Cfr. et historiam pseudo-reformationis; variarum academiarum natales... *Revue cath.*, Liége, t. I, p. 12; t. II, p. 15 et 413; *Revue de Brux.*, nouv. série, t. I, p. 482 et t. II, p. 52.

[2] Qui felicis ominis, quibus ecclesia hodierna Romana merito gloriari potest, nomina et facta dignoscere cupidus est; adeat opus D. Polge, *Destinées du christianisme*, 2e part.

ingenia, quæ eorum non ultra subservirent usurpationibus, neque Romanorum cedere deberent præeminentiæ; per librorum ingeniorumque supplicia, ad priscam renisos populorum ignorantiam ac barbariem. Enimvero non res Romana crevit; sed cetera dilapsa : qui namque a Christo Domino fuerat Petro collatus, in omnem ecclesiam primatus, idem semper perseveravit. Nec cuncta retro secula majus quid, et re uberius constituere ecclesiæ aut Petro potuere; quam quod constituit illis Christus : *euntes docete omnes gentes..... tu es Petrus, et super hanc petram.....* Verum quod jam tum in se erant ecclesiæ constitutio et Petri primatus, latius et visibilius explicatum fuit, propagata per totum orbem fide; signanter, postquam collapsis aut vacillantibus ceteris undique potestatibus, sola superstes mansit auctoritas pontificia; quæ semper vigens, visibilius fuit exercita, et suspicientibus illam cunctis, saluberrimos quaquaversum operabatur effectus. Unde et factum fuit; ut, quod Pontificis non erat, communi tamen omnium calculo, adjutricem pro necessitate, manum civili quoque porrexerit societati [1]. Ceterum donec, quæ, n° præced., indicabamus, facta historica de medio tulerit Boehmerus; nihil quidquam effecerit adnotando, quod pleræque librorum prohibitiones ea prodierint epocha; qua litteræ reflorescere cœperant. Quid enim? quod litteræ studiosius coli inciperent, fidem moresque pessumdari otiosa spectare debuisset ecclesia? Quemadmodum vero non litterarum aurora Pontificum circa fidei integritatem morumque honestatem, zelum restinguere debuit; ita nec litterarum abusus, earum cultum aut protectionem apud eosdem Mecænates suspendere umquam debuit, aut suspendit [2].

[1] Cfr. Gosselin, *Pouvoir du pape au moyen âge.* « La dictature fut reconnue librement au Pape, dit un écrivain de nos jours; mais à peine l'exercice de cette autorité eut-il un peu adouci la rudesse des mœurs; que les Pontifes eux-mêmes en modifièrent et en limitèrent l'usage par les conseils d'hommes d'une sainteté reconnue; tels, par exemple, que Bernard de Clairvaux. Rien ne prouve mieux la sagesse avec laquelle les Papes usèrent la dictature; que la promptitude avec laquelle elle cessa d'être aussi nécessaire. » Cfr etiam *Revue cath.*, Liége, t. I, p. 23.

[2] Cfr. præter opera n. præc., citata, Balmès, *Le catholicisme comp.*, ch. LXXII; Polge, *destinées du christianisme*, 2^de^ p. ch. IV et V, et ill. Frayssinous, *Défense du christianisme.* Conf. *hommes illustres du Christ*, § III. Hic tamen notandum duco; apud hos quidem auctores Christianam religionem, in genere spectatam, considerari; verum id scriptores catholici evincunt; religionem Romano-catholicam solam esse genuinam Christi religionem; adeo ut in partes nostras manifeste cedat omnis litterarum profectus anterior pseudo-reformationi seculi XVI. Nec tamen etiam recentiori ætate cum adversariis conferri confundimur : quin immo, ut scite monet et historice probat cl. Balmes, si

92 R. ad 5. Potestas, qualiscumque ea demum sit, quæ libris, fidei morumque subversivis, censendis præfecta est, a nemine catholico mittitur, judicium ferre de quæstionibus scientificis aut philosophicis; nullos adversarii afferre valent doctorum catholicorum textus, neque ullum proferre ecclesiæ decretum; quibus similis prærogativa ecclesiæ vel ipsi Romano Pontifici vindicetur. Hoc unum ecclesiæ in librorum prohibitione asserunt auctores; hoc unum sibi tribuit ecclesia; libros, fidei moribusque adversos, prohibere [1]; quod non minus scientiis studiisque philosophicis (quoniam verum vero minime contradicit) quam veritati revelatæ proficuum est. Enimvero nedum fides lumen naturale extinguat, aut rationem facultatesque nostras coarctet; contra easdem juvat multum ac perficit. Etenim, ut ostendit d. Aug. Nicolas [2], nihil quidquam obsistit illa, ubicumque per se natura sibi sufficit; ubi autem ratio deficit, in re, scilicet, religiosa scientiisque moralibus, naturam vacillantem certitudine firmat, caligantem illuminat et circumeuntem compendio ducit: quo ipso, cum quæstiones religiosæ et morales apud omnes omnino populos, in omnibus omnino scholis semper primas habuerint; ipsarum scientiarum studiorumque philosophicorum progressui, non singulari modo consuli non potuit: scientiis enim naturalibus non proficuum esse non potest, inquit cl. Balmes [3], jam a principio, in certis habere notiones prævias; quarum indagatio ac solutio non solum in longum abduceret ac latum; sed et implexissimis, e quibus evaderemus numquam, involveret tricis. Pro scientiis autem moralibus, quarum tam latus patet campus; quanto hominum commodo contingit; habere statim ab exordio; ubi pedem, certissima veritate, defigamus.

quid progressus, seriori ævo, apud populos occidentales compertum est; id omne genuino christianismi succo, vel in resectis ramis germinanti adscribendum est; nequaquam vero ipsi, quod, quantum in ipso est, omnem societatis profectum sistit, principio protestantico. Cfr. l. c. et c. ult.

[1] Cfr. auctores, agentes de re dogmatica; ubi, nempe, tractant de objecto doctrinæ et inerrantiæ ecclesiasticæ. Unanimi eorumdem consensu nixus r. p. Dechamps publice denuntiare et scriptis edere non dubitavit, quæ sequuntur: « L'église n'a pas la mission de juger les questions scientifiques et » littéraires; mais elle décide, si dans les ouvrages, qui en traitent, rien ne » blesse cette foi et cette morale, qui viennent de Dieu et qu'elle doit trans» mettre inaltérées de génération en génération. » *Conférences*, p. 33. Cfr. et cl. d. Bautain, *la religion et la liberté*, 1re confér. éd. de Liége, p. 12 et suiv.

[2] *Études philosoph. sur le Christ*, 3e p. ch. VII, § 2.

[3] *Le protestantisme comparé....* ch. LXIX; cfr. et Perrone, *Prælectiones theol.*, tr. ult. *de locis theol.*, part. III, c. 2, a. 2, ed. Lov., t. IX, p. 498 et in compendio, tr. 2o, part. III, c. 2.

Operæ pretium foret, ostendere; quam religionis Christianæ, atque ecclesiæ catholicæ doctrina ac disciplina litteris scientiisque promovendis sit congrua; sed ne longius abducamur, liceat lectorem remittere ad eos, qui quæstionem hanc latius sive theoretice sive historice tractarunt, auctores. Consulantur inter alios ill. Frayssinous, *Défense du Christ.* conf. *Hommes illustres du Christ.* 3me part.; opella haud spernenda : *Catéchisme de l'université de France*, 1re p. ch. IX, *Revue cath.* Liége, t. II, p. 15, cl. Balmes, c. III et a c. LXIX ad c. LXXII; cl. d. Waterkeyn, *La Science et la foi sur l'œuvre de la Création* (6me part.); et Scotti, *Théorèmes polit.* (4me part. 6e théor.) Quibus locis ea exhibentur ecclesiæ catholicæ de scientiis profanis libere scrutandis profitendisque principia; ii signantur omnium humaniorum disciplinarum annales, eaque proferuntur nomina, quibus religio Christiana, et ecclesia Romano-catholica merito glorientur. Quis eam hic jure criminetur religionem; cujus sequaces, dogmatis unitati maxime fideles per octodecim secula in tanta locorum varietate omni disciplinarum genere floruere ?

At opponitur nobis condemnatio librorum, qui Copernici systema, defendebant; machina illa terrifica, quam sibi omnigeni usurpant ecclesiæ hostes; ut ea impetant, quæ sibi adversa sunt ecclesiæ dogmata et jura [1]! R. Quoniam vetus isthæc crambis toties tamque diversimode recoquitur; non minus utile, quam gratum me facturum speravi, si totum hunc Galilei processum, quam liceret accuratissime, ex recentioribus documentis in compendium historicum redigerem; quod tamen quia longius excurrit, ad calcem hujus opellæ amandandum ratus sum [2]. Hoc interim plane perspecturum quemque confido; nihil ex tota illa historia ab ullo ecclesiæ adversario aut contra infallibilitatis ecclesiasticæ dogma, aut contra inerrantiæ Pontificiæ veritatem, aut contra sacrarum congregationum decreta; aut contra benignum doctrinæ et ecclesiæ catholicæ in humaniores disciplinas influxum, aut tribunalium Romanorum moderationem posse extundi.

Verum est, non diffiteor, religionis prætextu denuntiata fuit Copernicana doctrina a sacerdotibus religiosis : non tamen quod scientias odiebant; sed quod ad invidiam colebant [3]. An forte

[1] Quantis non dicam exaggerationibus; sed apertis mendaciis ac calumniis locum dederit prætensa illa definitio dogmatica et suscitata in Galileum persecutio; videre licet *Revue de Dublin* 1838. Juillet, p. 72, statim initio.

[2] Vide adnotationem A.

[3] Cfr. *Revue de Brux.*, nouv. série, t. IV, p. 507—8.

quis (pari utique jure) scientias naturales sui ipsarum obstetisse investigationibus et profectui causabitur; quia earumdem quoque periti Galileo obstrepebant, suisque ab agnoscenda veritate præjudiciis avertebantur? Ceterum sicuti alii scientiarum cultores, sic etiam clerici circa systema copernicanum in duas abiere partes; ita ut Galileus non inglorios in discipulis amicisque suis clericis nactus sit doctrinæ suæ patronos.

Instabit tamen quis et dicet : quamvis logice et historice demonstratum habendum sit; quod religio suapte natura scientiarum profectui non adversetur; quin immo prosit multum; tamen hæc individua, quæ Copernicanum proscripsit systema, s. Congregationis declaratio earumdem cultui non obstare non potuit. Nec ulla est ad præjudicium, quod ex ipsis scientiarum visceribus fuit exortum, paritas; dum semper rerum naturalium peritis liberum esset, scripta pervolvere, quæ sententiam reprobatam defenderent: at vero catholici præcepto, ut putabatur, justo irretiti, religioni sibi ducere debebant, scripta damnata scrutari et sententiam rejectam investigare. Quod semel factum novimus, fieri continuo potest; et, esto per accidens, non minus verum capient scientiæ a religione detrimentum.

R. Præceptum hoc, pro illo scientiarum physicarum statu, præsumendum erat justum, adeoque in conscientia erat servandum; utpote a legitima auctoritate latum in materia, quæ præsumenda erat, eidem subjecta : licet enim revelatio non occupetur primario de physicis aliisque veritatibus ordinis pure naturalis; attamen ut ex S. Thoma[1] notat Plazza [2], de iisdem occupatur per accidens, indirecte et secundario : quapropter et circa illa potest esse hæresis sicut et fides; quatenus, scil., iis negatis, sequeretur corruptio alicujus articuli fidei; velut si quispiam negaret Saram fuisse uxorem Abrahæ. In casu declarabatur sententia Copernici contraria scripturæ et catholicæ ejusdem interpretationi; hæc autem penes judices ecclesiasticos erat : quibus, pro illo scientiarum physicarum statu (hodie simile decretum non prodiret) vix sine temeritate quis restitisset. Poterat tamen in simili declaratione s. congregatio limites suæ missionis excedere, judicium sibi sumendo de veritate ordinis pure naturalis. Verum simul ac in simili casu *constaret* de errore, etiam in physicis non esset cum errante errandum; sed ad tempus forte dissimulandum.

Maneat ergo; quod per accidens possent ex hac ecclesiæ potes-

[1] 2. 2. q. 1, art. 16 ad 1; q. 2, a 5; q. 8, a. 2. et q. 11, a. 2.

[2] *Dissertatio biblico-physica, de litterali proprio scripturæ sensu,* n. 98,

tate damnum aliquod pati scientiæ, quid inde? Numquid idem pati possunt ex pluribus aliis causis? Ex præjudiciis auctoritatis naturalis Aristotelis; Cartesii; aliorum? Ex tyrannide auctoritatis civilis? Idcirco iis omnibus, quasi scientiis aut litteris adversentur, inferenda calumnia, et exturbandi sapientes, virique omnium scientiarum periti, aut delenda omnis, quæ in mundo est, auctoritas? — Numquid ecclesia et fallibilis est in factis mere personalibus; in quibus tamen sæpe de mediis ordinariis salutis æternæ consequendæ definitur? An hic minora sunt erroris, si locum habet, incommoda? Numquid igitur ecclesia est dicenda salutis inimica; si forte per errorem facti personalis, quædam subtrahat salutis media?

Præterea, docente cl. Zaccaria [1], in iniqua, et quemadmodum historia docet, in metaphysica pene hypothesi; quod prodiisset a quadam Congregatione decretum, alicujus libri prohibitorium, veritati aut justitiæ minus conforme; qui læsum se putat, recursum habere potest, modeste tamen, ad ipsum immediate s. Pontificem; quo, re maturius expensa, reformetur quod minus recte judicatum est.

Verum quidem est; nec ipsi s. Pontifici aut ecclesiæ ullibi promissa in veritatibus ordinis naturalis infallibilitas est; neque etiam hoc promissum videtur, quod numquam ecclesia aut Pontifex sibi judicandam sumeret veritatem, quæ sui non esset fori.

Attamen hoc primo certum est; non posse ecclesiam veritatem ordinis naturalis hæreseos damnare; quia sic condendo falsum fidei dogma, in ipsa fide erraret, quemadmodum in fidem impingeret, qui octavum induceret sacramentum.

Secundo certum est et notorium, minus in ecclesia valere passiones humanas, facilemque in ea patere veritati tramitem; ut, supposita etiam cujuscumque tribunalis ecclesiastici in scientias exteras usurpatione, reformari facile per s. Pontificem, judicium possit.

Hoc demum tertio confidere plane licet; quod is, qui omnibus diebus usque ad consummationem seculi suæ se adfuturum ecclesiæ promisit, Christus, deficiente etiam humano remedio, ex ipsis infinitæ sapientiæ suæ thesauris provisurus sit; ne sive religio, sive scientiæ naturales ex simili conflictu damnum patiantur.

Quod si interim quidam ab investigatione veritatis religiose duxerint abstinendum; et damni nonnihil in investigationibus suis patiantur; id per accidens ex lege, pro hominum conditione, necessaria, et adeo bona, sequitur; illudque abunde compensat tum fidei

[1] *Storia polem. delle prohibizione de' libri,* in app. n. 6.

morumque conservatio, individuorum salus, familiarum et omnis societatis incolumitas; et ipse adeo scientiarum cultus; tum multiplex, quod in scientiarum studia, ex religione provenit subsidium [1].

93 R. ad 6. Magnam partem jam solutum est, quod objicitur, in R° ad 5. Hoc notandum superest; ut in scientiis omnibus, ita et in studiis philosophicis, tametsi excellenter rationalibus, suos esse independentiæ limites : ut enim scientiis, ita et philosophiæ (si tamen eam, non ut inanem quamdam theoriam pro luxuriantis cerebri libitu, conceptam, sed quod vere est, ut rationabile primorum principiorum systema, rerum naturæ ac veritati explicandæ accommodatum, intellexerimus) sua sunt prima principia certa; quæ discuntur et creduntur, prævie ad omnem discussionem philosophicam : hæc qui contempserit, in ipsam rationem peccat; neque enim cuiquam, nisi desipiens ab omnibus audire velit, et in apertum prolabi scepticismum, liberum est, ea, sine quibus nullus est rationis usus, repudiare principia. Si nullus per naturam atque rationem ipsam in philosophia libertatis atque independentiæ esset terminus; non magis in rectam rationem peccaret, qui absurdissima quæque ac disparatissima delirantis phantasiæ figmenta componeret; quam qui in unum principiorum systema quæcumque prima vera connectit [2]. Est igitur ab intrinseco suus independentiæ philosophicæ limes. Rationis autem conatus ac vires religio non destruit, sed perficit; non oppugnat, sed adjuvat. Vera enim religio rationi, ut docet cl. Aug. Nicolas [3], nihil « subtrahit eorum, » quæ scire ipsa per se potest, plenamque illi, intra cognitionum » suarum naturalium ambitum, libertatem agnoscit. »

In quibus vero ratio per se aut caligat aut penitus deficit; veritatibus, scil. ordinis moralis ac supernaturalis, religio rationem non repudiat, sed manducit, veritates eidem vix pervias aut etiam penitus inaccessas, argumentis variis ad captum rationis communiens.

Quam lata autem, quatenus in verum scientiarum progressum patere possit, apud catholicos habeatur sentiendi discutiendique libertas; vide apud cl. d. Waterkeyn, *De la Géologie et de ses rapports avec les vérités révélées*, præsertim p. 60 et seqq.; apud r. p.

[1] Cfr. Balmes, c. LXIX, ed Lov. t. III, p. 332 et seq.

[2] Cfr. illustr. archiep. Paris. *Introduction philos. à l'étude du Christ.*, ed. de Louv., p. 89 et seqq.; Balmes, *Protestantisme comp.*, ch. XIII, et *Revue cath.* Liége, t. I, p. 591.

[3] *Études philos. sur le christ.*, 3e p. ch. VII, § 2, n. 2, cfr

Dechamps, *Confér.*, p. 35 et 64; in collectaneis : *Le Conservateur*, t. IX, p. 162, et apud cl. d. Bautain, *La Religion et la Liberté*, 1re conf.

Ad factum autem, quod objicitur a d. Guizot, cum cl. Balmesio (c. LXX), respondeo : falsum esse quod in tribus illis medii ævi scriptoribus novam philosophandi methodum persecuta sit ecclesia; enimvero nihil quidquam novi sub hac ratione introduxerunt viri isti; et, in certissima fidei dogmata temere irruentes, ab ecclesia damnari meruerunt. Erigenæ enim liber damnatus fuit propter errores contra veritatem ss. Eucharistiæ; Roscelinus contra ss. Trinitatis et Dominicæ incarnationis dogmata erravit; Abailardus vero contra ss. Trinitatis mysterium, peccatum originale..... temerarius insurrexit. Mirum videri possit, d. Guizot in clarissima factorum publicorum historia, tam abnormiter deviare; verum id præjudiciis protestánticis, quibus vel hoc ipso loco virum indulgentem videre miseret, procul dubio tribuendum.

94 R. ad 7. Recolantur, quæ, proximis numeris, ipsi delibavimus, consulantur, quæ ibidem citavimus opera; et in tota animi sinceritate dispicere dignentur, qui religione a nobis dissident; num penes se habeant, quos superioribus seculis, d. Thomæ; recentioribus Suarezio, Vasquezio, et nuperis annis, Gerdilio, Muzzarellio, Zaccaria, aliisque in scientia theologica versatissimis viris opponant, scriptores? Num Bossuetium, Fenelonium, superarint, qui litterarum apud eos laude floruerunt? Næ cl. Balmes [1] invictis historiæ documentis, nixus, nos docebit; nihil quidquam reformationem sec. XVI ad artium liberalissimorumque studiorum profectum contulisse; contra vero eorumque obstitisse progressui; qui totus, quantus deinde fuerit, in causas protestantismo anteriores, ac præter ipsum, adhuc progerminantes, est referendus.

Non diffitemur tamen; per plura medii ævi secula, bonas artes, litteras, scientiasque, etiam theologicas, incultas jacuisse : at hæc non religionis vitium fuere; sed temporis hominumque, per longa prælia barbarorumque invasiones, ad imum humanitatis statum delapsorum : resuscitari ergo istæ quidem disciplinæ debuerunt, et jam ante omnem reformationis religiosæ conatum, agentibus præsertim Romanis Pontificibus, non solum restitui, sed et reflorescere cœperunt. Non diffitemur etiam; studia præcipue theologica, post Lutherum, novis animis, fuisse exculta, et scientias theologicas ardentius promotas : at vero, an præeunte Luthero, Calvino.... an potius, accepta ab illis occasione; quemadmodum et ars bellica in-

[1] *Le protest. comp.*, ch. LXIX—LXXII

gruentibus hostibus, aut rebellante plebe, generosius discitur; non ambiguum est dicere.

Ceterum si mente sincera studia neglecta querebantur reformatores; ut quid igitur Lutherus, Melanchton, Carlstad.... artes scientiasque comprimendas statuebant; et academias claudendas; ipsos vero theologiæ alumnos ad illiteratorum amandabant opificia [1] ? Si vere rationis, quam oppressam gemebant, jura vindicabant; ut quid ergo disciplinam theologicam, quæ jam feliciter ad lumen fidei reflorebat, ad nudas verborum textuumque pugnas coarctabant [2] ?

Non est tamen, quod ista, post jactatam toties a reformatoribus scientiæ hederam, mireris; cum ignorantia tam accommodum fuerit hæresium vehiculum [3]. Cujus rei etiam hodie non unum habemus documentum : quanam v. g. de causa apud rudiores Germaniæ populos, ministri acatholici cæremoniis deserviunt, quas rident; aut oblitterata dudum ministrant sacramenta ; nisi ut, Romano-catholicos se simulantes, simplicitate credentium abutantur.

Demum quod nobis opponitur studium prædominationis in litteris ac scientiis; arguit nos saltem minus esse reos obscurantismi : quæ enim quis odit, quomodo cum successu excolat? Non autem diffitemur; ecclesiam Romanam, per librorum censuras, verum intendere monopolium; non quidem ut illud sibi acquirat; sed ut illud divinitus sibi collatum conservet ; monopolium, inquam, non artis typographicæ; cujus quidem accusationem vix sine risu quis audiat; sed illius, quæ circa fidem moresque sibi uni credita est, doctrinæ; monopolium vere divinum : jure namque divino ecclesiæ datum; ut ipsa sola sit depositaria legitima doctrinæ Christi; ut ipsa sola religionem doceat Christi et qui doceant, mittat, (*Euntes docete omnes gentes* [4]); quemadmodum et ipsa sola divinam in omnes Christi fideles potestatem exercet, atque adeo in universum mundum missa est, extendere spirituale imperium suum [5].

[1] *Revue cathol.* Liége, t. I, p. 17. Cfr. et *la lecture de la bible en langue vulg.*, par Mgr Malou, t. I, p. 362.

[2] *Revue cathol.* Louvain, t. I, p. 345.

[3] Cfr. Ilger, *Observationum in secula christ.*, p. IV., obs. 3ª.

[4] M. XXVIII, 19.

[5] Cfr. *la religion et la liberté*, 1re confér. éd. de Liége, p. 14.

CAPUT II.

DE POTESTATE, CUI COMPETIT PROHIBERE LIBROS, FIDEI MORUMQUE EVERSIVOS [1].

95 Inconcussum nunc est, cunctos, generatim, libros, qui religioni et moribus officiunt, procul a nobis esse oportere; et vel ideo particularibus prohibendos statutis; ne quis ignarus, aut imprudens, aut temerarius libros legat perniciosos. Quærendum jam est de potestate, cui jus sit et officium, necessitati huic salubribus providendi decretis. Hæc vero competit omni cujuscumque societatis prælato, pro ea, qua religionis morumque conservatio ei fuit concredita, ratione : et quoniam, ab initio creaturæ, fidei moralisque doctrinæ depositum familiæ et societati civili commissum fuit, fideli traditione ad seros posteros communicandum; principes etiam seculares familiarumque capita aliquousque in hoc versari jure et officio, satis in propatulo est. Verum status primævus religionis, certo sensu imperfectus, cedere debuit perfectiori, qui, auctore Deo, serius inductus fuit, statui; qui, sicut ipsa religio cultusque cum illa constitutus, ad consummationem seculi, est duraturus. Ad hunc igitur potissimum religionis statum vertenda attentio est, et accuratius considerandum, quis in nova lege missus præ ceteris a Deo sit; ut hoc summi momenti munus adimpleat.

Quoniam autem infra, c. VI, magis oportunus occurret locus, quo dicamus de jure et officio patrum-familias circa nocuæ lectionis libros, hoc caput tribus absolvemus sectionibus. Earum prima potestatem ecclesiæ, in hoc negotio, præcipuam, stabiliet : in secunda videbimus, quænam hic sint potestatis civilis partes : in tertia inquiremus; quinam in ecclesia hanc potestatem exerceant.

SECTIO I.

Potestas principalis prohibendi libros, fidei moribusque inimicos, uni competit ecclesiæ.

96 Libros malos prohibendi jus et officium principaliter in nova lege uni ecclesiæ competere, res est certissima; de qua consultis

[1] Vide Zacc. l. II, diss. II, cap. II; Rayn. part. III.

Christi Domini eloquiis, et ecclesiæ traditione ac praxi, salva fide dubitari non potest [1].

Et vero solis ecclesiæ moderatoribus, in personis Apostolorum, ait Christus Dominus : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in » terra ; euntes ergo docete omnes gentes.... docentes eos, servare » omnia, quæcumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum » omnibus diebus usque ad consummationem seculi [2]. » Quibus verbis mittuntur Apostoli, eorumque ad finem usque seculi, in ministerio, successores docere religionem et mandata Christi, non tantum positiva, sed et ea quæ legis naturalis sunt; hæc enim sua quoque fuit religione complexus Salvator; mittit autem illos Dominus docere *omnia, quæcumque* illis mandavit. Mittuntur vero ipsa auctoritate divini Salvatoris nostri, nemini obnoxii facti, docere omnes gentes, principes æque ac populos, sine ulla temporum, locorum aut personarum exceptione. Ipsis itaque etiam solis, principaliter et independenter ab omni alia potestate, competit, totius religionis Christi depositum integrum servare; et ne vel minimum in fide vel morum doctrina detrimentum capiat, fideliter advigilare, ac salubri efficacique lege providere « Dieu ne fait pas les choses à demi » dit le P. Dechamps [3]; ut, scilicet, ad finem usque seculorum eamdem Christi religionem Apostolis docendam committat, et qua eamdem incolumem tueantur, eos potestate destituat. Suo illos nomine mittit Christus; nullique eos potestati obnoxios facit : independentem ergo prorsus potestatem exercere dicendi sunt; nisi eo usque desipere quis velit; ut non repugnet asserere, quod Christus Dominus Apostolis illudere voluerit et ecclesiæ; dum verbis tam solemnibus et tam claris potestatem eis principem faceret, re tamen potestati cuicumque terrenæ eos vellet obnoxios.

Sequitur ex dictis; quod hoc jus a Christo ecclesiæ collatum, cum indivulse connexum sit officio eidem ecclesiæ pariter divinitus tributo, docendi omnes gentes, nec ad momentum possit in alium quemcumque tranferri seu ab ecclesia alienari. Si ergo ad tempus, respectu alicujus personæ, aut regni, hujus sui juris usum suspendit, aut certæ personæ exclusive committit; omni momento valide capescit, quod numquam illius esse desiit.

Occurrunt statim quidam [4] dicentes : libri sunt res externæ et

[1] S. Alphons., *in diss.* c. 2, n. 1, cum auctoribus ibidem citatis. *Instruct. past* ill. Belgii episcoporum, anni 1843, § III.

[2] Matth. XXVIII. 18. 19.

[3] Conférences, p. 31.

[4] Manetti *avertimenti politici*, et auctor anon. libri : *la chiesa e la repubbl. dientro i loro limiti*, c. XVIII.

ars typographica inventio industriæ humanæ est; hæc adeo cum ceteris rebus corporeis auctoritati reservantur civili.

R. Itane ergo divisi societatis utriusque limites; ut civilis sola moderetur corporea; ecclesia vero solis imperet spiritibus? Numquid non Christus Dominus ecclesiam instituit societatem visibilem; quæ, quia hominibus constat corpore constitutis et anima, mediis quoque visibilibus ad finem suum contendat necesse est? An non similiter societas civilis, ut felicitatem prosequatur terrenam, per leges suas conscientias ligare intelligitur, totumque, qua rationalis est, hominem dirigere? An solis ipsa principatur corporibus? Si non utriusque potestatis limites, ab eo, in quem per ejusdem etiam generis media ambæ tendunt, scopo desumantur, (quod utriusque genuina notio poscit [1]) civilis inerti præesse materiæ, ecclesiastica vero ad mundum, non hujus mundi, pure, scil., spiritualem, restricta probatur. Quod quam absonum sit, non est vel inter adversarios, qui non fateri cogatur.

Porro ex allato modo argumento manifestum est; ecclesiæ non solum vindicandam esse censuram, seu examen librorum (quod illi quoque largiuntur Fra Paolo aliique); sed competere insuper, quod eidem denegantes, principi reservant plures, damnandi jus flammisque absumendi.

Nec minus manifestum est, potestati ecclesiasticæ non tantum obnoxios esse libros; qui principaliter de religione aut moribus tractant; sed illos etiam, qui cum argumentum princeps profanum habent; fidei tamen morumve honestati perniciosi existunt: hoc enimvero qui denegat ecclesiæ; potestatem, quam Christus Dominus illimitatam constituit, limite posito, inefficacem reddit atque illusoriam.

97 Antiquissima quoque ecclesiæ praxis et SS. Patrum sensus invicto est argumento; latissimam hanc, quam diximus, potestatem, ecclesiæ competere; non solum sub principibus infidelibus, ut excipiunt quidam; sed etiam cum summi imperantes religionem profitentur Christi.

Arii librum jam legi vetuerant Nicæni Patres, antequam eum Constantinus edicto proscriberet.

Theodosius jun. et Valentinianus Nestorii libros improbarunt;

[1] Cfr. Perrone, t. I, parte 2, prop. IV. Liebermann. *Demonstrationis catholicæ*, parte I, c. I, a. 2, § IV, prop. III, et c. 2, a. 2, prop. I. Devoti *Institutiones can*, proleg. c. I, n. 4, et ill. Drostevischering, *De la paix entre l'église et les États*, priora capita passim.

sed hos, synodo Ephesina anathematizante, jam condemnatos fuisse, ait Liberatus diaconus [1].

Atque huic antiquitatis sacræ sensui et praxi testimonium ferunt ipsi adversarii nostri : sanctum Leonem inculpat Fevret et Manetti, quod regiam usurparit potestatem; dum, an. 447, de libris Priscilliani edixit : « Ut nemo apocrypha per domos retine- » ret, (adeoque nec legeret); Episcopus vero, qui permisisset, » haberetur tamquam hæreticus. »

Boehmerus quoque (in l. V, decret., tit. VII, n. 93) ambitionis taxat S. Epiphanium et Theophilum; quod ipsi libros Origenis damnassent. Antiqua sane ecclesiæ in principes civiles usurpatio! Cfr. quæ supra late, in argum. histor., de decretis Gelasii I, aliorum Pontificum, conciliorum; Episcoporum; synodorum. Quotiescumque enim librum aliquem Ecclesia damnat; non tam ejusdem doctrinam proscribi; quam lectionem retentionemque prohiberi ex ipso verborum textu certum est.

Insignis proin aut fraudis, aut ignorantiæ notam non hic effugiet Bœhmerus; dum confidenter pronuntiat; priscis temporibus, Episcopos tantum condemnasse librorum doctrinam; lectionem autem et retentionem ipsos interdixisse Imperatores; donec Episcopi, aucta pedetentim jurisdictione sua, negligentibus principibus, in conciliis edicta publicare ceperunt [2].

Nec minus abludit Dan. Franeus, qui, *Disquisitionis suæ acad.*, c. IV, n. 53, et seqq., omnem ordinem historicum evertens, præter historiographorum fidem, ipsos principes civiles auctores facit sententiarum, quas conciliorum Patres in damnatorum auctorum libros edixerunt. Verum libeat hominibus illis, qui omnem excussere potestatem sacram, divinitus in ecclesia stabilitam, novam, suo ipsorum arbitrio, principibus civilibus impertiri. Quid mirum? Turbæ mediis continentur externis. Oportuit igitur qualecumque demum potestatis sacræ stabilire simulacrum; quo a plebis invasione tutarentur, quam simulabant, institutionem Christi. Hoc tamen mirum nonnulli videri possit, quod homines illi ecclesiæ, qualicumque suæ, concedant, reprobare, quæ libris consignatur, doctrinam; cum ex ipso eorummet principio, privatæ cujusque rationis dictamen, et singularis cuique spiritus impulsio, in judicandis fidei morumque quæstionibus, regula sit infallibilis. Verum hoc, proh dolor! errori cuilibet, juste, si tamen errare fas est

[1] *Breviar.* c. x, p. 44, ed. Garn. Par. 1675.
[2] L. c.

acquisitum, prorsusque necessarium ac nativum jus est; non semper suis sibi consentire principiis.

98 Opponetur nobis Theodosius, qui Theodoreti scripta, nondum ab ecclesia reprobata, damnavit. Verum Chalcedonense Concilium, nulla imperatoriæ legis habita ratione, Theodoretum absolvit: deinceps vero Valentinianus et Marcianus eamdem Theodosii legem abrogarunt, declarantes: *quoniam non possunt sacerdotes constitutione damnari, quos synodicum ornat de conservata religione decretum.* Quid? Enoticon Zenonis, Ecthesim, Heraclii, ac Typum Constantis, utut imperiali exarata manu, nonne semper Ecclesia despexit atque rejecit? Et cum ipse Justinianus Imperator, bina dedisset adversus tria capitula edicta; numquid non Vigilius P. obedire vetuit et concilium CP^m. II, suo negotium vindicavit examini, nulla habita imperatoriæ censuræ ratione? Semper namque persuasum habuit Ecclesia; spiritualis hæc esse regiminis; in his principes nihil quidquam valere; nisi se aut devotos præbeant sponsæ Christi pedissequos; aut fideles tam gloriosæ matris mandatarios.

Sæpe quidem imperantes civiles auctoritate sua leges confirmarunt ecclesiæ; sed ad instantiam ipsorum Episcoporum; qui illorum quandoque implorabant auxilium; non quasi prohibendi jure destituti; aut quod sibi a fidelibus non fore parendum scirent, ut vult Boehm. (n. 93); sed ut auctoritate quoque exteriore accedente, eorum, qui in Ecclesiam rebellabant, frangeretur pertinacia [1].

In quo, dum principes glorioso funguntur protectorum ecclesiæ munere; præclarum pro illo, quod ecclesiæ vindicare satagimus, jure, subministrant argumentum: Quid enim? Sic in eosdem injuriosa existat ecclesia; sic ipsi principes jurium suorum sint incurii, aut defensores imbelles; ut, quum sacratissima illorum jura definitionibus prohibitionibusque ecclesiasticis violantur, summo ludibrio eorumdem imploretur accessio, et legum civilium, ad promptiorem exsecutionem, vigor adhibeatur?

99 Porro quod in doctrina morum et fidei ecclesiæ divinitus est concessum inerrantiæ donum [2], necessario eamdem in disjudicandis libris, modo tamen irreformabilis judicii conditiones adsint,

[1] *Imperatorum* (Arcadii et Honorii) *scripta, quæ de Alexandria et Ægypto Origenistas pelli jubent*, ipso, ut refert., s. Hier. (l. II *contra Ruf.*), *suggerente. dictata sunt.* Patres Ephesini rogarunt Theodosium et Valentinianum, ut Nestorii libros igne absumi etiam ipsi statuerent. Sic alii Pontifices; Patres: concilia; synodi.

[2] Confer. auctores scholasticos *in tr. de ecclesia* vel *in demonstratione catholica.*

infallibilitatem importat [1]. Quid enim? Libros, qui salutarem doctrinam continent, tamquam damnosos, proscribet; aut libros, qui errorem, ab ipsa damnatum, spargunt et corruptionem propagant, probabit et in docendo ab errore immunis habebitur? Procul dubio divina Christi sapientia quam longissime absurdam amandat sententiam.

Videtur autem ecclesia, libros condemnans, vix umquam emittere decreta, stricte dogmatica : enimvero fere disciplinaria sunt, quæ in hoc genere conduntur statuta [2], nec quidquam iis doctrinale continetur : sæpe prodeunt a ss. Congregationibus; quin s. Pontifex, ea probans, agere videatur, ut doctor ecclesiæ universæ, irreformabili judicio proponens, quid in fide aut moribus indubitanter credendum sit [3]. Aliquando tamen ecclesia aut s. Pontifex, in factis dogmaticis decidendis infallibiles [4], librum proscribentes, simul ecclesiæ universæ, quid indubitata fide tenendum sit, aut rejiciendum, proponunt; quemadmodum Urbanus VIII const. *In eminenti*, die 6 mart. 1641, librum *Augustinus*, ut varias damnatas propositiones continentem, profligavit.

SECTIO II.

Quænam sint partes principis civilis, quoad nocuorum scriptorum prohibitionem.

100 In primis nemini dubium est; quin possit temporalis potestas ea omnia, qua sententiis, qua pœnis profligare scripta; quæ bono reipublicæ adversantur; etiamsi de rebus religiosis agant aut de disciplina ecclesiastica, ait Zacc. [5]; modo tunc principale judicium relinquat ecclesiæ, et præcise damnet, qua pacis publicæ inimica : ratio manifesta est ex iis, quæ n. 1 et 95, dicta fuerunt.

Verum si quando acciderit; ut ipsa veræ religionis doctrina, aut æqua ecclesiasticæ disciplinæ decreta, agente hominum malitia, aliisve de causis, a legislatore ecclesiastico non prævisis, reipublicæ

[1] Has conditiones expendunt theologi, ubi de ecclesiæ, in fide moribusque inerrantia activa, et de Pontificis e cathedra, ut aiunt, loquentis infallibilitate, tractant. (Cfr. infra, n. 192.)

[2] In disciplina autem ecclesia præcise infallibilis demonstratur, qua per disciplinæ decretum generale non potest fidem labefactare aut morum doctrinam. Quod ipsum nemo somniaverit libri alicujus utilis suppressione; aut innoxii prohibitione, nisi simul doctrinale quid definiatur, efficiendum.

[3] De his singulatim agendum erit, c. IV, s. 2.

[4] De factis dogmaticis, v. notam B in fine.

[5] L. II, diss. 2, c. 2, n. 4.

damnum afferant; cum, ut jam demonstratum est, summa hic potestas uni competat ecclesiæ; neque umquam jura juribus opponantur; principi jus nullum est, sacram invadendi potestatem; sed, pro iis in quibus versatur damna præcavendi, jure atque officio, ad benignam recurrat, necesse est, moderatorum ecclesiæ solertiam; ut, communi consensu, in ea deveniatur consilia, quibus utriusque reipublicæ damna caveantur.

Interim autem, donec recursus institutus fuerit; siquidem non de jure ipso divino agatur; sed de ejus exsequendi modo aut de jure humano tantum, nec aliter incommodis obviari possit, regulariter lex suspendi poterit [1]. Princeps tamen, memor sui in ecclesia subsellii, et, pro suo ordinis hierarchici, non minus quam civilis studio, concilium adhibeat oportet Episcoporum; quorum in casu jus et officium est vel per se providere, si possint; vel etiam apud altiorem legislatorem mediatores intercedere [2].

In odiosa vero, nec tamen prorsus impossibili hypothesi, quod decretum quoddam ecclesiasticum particulare, minus æquum, damni vera causa non modo videatur, sed et reapse sit; potest princeps suo uti cavendi jure. Ne tamen illudat ipse sibi, neve, præpopere agens, turbationes provocet; ad superiorem auctoritatem spiritualem recurrat; ut importunæ legis amotionem obtineat.

101 Quod vero libros spectat qui reipublicæ civili damnosi non sunt; sed solum impetunt religionem, aut mores, distinguendum est inter eos, qui religionem naturalem ; et eos qui positivam lædunt. Religionis quidem naturalis dogmata, et morum principia primitus familiæ et deinceps, ea mediante; societati civili credita fuere, sacro servanda deposito; et, quod consequens est, necessariis per principes et familiarum capita, legum dispositionibus munienda [3].

[1] Ita Suarez, de legibus, l. IV, c. XVI, n. 8 dicens : « Ex benigna interpretatione voluntatis Pontificis, lex censetur pro tunc non obligare, et tali declaratione prudenter facta, cessat etiam omne periculum peccati. » Ita Layman, l. I, tr. IV, c. III, n. 7, et Lucius Ferræris, *Bibl. can.* verbo, *lex.* art. 2, n. 19. Hoc innuit Ben. XIV, *de synodo*, l. IX, c. VIII, et suadet ipsa recursus ratio.

[2] Hæc aperta est doctrina Ben. XIV, loco citato.

[3] Qui hoc latius probatum cupit, præter Bell. et Zallinger jam citandos, conferat Zaccariam, l. II, diss. 2, c. 2, n. 3, et c. 3, n. 4. Frayssinous, disc. *Union et appui réciproque de la relig. et de la société*, Bœhmer, in tit. VII. l. V, *decretálium*, n. 87. Nec mirum cuipiam videatur; tantum potestatis hic attribui principibus sub lege naturæ : quippe qui iidem fere sacerdotii munere fungerentur. Hoc autem totum positivæ institutionis fuit, ordinante aut permittente sic pridem Deo; qui pro religione Christiana aliter disponere

Verum manifestum est, ut ait Zallinger [1], « per ecclesiæ et or-» dinis hierarchici institutionem, a Deo factam, istiusmodi jus pe-» nitus cessasse, » scilicet jus proprium ac primarium. Instituta namque, ut probatum est, divinitus alia potestate, eaque principali ac prorsus independente, quæ prius existebat, si non suppressa penitus, illi tamen facta est obnoxia et secunda. Ita quidem ubi de religione naturali agitur.

Ubi autem de positiva Christi religione sermo est; nihil umquam in mandatis princeps habuit; ut vel minimum in ecclesia, *suo* moliretur *nomine* : nihil enim quidquam, quando ecclesiam divinus instituit Salvator, de principe civili locutus est; nullusque illi in ordine hierarchico gradus fuit assignatus [2]. Quæ generatim in religionis negotio, eadem in libros, religionis eversivos, potestas est.

102 Sunt tamen principes civiles, si Christiani sint, custodes et defensores religionis, etiam positivæ, quod testimoniis et ratiociniis solide evincunt Bellarminus [3], Zallinger [4] aliique; in quo amen, ut supra cautum est, ecclesiæ subserviunt votis et exspectare debent mandata. Et quidem olim Pontifices et concilia, conversis recenter ad fidem Imperatoribus, latiores indulserunt habenas; donec experientia docuit; principes aut dominandi pruritu abreptos, aut ab hostibus ecclesiæ deceptos, sæpius in fidei convertere detrimentum; quod in ejusdem concedebatur præsidium.

Hinc unicuique, puto, manifestum est; quam a veris principiis abhorreret, quæ modo passim vigebat censura civilis; quamque exstinctam nuper, in Instr. sua past., sibi gratulabatur ill. Affre, gloriosæ memoriæ, Archiepiscopus Paris. Quid enim absonum magis quam videre magistratus civiles calamo censorio ipsa illustrissimorum juxta et doctissimorum virorum scripta religiosa castigantes [5].

dignatus est. In ipsa lege veteri plerique Reges Juda, virtute conspicui, de religione mandata edixere; nec umquam desuper reprehensi leguntur. David quidem plura de expresso Dei, per manum prophetarum ejus, mandato, statuit, (II. Paral. c. XXIX. 25); verum simile mandatum aliis regibus fuisse datum, haud probatur. Sæpe etiam de consensu Pontificum statuisse conspiciuntur; alias tamen sic ipsis solis acta et statuta tribuuntur; ut nullum videantur a Pontificibus mandatum tulisse.

[1] Jus nat. n. 226.

[2] V. Bell. *De controv.*, t. II, l. III, c. XVII.

[3] *De controv.*, t. II, l. III, c. XVIII.

[4] *Jus nat.*, n. 226.

[5] *Instruction past. sur la composition, l'examen et la publication des livres en faveur desquels les auteurs ou éditeurs sollicitent une approbation*, 4 déc.

103 Si tamen, in quodam regno, ad obtinendam internam civium concordiam uniendasque contra hostem communem omnium vires, legitime initum fuerit pactum; vi cujus, omnis sectæ aut opinionis hominibus promittitur *æqua protectio;* verius dixerim, *æqua tolerantia* seu *protectio mere negativa;* aut si, quæ legem non patitur, similis tolerantiæ ingruerit necessitas; jam quidem hoc protectionis in ecclesiam officium actu suspendetur; quia secus læderetur quæsitum acatholicorum jus : nihilominus inclyti, qui in simili republica magistratum gerunt, viri, caute hic procedant necesse est : non enim ullum iis suffragium est; qui legum abuterentur præsidio, etsi non ad cooperandum, concursu positivo, impietatis propagationi aut publicæ morum corruptioni; certe ad permittenda, si nulla hoc necessitas exigat, publica quæque adversus religionem, præsertim naturalem, delicta.

§ III.

Ad quos in ecclesia spectet; hanc exercere potestatem.

104. Imprimis certum est, et convenit inter omnes in conciliis œcumenicis summam esse censurandi prohibendique prava scripta potestatem; idque praxis omnium pene conciliorum generalium confirmat.

105. Summa quoque est auctoritas Romani Pontificis; qui non secus ac concilia œcumenica, si tamen debitæ adfuerint circumstantiæ, in doctrina fidei ac morum, inerrantiæ dono (ut cum majori potiorique catholicorum scriptorum parte, et argumentis nixi, ex scriptura, ss. Patribus, seculorum praxi et ecclesiarum, ne Gallica quidem, saltem paullo antiquiori, excepta [1], con-

1844. Ibidem. p. 4 legitur : « Nous ne regrettons pas le mode employé autre» fois pour prévenir les erreurs opposées à la foi; parce que ce mode étoit » vicieux. Les prêtres qui publioient des livres, quels que fussent leur répu» tation, leur savoir, leurs grades dans les universités, ne recevoient pas » pour juges de leur doctrine, des évêques, leurs pairs dans la science, leurs » supérieurs dans la hiérarchie. Le chef de la magistrature, le gardien des » lois de l'état, avoit aussi la garde des lois de l'église, de ses dogmes, de sa » morale;..... les livres d'église et les instructions pastorales en étoient seuls » affranchis »

[1] Cfr. Comitia cleri Gall. 1626, art. 137.

sensu certissimis, tenemus) divinitus est instructus [1]. Insimulat quidem Romanum Pontificem (l. c., n. 93), Bœhmerus « Quod » paullatim eamdem sibi auctoritatem, quam concilia in univer- » sum habent, arrogavit asseruitque. » Et merito; si probatum fuisset umquam; Pontifices, quum hanc, invisam nonnullis, potestatem exercent, non nativam sibi, sed quam in Episcopos et synodos usurpant, auctoritatem exercere : sed hic labor est. Ne vero incassum desudet adversarius noster; festinemus cum em. card. Baronio (ad ann. 496), ostendere; quam antiquus et constans in ecclesia mos sit; Pontifici Romano præ ceteris submittere, qui de re fidei et morum eduntur, libros.

Seculo III, ad Pontianum missi fuere libri Origenis; ut damnarentur [2].

Dionysius Al., conscriptis quatuor, *de ss. Trinitate*, libris, eosdem ad Dionysium, summum Pontificem, misit; ut ipse judicaret; num ejus recta esset, de Trinitate, fides.

Ad Innocentium I, summum Pontificem, præstantissimi quinque Africæ Episcopi dedere litteras, ut Pelagii librum condemnaret [3].

S. Augustinus, in exordio librorum, quos edidit adversus duas Pelagianorum litteras, declarat; se mittere ad Pontificem Romanum scripta sua « Non tam discenda, quam examinanda; et, ubi for- » sitan aliquid displicuerit, emendanda. »

De Cæsario Arelatensi scribit Gennadius [4], quod ipse « De » gratia quoque et libero arbitrio edidit testimonia, divinarum » scripturarum et sanctorum Patrum judiciis munita, ... quod » opus etiam Papa Felix, per suam epistolam roboravit. »

[1] Hanc adeo veritatem theologice certam habemus : contraria tamen recentiorum Gallicanorum opinio ; quæ Romani Pontificis, in fide aut moribus, judicium irreformabile non habet ; nisi cum episcoporum, actu in concilio congregatorum, vel per orbem dispersorum, accesserit consensus, saltem tacitus, hæreseos damnata numquam fuit; licet certe a s. Sede rejecta atque improbata. (V. Wallemb. Tr. I. *De examine princip. fidei*, exam. 3, par 8, n. 61. Veron. *De regula fidei*, c. 2, par. 15, n. 1 ; Bellarm. *De Rom. Pont.*, l. IV, c. 2, et Muzzar., *De infall. s. Pont.*

Notamus tamen cum cl. Wallemburgicis, l. c. id quod ait Card. Bell. « Catholici omnes conveniunt; Pontificem solum, vel cum suo particulari » concilio, aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non; esse » ab omnibus fidelibus obedienter audiendum. » Quanto magis in re disciplinari?

[2] Conf. Constantium *in Pontian*, § *unic.* n. 2. col. 116 et in Fabian. § 1, num. 1, col. 117.

[3] Apud Coustantium, *Epp. Rom. Pontt.* col. 884.

[4] *De scriptor. eccl.* cap. LXXXVI. in tom. II opp. *s. Hier. ed Veron.* col. 984.

Ipse Gennadius [1] testatur, suum se, de fide librum, Gelasii Papæ judicio subjecisse; eumdemque Gelasium Honorati Massiliensis scripta approbasse. Sed quid inhærcam citando Eulogium patr. Al.? Joannem Diac.? Godfridum Viterbiensem, aliosque? Audiamus tamen S. Anselmum, qui l. I. *De inc. verbi*, c. I. ad Pontificem scribit : « Quoniam divina providentia vestram elegit Sanctitatem, » cui et vitam et fidem Christianam custodiendam, et ecclesiam » suam regendam committeret; ad nullum alium rectius refertur; » si quid contra catholicam fidem oritur in ecclesia; ut ejus aucto- » ritate corrigatur; nec ulli alii tutius, si quid contra errorem res- » pondetur, ostenditur; ut ejus prudentia examinetur. »

Synodus quoque Suessionensis an. 1120 in hoc præsertim improbat Petrum Abailardum; quod librum *nec Romani Pontificis*, nec » ecclesiæ auctoritate commendatum, legere publice (præsump- » sisset), atque ad transscribendum, pluribus eum ipse præsti- » tisset [2].

Commiseratione potius, quam seria responsione dignum est, quod, *Disquisitionis suæ academicæ de papistarum indicibus librorum prohibitorum et expurgandorum*, c. 2, Daniel Francus Pontifici ideo movet bellum; quia in probandis et reprobandis libris primas tenet : hoc enim jus ipsa primatus prærogativa procul dubio continetur. Quare in cassum ictus dirigit; donec ipsum, qui divinitus radicatus est, primatum evulserit. Fatetur quidem ille, *disquis. c. IV, n.* 58, *Pontifices quosdam temporibus antiquis hæreticorum libros exterminasse et n.* 59 *nonnullos e veteribus lucubrationes suas..... publicæ luci exponendas*, *Pontifici Romano* transmisisse; verum non isthinc auctoritatem pontificiam multum commendari existimat; quam ait, eo existimatam fuisse minorem; quo propiores essent homines ad priora veneranda antiquitatis primordia. Sed dicat nobis, quæso; quæ ratio sit, ob quam, ab antiquissimis temporibus, sua ad unum Romanum Pontificem scripta examinanda; et vel probanda vel corrigenda detulerint ss. Episcopi? Cur libros recensendos abs remotissimis regionibus eidem uni destinent Patres docissimi Augustinus, aliique? Cur ipsi, fere soli, dissitis ex locis, hæreses denunciantur. Cur ipsius ferme sententia, eaque continuo decretoria, feriuntur et premuntur hæreticorum errores; si non ejus unius judicium præ omnibus exspectandum et sequendum habeatur?

Hanc porro potestatem suam Pontifices non semper eadem ra-

[1] C. 1c et c. 1b. col. 989 et 990.

[2] Ep. 1. Abailardi ad amicum, n. 9.

tione exserunt; aliquando eam per semetipsos immediate exercent; sæpius vero per alios, puta per ss. Congregationes inquisitionis generalis fidei et indicis, de quibus infra latius erit agendum: olim etiam hoc negotium committebatur sacri palatii magistro, cui non solum libros imprimendos censendi, adeoque negative prohibendi; sed etiam impressos nigra notandi censura, facultas concedebatur; ut videre est apud Catalanum : *de magistro sacri palatii ap. libri duo*, l. 1, c. VIII. Certe raro, postremis temporibus, s. Palatii magister hac potestate usus fuit. Immo nec memini, Benedictum XIV, qui const. sua, *sollicita*, totum hoc negotium exponit et latius de præfatis congregationibus tractat, de s. Palatii magistro, ejusve in re partibus, ullam injicere mentionem.

106 Tertio loco synodi particulares pro eo, in quem jurisdictionem exserunt, tractu, libros proscribunt; ut satis constat ex usu, in historia ecclesiastica, notissimo.

107 Episcopi etiam, ut judicium habent de rebus, quæ sunt fidei et morum; ita et discretionem de iis, quæ circa fidem aut mores scripta sunt.

Hoc vero jus et officium espiscopali nativum muneri, quia subordinatum est, arctari a Pontifice certissime potest; nulla tamen id reservatione constringi, ostendit regula 10ª indicis, dicens: » Liberum est Episcopis aut inquisitoribus generalibus, secundum » facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui, his regulis per- » mitti videntur, prohibere; si hoc in suis regnis, aut provinciis » vel diœcesibus expedire judicaverint ».

Doctrinam itaque catholicorum adulteratur Francus; dum extra Pontificem solas ponit causas ministeriales in hoc prohibitionis negotio.

Episcopis hic mandato æquiparantur inquisitores generales fidei, et omnes, qui jurisdictionem habent in foro externo; non quod judices habendi sint fidei; sed quod ab ecclesia constituti; ut per modum disciplinaris decreti, fidei morumve periculum, e pravis scriptis ortum, a fidelibus sibi concreditis depellant.

Rarius tamen hi omnes suo utuntur jure; quia, ut observat cl. Zaccaria, [1] (qui et idem synodis particularibus, servata proportione, applicat), quum eorum sententia angustis circumscribatur locorum limitibus, neque penitus ab errore immunis habenda sit; auctores, eorumque sequaces difficilius sæpe sese submittunt; et, sin minus ipso in loco, saltem in viciniis, novitatem, excitata curiositate, propagare, simultatesque ciere facilius valent. Cum

[1] L. II, diss. 11, c. IV.

tamen ipsi custodes sint constituti in Israel; quoties necessarium fuerit; si per se malis occurrere haud valeant, ad altiorem potestatem recursum instituant, oportet.

Atque hæ quidem sunt personæ, quibus competit libros, cum potestate, censere et condemnare. Censura vero doctrinalis, seu nudum examen imprimis spectat ad facultates theologicas; ut constat ex usu, qui jam inde a seculo XIII invaluerat [1]; quemque agnoscunt Patres a Tridentino delecti; cum in regulis indicis 2ª et 3ª ad ss. facultatum remittunt judicium. An autem ss. facultates librorum expurgationes nomine proprio emittere valeant; an etiam libros censura approbationis legitima donare; infra, c. IV. magis oportunum erit inquirere. Ceterum sacrarum facultatum sententia, tanti valet, ait. cl. Zaccaria [2], quanti ipsa ratio judicii; quod si liberum sit a partium studio, et præjudicio scholæ; maximi illa æstimari solet a theologis.

Quandoque tamen per speciale privilegium, aut mandatum, potest hujuscemodi censura non nudum importare examen; sed prohibitionem quoque et condemnationem [3].

Superiores quoque religiosorum libros subditorum suorum recensere solent eosdemque imprimendi licentias impertiri; sed hoc unice disciplinam regularem spectat; nec ullo modo ab ordinariorum cos eximit censura. « Si regulares fuerint (scriptorum impri» mendorum auctores), inquit concilium Tridentinum, ultra exa» minationem, et probationem hujusmodi (ab ordinario factam) » licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, reco» gnitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. [4] » Cfr. infra n. 184.

[1] Ortus videtur ex consuetudine, qua solebant Episcopi consulere doctores academiarum in gravioribus quæstionibus doctrinæ. Et quidem videtur primum Episcoporum academiarumque una et eadem fuisse sententia, ab his quidem verbis præformata, ab illis vero sancita et confirmata. Serius autem academiæ proprio nomine censuras emiserunt. Cfr. Crevier, *Hist. de l'univ. de Paris*, t. I, p. 312, 380 et seqq.; t. II, p. 234, 288, 368, 383, 393, etc.

[2] L. c, c. 2, n. 2. Consentit Rayn. part. III, *Erotemate* 2°.

[3] Poterat v. g. Rector pristinæ Universitatis Lovaniensis, si sacerdos esset, ut cetera mandata, decreta, sententias; sic librorum quoque reprobationem, apud suos, per censuras ecclesiasticas urgere. (*Privileg. acad, Lov.*, p. 137.) Verum prohibitiones ejusmodi jam non mere doctrinales, sed et juridicæ, ad memoratum modo quartum prohibitionum ordinem erant referendæ. Quod autem supra de particularium synodorum et Episcoporum statutis observatum fuit, hic potiori de causa, venit applicandum.

[4] Sess. IV. Cfr. Reiffenstuel in l. I, tit. XXXI, n. 143.

109 Sexto demum loco venit censura privata, quæ, edito opere, penes omnem virum est, in materia peritum ac prudentem : auctor enim, edendo librum suum, voluntarie se subjicit doctorum crisi. Est autem ea censura maximæ utilitatis, etiam in disciplinis theologicis, modo debiti serventur limites. Immo, silentibus quandoque, ob speciales circumstantias, legitimis censoribus, privati, necessariis dotibus instructi, hoc munus, pro suo veritatis et charitatis zelo, adimplendo, illorum vices non sine fructu supplent.

CAPUT III.

QUINAM LIBRI GENERATIM VITANDI SINT ET PROHIBERI MEREANTUR.

SECTIO I.

Animadversiones generales.

110 Examinandum nunc venit; quænam scripta fidei morumve integritati adversa habenda sint, et prohiberi mereantur; tum ut constet, quinam libri, de jure naturæ, prohibiti existant; tum etiam, ut, quum forte præceptum positivum accesserit, magis rationabile sit delatum eidem obsequium nostrum; dum ad rectæ rationis lumen contuemur, quam æqua sint statuta, quæ sive a SS. Pontificibus, sive a supremis ecclesiæ tribunalibus emanarunt. Hoc tamen notandum in antecessum est : non ideo operis cujusdam confixionem injustam haberi posse; quia non suppetunt illico severæ, quam subiit, sententiæ motiva; quippe quæ sæpe pendent a circumstantiis, non statim unicuique perviis; quin et forte jam oblivione deletis.

111. Quoniam vero præcipua vitandi prohibendique libros ratio in eo est; quod procul amovendum sit omne fidei morumque periculum; sequens hic poni potest fundamentalis regula : quodvis scriptum cavendum est pro eo, quod fidei moribusve infert, periculo; et merito prohibentur cuncti, alterutro genere, periculosi libri, cujuscumque demum argumenti existant.

Altera non jam prohibitionis, quæ juris naturalis est, sed positivæ proscriptionis justa causa est ipsa auctoris punitio; dum ab eo, quod per libros exercet, magisterio depellitur, eique publice inuritur malæ doctrinæ nota [1].

[1] Ita Suarez, *de fide*, disp. XX, sect. 2, n. 4, et card. de Lugo, *de fide*, disp. XXI, s. 2, n. 26 et 62, ubi ait : « Non est levis poena; quod ejus opera lectione » aut visu alii non dignentur, ut hoc etiam iis ad correctionem deserviat. » Neque est quod dicatur; hac ratione veritati et studiis nocumentum inferri; privari innocentes libro ad instructionem utili, saltem ex parte;... Enimvero numquam desunt in ecclesia viri pii et docti, qui ex damnatis operibus derivent et fidelibus communicent, quidquid ex ejusmodi fontibus hi didicissent.

Equidem fateor posteriorem illam, de qua egimus, proscriptionis causam non ea, quam, capp. 1 et 2., ecclesiæ vindicavimus, potestate contineri, cum ea ad justitiæ vindicativæ rationem pertineat; nos autem unice de legislativa ecclesiæ potestate tractaverimus. Illa tamen judiciaria in ecclesia potestas apud catholicos inconcussa est: eam vero contra rebelles, in ecclesiam, filios stabilire ad juris ecclesiastici publici tractatores pertinet, neque hujus est instituti nostri.

Altera quoque ex hac proscriptionis causa petitur generalis prohibitionum regula: omne scriptum, quo vulgato, delicti reatum contraxit auctor, juste in criminis pœnam proscribitur ac prohibetur.

Ad alterutram vero prædictarum rationum, si quæ aliæ proferuntur, referri eas posse existimaverim[1]. Licet vero sæpe uterque hic prohibitionis finis concurrat; subinde tamen alteruter solus adest; tum vero, siquidem prior finis militet, *prohibitio;* si autem posterior solus adsit, *proscriptio vel condemnatio* proprie appellabitur: alias hi termini sæpe confunduntur.

Quod vero alterutra isthæc ratio sufficientem præbeat censuræ causam, facile consentiunt catholici omnes; quamdiu saltem generatim tantum res agitur: ast quærenti in particulari, quinam libri vitari debeant, quinam proscribi possint; difficultas nascitur et simultas; dum plures, pro suo errore aut præjudicio; quidam et, pro ægro suo in censores animo, rem definiunt.

112 Ex priori, autem quam protulimus, regula tamquam impia seu irreligiosa (distinctionem librorum impiorum et obscœnorum n. 6 accuratius stabilivimus) vitanda sunt primo omnia scripta, quæ ipsa religionis revelatæ fundamenta evertunt. Talia sunt quæ atheismum, dualismum, aut pantheismum inducunt; quæ providentiam negant; quæ animorum aut immortalitatem aut spiritualitatem impugnant; sive materialistarum, sive physiologorum, aut alio quocumque nomine decertent. Libri etiam deistarum, qui indifferentismum stabiliunt, aut religionem ut nudum status politici instrumentum traducunt.

Secundo loco huc revocantur ii libri, qui religionem Christianam oppugnant; quales habendi sunt libri Thalmudici, cabalistici, quos Judæi pro suæ pervicaciæ apologia contra Christianæ fidei dogmata ediderunt; alcoranum; et illa quæ moderni protestantes, Woolston,

[1] Ad finem v. g. justæ punitionis referri debet, quem cl. Zacc. (L. II, diss. 2, c. 1), dicit vindictam violatæ religionis et honestatis morum. Item quem in præc. nota, card. De Lugo ponit in correctione morali delinquentis, ad quam utique tendit omnis, quæ ab ecclesia infligitur, poena.

Strauss ,.... præcipiti ad rationalismum gradu protulerunt totius æconomiæ messianæ destructiva.

Tertio demum recensendi hic veniunt libri, qui religionem catholicam quoquo modo oppugnant : quo titulo vitanda sunt scripta, quæ ecclesiæ Romano-catholicæ impetunt dogmata; quæ ejusdem regulas, seu scripturam sacram et traditionem convellunt; quæ ecclesiasticam invadunt hierarchiam; quæ potestatem sive judiciariam sive legislativam enervant, aut civili obnoxiam faciunt auctoritati; quæ historiam ecclesiasticam adulterantur; quæ ecclesiæ disciplinam labefactant; quæ conciliorum vitiant acta; quæ ministros religionis calumniis aliisque injuriis proscindunt. Nemini, puto, cui sana est religio, dubium suborietur; quin ab istis et similibus libris, passim nascatur periculum, ne lectorum fides, detrimenti quid capiat.

113 Ad classem vero librorum, quos, immorales dicimus, ex eadem regula imprimis ii referendi sunt libri, qui ipsa morum principia nimio rigore constringunt aut damnabili laxitate distendunt.

Accensenda sunt scripta quæ, cum practice in morum regulas ipsa impingunt, funesta lectoribus ad vitium incentiva præbent. Quo titulo procul habendi libelli diffamatorii, præsertim adversus personas publicas editi; qui auctoritatem aut statuta principis quovis modo convellunt; libri magici et superstitionibus pleni, quique religionem aut pietatem ullo modo labefactant; verbo omnes, quotquot virtutes christianas vitiant.

At nominanda hic præ omnibus, quæ morum honestatem spurcitiis commaculant, scripta satanica et maledicta [1], vel in usum dramaticum [2] vel ad solam lectionem (Romanenses audiunt) con-

[1] V. l'*Instr. past.* not. 12; où ces épithètes sont imprimées à la littérature, qui est à l'ordre du jour, par le *Constitutionnel* et la *Revue nationale.*

[2] Sur la littérature dramatique, voyez *le Théâtre*; dont je me borne à citer deux passages remarquables. « Dorat, grand amateur du théâtre, nous dit dans ses réflexions sur l'art dramatique, qu'on va aux spectacles pour y retrouver ses penchants et ses vices. « Si les pièces présentent quelquefois des leçons de » vertu, dit M. Simonet, on n'en rapporte cependant que les impressions du » vice. On ne peut faire réussir une pièce, ajoute Nougaret, qu'en flattant les » passions des cœurs corrompus. La comédie et la tragédie mettent toujours » l'amour en jeu. De plus de quatre cents tragédies, qu'on a données au théâ- » tre, c'est la remarque de Voltaire, depuis qu'il est en possession de quelque » gloire en France; il n'y en a pas dix, qui ne soient fondées sur une intrigue d'amour. » D'Alembert lui-même avoue que l'amour règne dans toutes les tragédies de Corneille. Arnaud ayant reproché à Racine d'avoir travaillé en ce sens; celui-ci lui répondit : *Eh, monsieur! sans cela qu'auraient dit les*

ficta; quibus, rem deplorandam nimis! Belgium totum, velut imbre pestifero, quasi submersum jacet [1].

Auctor libri : *Les mauvais livres*, p. 61, ostendit; omnes quorumcumque nocuorum librorum funestissimos effectus e romanensibus modernis, quasi ex propria omnimodæ corruptionis cloaca enasci : et vere quod supra n. 6 et seqq. in libros impios et n. 11 et seqq. in libros obscœnos scribebamus, vel maxime istiusmodi convenit scriptionibus; quæ an sacrosanctæ religioni nostræ; an morum honestati bellum magis acre magisque perfidum inferant; non facile ex iis, quæ, a n. 23, delineavi, ejusmodi scriptorum exemplis, asseveravero.

[1] Cfr Instr. past. anni 1843, § 5, et librum : *Les mauvais livres*, 3e éd., p. 140. V. *Arrêtons.*

petits maîtres? » L'Encyclopédie fait encore un plus grand aveu, en disant que le comique obscène est encore souffert sur les théâtres par une sorte de prescription (ceci est encore plus vrai de nos jours.) Dans une ode sur la fuite du monde, H. Houdart de la Motte appelle le théâtre *une vive école des passions*. Auteur célèbre d'un grand nombre de pièces, il abjura ses travaux couronnés et déclara les maximes de ces sortes d'ouvrages diamétralement opposées aux maximes du christianisme. J.-J. Rousseau avait écrit sur le théâtre, il avait dit : « L'effet du théâtre est de donner une nouvelle énergie » à toutes les passions... Tout est mauvais et pernicieux dans la comédie. » Plus elle est agréable et plus son effet est funeste aux mœurs. Qui peut » disconvenir que le théâtre de Molière ne soit une école de vices et de mau- » vaises mœurs, plus dangereuses que les livres mêmes où l'on fait profes- » sion de les enseigner! » Voyez avec quel scandale cet homme renverse les rapports les plus sacrés, « Et tourne en dérision les respectables droits des » pères sur leurs enfants, des maris sur leurs femmes, des maîtres sur leurs » serviteurs » (p. 20 et 21.) Et à la page 27 : « En 1838, il parut à Schaffouse une brochure qui dépeint en traits vigoureux les pernicieux effets du théâtre moderne sur les mœurs, la religion et le bien-être des familles. Citons le passage où cet écrit traite de l'immoralité épouvantable, dans laquelle le théâtre est tombé de nos jours, et de la dépravation qui en est la suite nécessaire parmi le peuple. « Un spectacle où la moralité serait respectée, resterait » désert de nos jours. Le drame français moderne n'est qu'un tissu de crimes, » de blasphèmes et d'horreurs. C'est un monstre moral. Parmi les personnes » du sexe qui figurent dans les pièces du théâtre de Victor Hugo et d'Alexan- » dre Dumas on trouve huit femmes adultères, six courtisanes de différent » rang, six victimes de la séduction; quatre mères ont des intrigues avec » leurs fils ou gendres, et dans trois cas le crime suit l'intrigue. Onze per- » sonnes sont assassinées par leurs amants ou leurs maîtresses, et dans six » de ces pièces le héros principal est un bâtard ou un enfant trouvé; et toute » cette masse d'horreurs a été entassée par deux auteurs Parisiens dans six » drames créés dans un espace de trois ans! »

« A l'occasion de la loi sur la police des théâtres, nos chambres législatives

Quo vero majorem ab iis aversionem instillare valamus; juverit eorumdem notare indolem, variasque enumerare et delineare pestiferorum scriptorum species.

« La plupart des romans qui aujourd'hui inondent la société, » ait d. Nyssen [1] sont loin de réunir ces qualités. Ce n'est souvent » qu'un tissu incohérent d'aventures sombres, horribles, invrai- » semblables et incroyables; de circonstances minutieuses, fri- » voles, où les caractères sont outrés, les sentiments faussés, les » tableaux gigantesques, les images extravagantes, les pensées » vagues et obscures, la diction recherchée et inintelligible; plus » propres à favoriser l'oisiveté et la dissipation, à corrompre le » sentiment et le goût, qu'à remplir aucun but raisonnable, et par » conséquent indignes d'occuper nos loisirs. Ajoutons qu'un grand » nombre de ces écrits ont des tendances plus nuisibles encore : » ils peignent le vice sous les plus vives, les plus séduisantes cou- » leurs, le rendent aimable et attrayant, ils présentent les crimes » les plus horribles comme des faiblesses, qu'il faut prendre » plutôt en pitié qu'en horreur; tandis que la vertu ne paraît que » dans l'ombre, revêtue de couleurs sombres, rebutantes, plus » propres à inspirer le dégoût que l'amour. Ils vont plus loin en- » core : ils échauffent l'imagination du lecteur par la peinture de » passions grossières et brutales, par des récits remplis d'images » voluptueuses et sales; ils alimentent dans le cœur le feu d'un

retentirent des mêmes plaintes. « Les grandes, les belles productions, dit » M. Dequesne, sont encore à venir. En revanche l'on se trouve inondé » d'une nuée d'adultères, d'incestes, de meurtres, d'infanticides et de parri- » cides. Si le théâtre du siècle passé n'est pas à l'abri de tout reproche, au » moins s'était-il renfermé dans certaines limites : en est-il de même de notre » théâtre moderne, où tous les crimes et toutes les immoralités sont présen- » tées avec une crudité plutôt repoussante que dangereuse? Le mal, le dan- » ger est dans la pensée intime qui représente tous ces crimes comme des » faiblesses presque pardonnables, presque louables, et dont on a soin de doter » généreusement le héros ou la héroïne. L'on sape ainsi la base de la famille, » du mariage, de la société et de la religion. Il n'est point jusqu'à l'horreur » du vol et de l'assassinat que l'on n'ait cherché à affaiblir, à effacer même. » « Voilà comme parle un législateur, un homme du monde. »

Voyez aussi sur la funeste influence de la littérature, surtout théâtrale, sur les sociétés modernes, B. Quinet : *Étude sur la Lucrèce de M. Ponsard et sur les Burgraves* de V. Hugo (choix de mém. de la société litt. de l'univ. cath., t. III, p. 296 et 300.) Quod tamen dicit auctor, dilaudando dominum Ponsard, ab ea, quam in scribendo servat morum honestate, in hanc ejusdem lucubrationem præcise quadrare intelligitur.

[1] *Essai de poétique*, 2e part. p. 270 2de éd.

» plaisir vil; ils éteignent ou affaiblissent tous les principes, tous » les sentiments de la religion et de la morale; ils engendrent une » pernicieuse mélancolie, qui à son tour enfante le dégoût de la » vie pratique, le dégoût pour tout ce qui demande du travail et » des efforts; ils provoquent mille désirs insensés, font naître » mille illusions chimériques, qui, ne pouvant se réaliser dans la » vie, conduisent trop d'infortunés jusqu'au désespoir, jusqu'au » suicide. »

Nempe quod de Rousseauvio ait d. Duvalconseil (in sua ad l. *Revue des romans contemporains*, præfatione, qua vix utilius quid proponi potest, illi præsertim juventuti, quæ, romanensium legendorum prurigine titillatur) integræ, quæ ab eodem Rousseauvio instituta fuit, scholæ litterariæ applicari verissime potest: « Rousseau » dans ses romans, dit-il, a cherché à établir la sainteté... de la » passion et sa nécessité; il a admis la fatalité des circonstances; » il a appelé l'intérêt sur les êtres vicieux; il les a exaltés au dé- » triment des personnages vertueux; il a justifié le dégoût de la » vie réelle et l'abandon des devoirs, qu'elle impose; il a introduit » enfin une idée dogmatique dans le roman [1]. »

114 Est autem inter varias romanensium species imprimis memoranda, quæ a præcipuo, quem præfixum habet, scopo, philosophica dicitur. Illius indolem tradit idem Duvalconseil his verbis : « Les personnages ne sont mis en scène, que pour démon- » trer une vérité, ou plus souvent une erreur, et aussi pour ex- » primer une doctrine qui ressortira comme moralité du drame [2]. » De quo et testatur dicens : « Profondément immoral, sceptique, » sophistique, anti-religieux et anti-social, il semble n'avoir jamais » eu d'autre but, que d'amener la confusion du bien et du mal [3]. » Porro ex præconcepto, quod omni modo inculcandum sibi sumunt plerique romanensium scriptores, placito, plerumque fit; ut cetera pensi habeant; et non modo negligant rei cujusque cum vero similitudinem; sed et studio corrumpant ipsam factorum veritatem [4]. In hac autem romanensium specie Rousseauvio propior incessit G. Sand, qui romanensibus suis paradoxa Petri Leroux (cujus libri, vel ipsis philosophiæ studiosis pene sunt inacessi) etiam vulgo, forma sensibili simul ac amœna, pandere suscepit impudens atque impia, quo sub isto viri nomine, delitescit fœmina.

[1] P. XXII.
[2] P. XXVI.
[3] P. XXV.
[4] Ib. in d. Victorem Hugo, p. 2 49 et al.

In alia autem specie, quæ delectationis ergo tota in descriptionibus, picturis, novorum stupendorumque enarratione, etiam cum veritatis dispendio contextique libri deformitate, versatur, et ideo *descriptiva* audit, inter romanenses Gallos, facile princeps est d. Victor Hugo, præcipuus promotor scholæ eorum; qui, ubi ad romanensium scriptionem se conferant; id unum propositum sibi habent; ne umquam decessoribus suis aut semetipsis in pascendis insaturatæ lectorum spectatorumque turbæ curiositate passionibusque inferiores visi, apud plebem existimatione cadant, deseranturque abs pretiosis clientibus suis [1].

Hæc duo genera, valde usitata, passim etiam in eodem opere simul intermixta notantur; ut ex recensitis, a n. 23, exemplis, quæ casu ex celebrioribus lucubrationibus selegeram, liquet.

Est autem inter alia quæ supersunt romanensium genera et unum præ ceteris pestiferum; *intimum* audit, quoniam in magnam populorum ædificationem, confessionis aut familiaris inter fidissimos animos conversationis prætextu, conscientiarum intima pandit secreta. Ex qua ipsa notione facile unusquisque intelligit; quid eo scriptorum genere contineatur malitiæ ac perversitatis; quamque funestos, captivata legentium curiositate, in plebe producere debeant effectus.

Supersedeo recensendis aliis, quæ jam introductæ sunt (nec pauciores induci ultra possunt) romanensium speciebus [2].

116 Absit tamen; ut propter enormes, quos in eo scriptorum genere deploramus, abusus, ipsam scribendi formam et quidquid secundum illam elaboratum prodiit reprobare censeamur; vere etenim de romanensi, in se spectato, scribit cl. d. Nyssen l. c. « Un roman bien écrit, dont le sujet est vraisemblable, intéressant » et développé avec art; dont le but est d'instruire le lecteur, de » lui faire aimer la vertu et haïr le vice; de lui montrer dans quels « égarements, quels périls et quels malheurs entraînent les pas- » sions, quand elles ne sont pas réprimées, peut être regardé » comme une production très-utile. » Potest igitur horum librorum lectio certis hominibus esse valde proficua. Generatim tamen eorumdem usus sobrius sit oportet; quoniam frequens romanensium, etiam bonorum, lectio graviorum studiorum incapaces reddit lectores, et sæpe sæpius ad libros perversos viam sternit [3].

117 Quæ vero de libris, morum honestati adversis, dicta fuere,

[1] Duvalconseil, in præf. p. xxvi, et xxx, Cfr. ib. et in Vict. Hugo, p. 6 et 7,
[2] Cfr. Duvalconseil, op. cit. avant-propos, p. xxi.
[3] V. *Journ. Hist. et litt.*, t. XI, p. 603.

præcipue intelligenda veniunt de libris, qui ad amores illicitos excitandos aut fovendos unice confinguntur; quos adeo conscribere semper est malum; legere vero similiter malum; nisi malum finem seu effectum, quem dicam ipsius operis, pro circumstantiis, moraliter avertendo, superet aut saltem exæquet finis honestus operantis. Sunt quidem alii libri, qui de re turpi tractant, v. g. chirurgici, etiam obscœni : hos tamen ut legere sic et componere excusat necessitas et charitas. Horum etiam non ita præcipitanda prohibitio est; cum non tantis eorumdem lectio polleat illiciis.

Ridiculum ergo se hic præbet Boehmerus [1]; dum curiam incusat Romanam; quod libros istos præ scriptis poetarum censet esse permittendos.

Interim ipso ecclesiæ Romanæ judicio, ejusmodi libros, pro illo, quod eosdem legendo quis incurrit, periculo, de jure naturæ vitandos esse; inter catholicos ignorat nemo.

118 Ex posteriori autem, quam n. 111, allegavimus, justa prohibitionis causa, proscribi positive potest omnis liber, quo vulgato, auctor vel editor neglectæ cujuscumque legis, nominatim positivæ reatum incurrit. Æquum namque est; ut in quo quis genere delinquit, in eodem et puniatur.

Traditis nunc regulis generalibus et indigitata summarie proscriptionis materia, necesse non est, ut eamus per singula et cum Theophilo Raynaudo [2], velut ex tripode statuamus regulas particulares, quas censores ipsæque abs R. Pontifice institutæ sacræ Congregationes fideliter servent. Oportunum tamen fuerit, quasdam hic brevibus perstringere quæstiones, sive pro singulari, cujus hisce diebus nostris noscuntur esse momenti; sive ad depellendas malevolorum calumnias.

SECTIO II.

Quæstiones particulares, de iis, qui vitari et prohiberi debeant, libris.

119 In primis quæri potest; an libri ea præcise ratione prohiberi debeant; qua vel in se mali sunt, vel lectoribus periculosi?

R. Certum est, de jure naturali ac divino, libros perversos præcise vitandos esse, pro ratione, non qua in se mali sint, sed qua nocivi sint ac perniciosi.

Quoad prohibitionem positivam vero, de qua proprie intelli-

[1] In l. v, decret., tit. vii, n. 85.

[2] *Erotematum* tota, qua latissime, paginis 250, patet, 1ª parte.

genda quæstio est, ad utrumque illius membrum respondendum est negative. Cum enim ecclesiæ potius incumbat, peccata futura cavere, quam præterita plectere; libros, quatenus in se mali sint, dum eorumdem lectio periculum fidei aut moribus nullum infert, seu, in auctorum pœnam, proscribere, vix tenetur; nisi quum aut scriptoris frangenda contumacia est, aut, funestum aliis, impunitatis exemplum semovendum.

Libros vero periculosos convenienter quidem judices, ea ratione, qua perniciosi sint, quantum *moraliter* fieri potest, prohibent : hanc tamen si minus servasse videantur æquitatem; non magis eorum quis sententiam, ut minus justam excutiat; quam qui fur aut latro damnatus, ceteros prædones non simili cum ipsis sententia constrictos causetur. Ceterum non sine temeritate quis sibi similium prohibitionum sumpserit judicium; cum scire haud possit peculiares, quæ judicem moverint, circumstantias. *Mathematicam* etiam in judiciis istis æqualitatem servare : non est datum prudentiæ humanæ; dum non æqua censoribus est, omnium, quæ prodeunt, scriptorum notitiam acquirendi facilitas et occasio; sed nec eadem eorum, quæ leguntur, apud varios apprehensio.

Fabulatur ergo Boehmerus, qui [1] curiæ Romanæ in crimen vertit; quod libros hæreticorum damnet, præ illis gentilium; qui eo minus nunc afferunt periculi, quo magis manifesta est eorumdem absurditas. Nec minus futilia loquuntur alii increduli, hæretici, quandoque etiam lividi in eos, quos justos experti sunt censores, catholici, garrientes, non proscribi opera aliorum suis aut pejora aut magis nociva.

120 Quæritur secundo; an quibusdam libris, quamvis ex se nec mali nec periculosi sint, interdici possit, ob solam legentium fragilitatem.

R. Non quidem proscribi, prohiberi tamen posse et subin debere, nullum est dubium. Militat enim altera, eaque potior, prohibitionum ratio; nocumentum, scilicet, a fidelibus avertendum. Qua ratione ecclesia non tam in auctores librorum jurisdictionem exercet suam; quam in ipsos fideles, qui eosdem legerent.

Idem et veteris synagogæ usus et ecclesiæ Christi exemplum commonstrat. Etenim, ut testantur Julianus Pomerius, auctor librorum *de vita contemplat.*, l. III, c. VI [2], S. Hieronymus [3] et Ori-

[1] L. c. n. 84.

[2] Inter opera S. Prosperi, t. II, p. 38, ed. Venet. 1782.

[3] Procem. in Ezech.; Operum, ed. Paris 1704, t. III, col. 698. Alibi citatur proleg. in Jerem. t. V, p. 3.

genes apud ill. d. Malou (*La lecture de la S. Bible en langue vulgaire*, t. I, p. 323) cautum ab antiquis Hebræis fuit; ne juniores priora Geneseos capita, aut initium aut finem Ezechielis prophetæ, aut canticum canticorum legerent.

Hac immo de causa totam scripturam sacram simplicioribus, idiomate vulgari, vetare sancte ac provide potest ecclesia; ad præcavendum, scilicet, illam dogmatizandi pruriginem, illamque, quam sæpe in bibliorum lectoribus animadvertere est, præsumptionem de ipsa ecclesiæ doctrina judicandi, eo sæpe pervicaciorem, quo magis, qui pronuntiant, competenti sunt scientia destituti [1].

Hoc tamen notandum est; ingens esse discrimen hanc prohibitionem inter et alicujus operis proscriptionem : etenim omnis proscriptio, seu libri damnatio connotat ejusdem prohibitionem; sed non vicissim omnis prohibitio damnationem involvere dicenda est.

Prohiberi ob eamdem rationem possunt libri, qui, communi idiomate, citra necessitatem, tractant illas rei moralis quæstiones, aut religionis controversias; quæ, cum tutius ignorantur, quam discuntur; non nisi peritorum lingua, seposita tamen necessitate, exponi deberent. Quoniam vero isthæc fragilitatis ratio vix integras moraliter afficit ecclesias; vix etiam, hac sola de causa, prohibentur libri a potestate publica; cujus fere munus esse intelligitur, communia pericula removere. Singularium personarum præcavere malum et bonum promovere iis præcipue incumbit, quibus specialis earumdem est cura demandata, parentibus, ludimagistris... [2].

121 Multa sunt, quæ adversum memoratam, de ipsius scripturæ sacræ lectione, propter hominum fragilitatem vetanda, sententiam

[1] Idem in ecclesia sæpius obtinet, semperque pro circumstantiis obtinuit; ut nempe, quæ in se saluberrima forent, lege prohiberi, propter abusus, deberent. « Exploratum est, ait r. p. Perrone, *tr. de locis theol.*, n. 314, non» nulla alicubi et quadam ætate saluberrime constituta fuisse; quæ rerum » adjunctis immutatis, tamquam noxia postmodum abrogata sunt atque » etiam vetita. » Numquid non, ut arguit cl. Catalanus (*De secretario S. congreg. indicis*, l. I, c. XII), vigilias sacras, in primitiva ecclesia pie frequentari solitas, ob ingruentem juventutis abusum, abrogandas ecclesia censuit? Et recentiori tempore, numquid non *consilium delectorum cardinalium et aliorum prælatorum de emendanda ecclesia, S. D. N. Paulo III* jubente conscriptum et exhibitum, ob hæreticorum pseudo-reformantium abusum, relatum fuit inter vetitæ lectionis libros, licet fideliter ipsius ecclesiæ de reformationis, quæ per concilium Tridentinum inducta fuit, necessitate et norma, sensa referet? Res scilicet optimæ abusibus patent, ideoque pro sua prudentia illas moderatur ecclesia.

[2] Cfr. *Journ. hist.*, t. XI, p. 230.

congeruntur ab hæreticis; qui, præsertim a seculi XVI initio, ad nostros usque dies, sub umbra scripturæ, sparsis in vulgus infidelibus, fulsatis et mutilis ejusdem versionibus, errores suas proseminare, aut saltem independentem dogmatizandi spiritum fidelibus afflare conati sunt[1]. Latissimi quidam campi nec minimi etiam hodie momenti est hujus quæstionis pertractatio ; sed quoniam alibi copiosius et studiosius occurrit deducta[2] et his etiam diebus ab eximio doctissimoque universitatis, cath. professore, nunc ad episcopalem dignitatem elevato, contra hodiernos protestantes, qua late patet, eruditissime fuit evoluta[3]; hic breviter tantum, quatenus instituti nostri postulat integritas, ea perstringemus rationum momenta; quibus persuadere valeamus, ejusmodi prohibitionis sanciendæ rationes posse suppetere; ad c. IV. reservantes, inquirere; an de facto justa darentur, tempore celebrati concilii Tridentini prohibitionis ejusmodi ferendæ motiva.

Docent protestantes; quod non possit ecclesia fidelibus inhibere lectionem scripturæ sacræ; quippe quam omnes saltem litterati (ut restringunt quidam, argumentis catholicorum arctati) per se scrutari præcepto divino obligentur.

Præceptum hoc ex proprio illorum principio; quo, traditione abjecta, quæcumque ad salutem necessaria, scripturis concludunt, e sola scriptura s. evincere deberent. Verum in vanum huc usque tali mandato e scripturis extundendo insudarunt. Quam autem impertinentia, aut quocumque modo insufficientia sint innumera, quæ producunt scripturæ testimonia, ut hanc suam sententiam quomodocumque commendent, fusius, singula discutiendo, ostendit ill. d. Malou c. 1. a. 1.

122 Ecclesia vero catholica docet; (quod et semper in sua aut doctrina aut praxi explicite aut implicite docuit) nec necessitate

[1] Modernorum hæreticorum dogmata, cavillationes et conamina vide in prælaudato opere ill. d. Malou, t. I, p. 18, 88 et seqq. Jansenistæ etiam hac protestantium via errores suos propagare conati sunt. Notæ sunt eorumdem pro missalis, Gallice traducti bibliorumque Montensium usu promiscuo, pugnæ. At pariter nota sunt proscriptio præfati missalis ab Al. VII, emissa anno 1661 propositionesque a 79ª ad 85ᵐ inter Quæsnellianas a Clem. XI constit. *Unigenitus* et 67ª inter Pistorienses, a Pio VI const : *Auctorem fidei* damnatæ. (V. litt. encycl. Greg XVI, *Inter præcipuas. Journ. hist.*, t. XI, p. 88.) Non tamen umquam Jansenistæ, cum protestantibus, rationis privatæ judicium statuere summam interprætandæ scripturæ regulam (Cfr. ill. d. Malou, t. II, p. 258.)

[2] Zaccaria, l. II, diss. III, parte 2, c. I. Harney, *Rationabile obsequium....*

[3] *La lecture de la S. Bible en langue vulgaire, jugée d'après l'écrit. la trad. et la saine raison.*

medii, nec necessitate præcepti divini, fideles obligari ad lectionem s. scripturæ; si tamen, viva voce, ediscere possint, quidquid scire debent ad salutem; cum ejusmodi sive præcepti sive medii necessitas non possit ex scripturis aut ex primorum seculorum traditione probari. Docet proin ecclesia; lectionem scripturæ sacræ punctum esse disciplinare; ecclesiasticæ, pro circumstantiis, determinationi penitus permissum [1].

123 Neque unum est, quo isthæc ecclesiæ doctrina, vel solo argumentorum, quæ contrarium evincant, defectu, quantum satis est, probata, contra novitias cavillationes positive commendetur, ineluctabile argumentum.

Primum eruitur ex institutione Christi salvatoris; qui misit Apostolos suos, non scribere; sed docere omnes gentes.

Secundum ex exemplo Christi et Apostolorum; qui non libris, sed prædicatione, mundo tradebant nova dogmata atque præcepta, nedum præter scripturam sedet sæpe contra manifestam ejusdem litteram; utpote abrogatum clamabant libellum repudii, sabbatum, totam legem veterem.

Tertium ex sera librorum novi testamenti conscriptione [2].

Quartum ex ipsa indole sacrarum voluminum; quæ, tanto temporum intervallo edita, neque ex collato auctorum consilio, neque ex ullius sacri scriptoris scopo, ubivis vel leviter subolenti, in unum doctrinæ corpus data fuisse dici possunt.

Hæc et alia argumenta latius deducta et erudite tractata, reperire est apud ill. d. Malou tr. I, c. V, a. 2.

[1] V. ill. de Malou, *la Lecture de la S. Bible*, t. I, c. II, art. 1 et p. Perrone tr. *de locis theol.*, p. 2, c. V, prop. 1.

[2] « Quid si neque apostoli quidem, inquit. S. Irenæus (*Adv. hæreses*, l. III, » c. VI) scripturas reliquissent nobis; nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum,.... scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem.... hanc fidem qui sine litteris crediderunt... » per quam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia » et castitate et sapientia! » Nec minus expresse s. Aug. « Homo itaque fide, » spe et charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget scriptu» ris; nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine » sine codicibus vivunt » *De doctr. chr.*, l. I, c. 39. Sine litteris, sine codicibus credebant fideles ad salutem, et sola traditione docebantur, etiam trecentis annis, postquam omnes libri sacri editi fuissent ac vulgati; an jam tum fallebatur aut fallebat ecclesia; quod verbi Divini erat proprium ausu temerario sumens ipsa sibi? Vel quod tunc recte faciebat ecclesia, non idem liceat hodie? Quibus hoc persuaserint neologi nostri; videant; qua ratione ecclesiæ indefectibilitatem et divinam institutoris ejus tutentur sapientiam.

124 Quam vero tradidimus ecclesiæ doctrinam antiquissima ejusdem praxis confirmat : primis namque ecclesiæ seculis Episcoporum judicio penitus relictum erat hoc negotium; ut, quemadmodum expedire ipsis videbatur; hanc scripturæ s. lectionem aut indulgerent aut restringerent.

Episcopis aliisque ecclesiæ ministris semper existimatum fuit incumbere; ut libros sacros fideli vesarent manu : ita quidem ut passim noverimus vitio datum fuisse; si qui præ scripturis libros profanos volverent; et alibi etiam noverimus statutum; ut Episcopi gentilium libros non legerent [1]; quo, scilicet, quod muniis episcopalibus supererat tempus, studiis sacris impenderent. Quoad simplices autem fideles, hærebat res in terminis juris naturalis; ut alibi quidem, pro frequenti verbi Dei abusu, scriptura diceretur *liber hæreticorum* [2] neque adeo ab ecclesiæ ministris commissa fuerit manibus simplicium et incautorum hominum : alibi vero (quod et communius) promiscue permitteretur; tum quod pauci essent qui litteras callerent, et ii ipsi, satis simplices, ab ore sacerdotis penderent, qui eosdem in fide instruebat; tum quod nondum compositi editique essent religionis libri elementares; ideoque perfectior ejusdem cognitio comparari non posset; nisi per longum ambitum scripturarum; quas ideo Episcopi suis continuo dilucidabant ad populum homiliis.

Immo et expedire visum est aliquando, suadere fidelis scripturæ lectionem; quo plenius in fide instruerentur fideles, præ ceteris docti, et adversus hæreses, quæ fere ex insulsa paganorum philosophia, aut ex contorto uno alterove scripturæ textu pullulaverant, confirmarentur [3].

Labentibus autem seculis copiosior librorum elementarium, qui-

[1] Conc. Cartag. IV, c. XVI.

[2] « Lege Pauli Samozateni opuscula, ait S.Vinc. Ler., Priscilliani, Eunomii, » Joviniani reliquarumque pestium : cernas.... prope nullam omitti paginam, » quæ non novi aut veteris testamenti sententiis fucata et colorata sit » (*contra hær.* c. XXXV) « Verbo Dei scripto nihil melius aut utilius, ait clerus » Gallicanus in ep. 7 jan. 1661 ad Al. VII, nihil alio sensu pejus aut periculo- » sius; cum sit optimi succi corruptio pessima, et a Vincentio Lerinensi, » adversus profanas hæresum novitates, calamo pugnante, scriptura divina » *liber hæreticorum* dicatur » Quod omnino consonat his verbis S. Aug. « Non natæ sunt hæreses et quædam dogmata perversitatis illaqueantia ani- » mas, et in profundum præcipitantia; nisi dum scripturæ bonæ intelligun- » tur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter » asseritur. » Cfr. litt. encycl. Leonis XII ap. ill. Malou, t. II, p. 532.

[3] V. Harney, c. XIII, n. 5 et seq.

bus doctrina sacra plenius proponeretur, facta est supellex : accessit et litterarum neglectus; quo factum est, ut sponte librorum scripturæ s. lectio vulgaris intercideret; præsertim cum vix, nisi linguis, jam passim ignotis, haberentur traducti. Manifestum ergo et ex constanti ecclesiæ praxi est, quod lectio scripturæ s. nec necessitate medii nec necessitate præcepti divini, fidelium vulgo incumbat [1].

Fidelis igitur ita semper sit dispositiis, oportet; « ut abstineat » a lectione, (verbis utor ill. Languetii [2]) si interdicatur; ut reli- » giose utatur, si permittatur, et præsertim, ut non accuset aut » tempora aut loca, quibus viget disciplina diversa ab illa, quam » servat, in qua ipse vivit, ecclesia. »

Eamdem illam, quam vindicamus, ecclesiæ doctrinam ex ipso ss. Patrum, quos continuo inclamant adversarii nostri, consensu indubitatam facit ill. d. Malou t. I. c. VI. a. 2. IV.

125 Contendunt tamen adversarii nostri, quod Patrum quarti, quinti, sexti et septimi seculi doctrina non permittat in dubium revocare; quin præcepto Dei fideles omnes obligentur legere libros sanctos, idiomate sibi noto; nihilque hic, aiunt, arbitrio esse relictum ecclesiæ : primi namque, inquiunt, patres omnibus modis urgent ejusmodi lectionis necessitatem; docentes, scripturam esse *regulam* et *legem*, ex qua vita nostra componenda; esse *constitutionem religiosum* omnibus apertam, quia omnibus data; esse *testamentum* Patris cœlestis, quod filiis abscondere possit nemo; animæ esse *cibum* et *medicinam* et his similia; ut nullus ab ejusmodi lectione excusari possit, neque negotiorum distractionibus; neque librorum inopia.

2° Neque causari quis potest, quam non capiat, divinorum eloquiorum sublimitatem; dum ad omnium instructionem adeoque et intelligentiam stylo simpliciore et claro sunt exaratæ.

3° Quorum librorum sanctorum subsidio etiam magis indigent, qui magis sunt infirmi aut mundi periculis expositi [3].

4° Porro juxta doctrinam sanctorum illorum ecclesiæ Patrum, e sola scriptura s. dogmata religionis nostræ stabiliri valent; nihilque est admittendum, quod non scriptura contineatur etc. [4].

[1] Cfr. ill. d. Malou præsertim initio c. VII et p. Perrone tr. *de locis theol.*. c. V, n. 314, seq.

[2] Instr. past. an. 1718.

[3] Apud Harney, c. XIII, n. 4 et Sixtum Sen. *Bibl.* lib. VI, ann. 152. Ita et Jac. Laurentius, *Dissert. theol. de libris gentilium... permitt.* in introd. n. 35 et seqq. ubi varia ex s. Chrysostomo adversum nos corollaria deducit; quæ partim hic; partim infra c. V. subvertentur.

[4] Ap. ill. d. Malou, t. I, p. 238.

126 R. Generatim. 1 ad hominem, cum ex d. Malou [1] : quod in vanum, pro suo, qui omnem traditionem negant, principio, nobis opponant sanctos Patres : omnis namque cum ipsis quæstio scriptura sacra concludi debet ac definiri; si scriptura nullum suppeditet peremptorium argumentum; ergo ecclesiæ permissa res est; nec habent quidquam, quod opponant.

127 2. Ut hæretici nos catholicos ex ipsa nostra de traditione, doctrina valeant urgere; ostendant necesse est; quod Patres docuerint; universos Christi fideles præcepto juris divini aut naturalis teneri; ut hac præcise lectionis via religionis veritates ediscant; neque adeo posse ecclesiam in hoc puncto vel minimam inducere immutationem. Quam autem in vanum huc usque desudarint, præ ceteris accuratissime, discussis singulis, qui afferuntur Patrum textibus, demonstrat sæpe jam laudatus illustrissimus auctor [2].

128 R. 3. in specie ad 1. Patres, scripturarum necessitatem prædicantes, nullibi proferunt positivum aliquod, quo earumdem lectio imponatur, præceptum; sed insinuant necessitatem quamdam medii; quam variis adhibitis similitudinibus, legis, regulæ, testamenti, cibi.... commendant; in quibus id apparet manifestum; quod signum ponant pro re signata, continens pro contento, instrumentum pro ipsa re.... Hoc solum illorum est intentum : declarare summam pro vita animæ spirituali, necessitatem cognoscendi veritates, quæ scripturis continentur, et a quibus discendis excusatur nemo, sive negotiis obrutus, sive idiota. Sic v. g. Hieronymo « Ignoratio scripturæ est ignoratio Christi. » Verum qualiscumque illa necessitas medii, ex ipso bibliorum volumine discendi veritates, quas scriptura s. nobis pandit, suapte natura cessat; simulatque alia quacumque via idem ille finis obtineri potuerit : atqui post prædicatum ubique terrarum evangelium, converso orbe, multiplicatis ecclesiæ ministris, evulgatisque elementaribus religionis libellis, aliis a scripturæ lectione viis per compendium fideles dogmatum credendorum, officiorumque implendorum notitiam, clariorem etiam, sibi comparare valent : cessavit igitur illa qualiscumque medii necessitas.

Sunt itaque libri sancti *lex nostra;* sed non unica, et cujus ipsius singulares dispositiones plerique et compendiosius et tutius ab aliis discunt; quam si ipsi textum legis pervolverent. Sunt *religiosa quædam constitutio;* sed tum demum, potiorem partem, litteris consignata, cum jam dudum; singulorum essent jura evulgata atque usu recepta; sed quæ fateatur immo ipsa, non omnia fuisse calamo

[1] Ib. p. 136.

[2] T. I, p. 216 et seqq. et 323 et seqq.

excepta, ideoque ad fidelem atque infallibilem ipsa manumittat rei publicæ depositariam, ecclesiam [1]. Sunt libri sancti et *cibus* et *medicina*, per salubres, quæ iisdem, at non iis solis, continentur veritates; quæ tamen, cum pro singulorum capacitate minutæ ac dilutæ a versata manu fuerint, securius adhibentur. Sunt demum et *testamentum;* sed testamentum, non superstite Christo, testatore, litteris mandatum, verum post longa intervalla ab iis, qui ultimam decessoris voluntatem oretenus exceperant, per partes, pro enatis occasionibus, exaratum. Quid igitur? Litteræ hærentes subinde obscuræ, per eam solam doceri dignabimur, respuentes quidquid præter eam a testatore decretum aut obscurius in ea dispositum, evicerint eorum, qui testatori adstiterunt, certa testimonia et fideliter conservata traditio? Quid, cum per quatuor secula et amplius, non satis inter omnes ecclesias convenerit de authenticitate librorum sacrorum, etiam eorum, quos protestantes canonicos habent [2], putas, per tantum temporis spatium, fideles vixere sine regula, sine lege, quia diversa legis novæ documenta non erant publica auctoritate collecta? Christi fideles testamento caruere; et qui spiritualiter famelici erant et ægroti, cibo destituti erant et medicina? Sane Christus Dominus non sic illusum voluit discipulis suis; ut cum ad religionis suæ cognitionem illos obligaret, mediis necessariis ejusdem discendæ eos destitueret. Si tunc scriptura non fuit necessaria ad salutem; nec hodie necessaria probatur; idque eo etiam minus, quo copiosius verbi divini pabulum fidelibus impenditur in ecclesia Romano-catholica; ut testantur non solum homiliæ, conciones, catecheses viva voce ad plebem ab ecclesiæ ministris, (quibus verbi Dei prædicatio semper in præcipuis reputata fuit officiis [3]) habitæ; sed et tot libri elementares in omni lingua conscripti, et cunctorum, vel puerorum, traditi tritique manibus. Factum est autem nimis notorium, quam ut hic demonstrandum illud suscipere debeamus; quod apud catholicos longe major habeatur verbi divini notitia et in doctrina et lege Christi institutio et informatio; quam generatim apud protestantes; apud quos credentes, non ad vota ss. Patrum totam, saltem summarie Christi religionem et legem ediscunt; sed quibusdam detortis textibus vel epigrammatis imbuuntur, quibus simpliciores inter catholicos non ab ea, quam firmissime ii tenent,

[1] Ill. d. Malou, t. I. p. 238.

[2] V. ill. d. Malou, t. I. p. 200.

[3] V. conc. Trid. sess. V. *de ref.* c. 2 et s. XXIV. *De ref.* c. IV; quibus locis expresse injungitur ecclesiæ ministris sacras scripturas fidelibus *annuntiare*, *exponere* atque *interpretari*.

fide exturbent; sed dolose obruant. Ad fucum ergo composita sunt, quas in Romanos, velut in lucifugos, contorquent, calumniæ [1]. Nec medicinam cibumque spiritualem fidelibus substrahit ecclesia; nec testamentum hæredibus abscondit, nec legem celat nec constitutionem operit; sed pandit, et unicuique, prout capere valet, communicat.

129 R. 4 ad 2. Scripturæ planæ simul et obscuræ : planæ passim in libris historicis et quoad quædam dogmata, singulis fere paginis inculcata; obscuræ autem passim in libris propheticis, et sapientialibus et in epistolis; quin et ipsi libri historici suas subinde difficultates habent [2]. Quæ vero obscura sunt minime impediunt; quo minus qui cum simplicitate legunt, quæ clara sunt, intelligant : at, cum increscit legentium temeritas, plurium præbere solent errorum occasionem.

Verum quidem est, sacra biblia, ut ad salutem, sic et ad instructionem omnium hominum a Spiritu s. inspirata sunt. Non inde tamen consequens est; necessarium esse, ut ea singuli per se ipsos lustrent, modo quacumque ratione omnes edoceantur, quod omnibus datum ad salutem. Et vero singuli scripturæ s. libri conscripti probantur ad instructionem præcise eorum, quibus primitus destinabantur; puta, Romanorum, Thimothei.....; aliorum vero, quibus alii forent mores, quemadmodum et alia lingua, quasi ex consequenti et interposita prudenti ecclesiæ dispensatione.

130 R. 3 ad 3. Qui magis sunt infirmi, magisque periculis expositi, magis etiam indigent subsidio scripturarum seu veritatum, quæ iisdem continentur; sed eo quoque prudentius eis frangendus et masticandus est panis evangelicæ doctrinæ; ut ad certiorem attemperetur spiritualis medicinæ ac nutritionis effectum.

131 R. 6 ad 4^m. Ex contextu; ex aliis eorumdem Patrum operibus, et ex omni illorum agendi ratione similia dicta fuerunt, non ad exclusionem traditionis sacræ; quam Patres non minus ac scripturam; immo, pro sua facilitate et necessitate, præ scriptura,

[1] Cfr. ill. d. Malou, c. II a IV; ubi studiose deducit media, quibus scientiam scripturarum ecclesia inter fideles propagare nititur. Litteras etiam encycl. Greg. XVI. *Inter præcipuas.* ann. 1844. V. *Hunc in finem.*

[2] « Si scriptura, inquit Joannes Eckius, Augustino, Hieronymo, Bernardo, Thomæ fuit obscura, quomodo laicis Lutheranis erit aperta? (Enchir. tit. III, prop. 2.) » Id argumenti corroborant etiam ipsi protestantes aliique moderni, ingentibus, etiam in libros historicos, conscriptis commentariorum voluminibus.

verbo et opere commendant [1]; sed ad repulsionem eorum, quæ ab certis hæreticis proferebantur, scripturis aut expresse contraria, aut saltem valde ab iis dissona et gratuito ex prætensis revelationibus asserta [2].

Sufficit itaque sola, citra traditionem, scriptura, negative, vel in puncto quodam particulari.

Pugnarunt recentius adversum hanc ecclesiæ doctrinam protestantes dd. Panchaud, Girod, Oster, Monod et Boucher; quorum insulsa argumenta exposita, multaque eruditione repulsa reperiuntur apud ill. d. Malou, t. II, p. 230 et seqq.

132 Quæritur tertio: an fieri possit, ut idem liber aliis prohiberi debeat loco aut tempore, aliis non debeat.

R. 1°. Fieri non potest, ut liber ratione funestæ doctrinæ suæ, vel ratione delicti, a parte scribentis, juste prohibitus, non talis sit pro omni et loco et tempore.

2° Fieri tamen potest, vere adnotante Espenio [3], ut ob speciales circumstantias non conveniat alicui loco aut tempori justa quædam et, generatim loquendo, æqua libri præscriptio; non tamen, quod ipse contendit, principis erit ideo legem ecclesiasticam rejicere; neque Episcoporum erit statutum ecclesiæ relaxare; sed poterit modestus ad s. Pontificem recursus institui; ut importunæ legis obtineatur remissio [4].

3° Potest etiam liber ratione fragilitatis aut periculi specialis prohiberi tali aut loco aut tempore; non aliis. Hinc patet; quomodo tam discrepans sæpe, pro variis ecclesiæ locis et temporibus, disciplina nullam connotet incohærentiam; et spiritus ecclesiæ in tanta, quæ cernitur, actionis varietate, unus idemque semper perseveret.

133 Quæri potest quarto : an proscribi mereantur libri, qui adversantur libertati et jurisdictioni ecclesiasticæ; vel, ut malunt

[1] Passim enim Patres traditionis necessitatem inculcant; numquam conversos ipsi prius non instruunt, serius eis textum sacrum credunt, et vel tunc insistunt; ut nemo ullus discat a se ipso « id est a præsumptione, pes- » simo præceptore; sed ab illustribus ecclesiæ viris; » quemadmodum de se ipso testatur s. Hier., ut intelligat quisque se « in scripturis s. sine prævio, » et monstrante semitam, non posse ingredi. » (Idem in ep. ad Paulinum.)

[2] V. ill. d. Malou, t. I, p. 238 et seqq.

[3] *De prom. legum*, p. IV, c. I, § 3.

[4] Hoc non solum Episcopis licere; sed cum lex aliqua pontificia noxium in diœcesibus eorum effectum produceret, ad id etiam Episcopis teneri, docet Bened. XIV *de syn.* l. IX, c. VIII, n. 3 et 4 cfr.

osores supremi pontificatus, libri, qui curiæ Romanæ potestatem oppugnant [1]?

R. Repugnant quidem pseudo-canonistæ et pseudo-politici plures; signanter Fra-Paolo [2], ridens callidam, ut ait, Romanas in jura Episcoporum et principum civilium usurpationes promovendi rationem. Nec minus expresse Van Espen [3] quos *curiales Romanos* vocitat, iniquæ in principes arguit sententiæ.

Verum vani sunt hujuscemodi clamores; et quidem primo quod spectat jura principum, ex quo Christus Dominus Apostolos suos per orbem universum misit prædicare et docere omnes gentes [4]; quin ullum regum principumque postularet assensum; constituta divinitus est ecclesia in potestatem penitus liberam et independentem ab omni potestate temporali; ita quidem, ut quæcumque sunt ordinis supernaturalis illa curet summo cum imperio : in quo non imminet juribus civilis potestatis, quæ ordinis est naturalis; et res civiles temporalemque hominum felicitatem totius gestionis suæ objectum et finem habet [5]. Nativam hanc ecclesiæ libertatem, plenamque jurisdictionis sacræ independentiam libenter fassi sunt principes quam plurimi et Imperatores : (recole quæ desuper dicta fuere cap. II) : in hanc s. potestatem quotiescumque involare ausi sunt illi, reclamarunt Episcopi, Pontifices, concilia; quin et pœnis severissimis in augustos etiam auctoritatis spiritualis violatores animadversum continuo fuit. Hanc potestatem omnium seculorum usus confirmat; et libros, qui jura, tam inconcussa, submovere nituntur, non liceat proscribere? Principem civilem, hesternum etiam, qui potestatis suæ adversarios insequatur, quis in crimen adducat? Et non potiori ratione Pontifex prosequi possit jura certissima, expressa Dei voluntate constituta et usu seculorum consecrata?

Quantum vero ad jura Episcoporum, pontificius in ecclesia cum jurisdictione primatus non minus explorata res est, quam omnimoda ecclesiæ ab exteris principibus immunitas. Manifestum igitur etiam est; non minori jure configi scripta, quæ episcoporum, synodorumque jura gratis extendunt; atque a constituto divinitus pri-

[1] Vide cl. Zacc. l. II, diss. III, p. 2, c. III.

[2] *Storia del concilio* Tr. l. VI, p. 459.

[3] *Jus eccl. un.* p. I, tit. XXII, c. IV.

[4] M. XXVIII, 18 *data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : euntes ergo docete omnes gentes.*

[5] Vide Laur. Veith. *Richer syst. confut.* sect. 2, c. II, § 56, et librum : *De l'autorité des deux puiss.* éd. 1781, t. I

matu independentem adstruunt, quam sibi Romanus Pontifex obnoxiam habet, Episcoporum potestatem [1].

At Pontifex judex in propria causa! Immo; neque hic a quoquam pendere potest, postquam divina auctoritate missus est docere et gubernare non minus ecclesiæ primores quam fideles; simul populos et principes. — Numquid et principes monarchæ continuo in propria causa judicant, declarant et vindicant, quid sibi juris competat? An solidiori nixi titulo quam Romanus Pontifex, quem in decessore suo Petro ipse Deus constituit caput ecclesiæ; cui promisit specialem spiritus sui assistentiam omnibus diebus, usque ad consummationem seculi?

134 Quæritur quinto : an prohiberi quoque possint, et quandoque debeant scripta, deinceps edenda ; nominatim; diaria, scripta singulis hebdomadis aut mensibus edi solita, verbo; scripta periodica.

R. Certum est debitam inveniri posse prohibitionis materiam; atque adeo prohiberi posse, nec solum quatenus in antecessum nota sit libri emittendi pravitas; velut, cum damnantur, quæcumque edentur in defensionem alicujus hæreseos; sed etiam quatenus tantum habeatur rationabilis suspicio, ne liber noxius sit. Numquid enim hoc ipsum fidei integritas morumque puritas exigit? Nisi ecclesia prævertere, lege sua, possit, quod alterutri imminet, periculum; inermis illa sistitur exposita damnosis hostium suorum telis, pestiferis, inquam, pravorum scriptorum sagittis. Quis, quia periculum non est præsens, nec certæ latronum insidiæ providum in crimen adducat parentem; quod proli nocturnas per devia itinera interdicat excursiones? Pariter nec defectus actualis existentiæ neque incertitudo perversitatis futuræ potestati ecclesiæ libros subtrahit. An forte Christus dominus quod aliis quibuscumque potestatibus est concessum, ut in futurum per leges sibi prospiciant, ecclesiæ suæ denegavit; ut non nisi præsenti exploratoque modo discrimini occurrere ipsa valeat?

Certe ipsius ecclesiæ sensus et praxis dubia nemini esse possunt. Etenim ex historia prohibitionis librorum tum antiqua (c. I. n. 32 et seqq.), tum recentiori, infra (c. IV. § 1), innumera suppetunt hujuscemodi prohibitionis exempla; dum continuo damnantur, quæcumque in defensionem enati erroris eduntur scripta; et damnato auctore damnantur quæcumque idem ille edit scripta. Neque

[1] Vide ill. Joannis Devoti *Institutionis canon.* lib. 1, tit. III, s. 1, præsertim, n. 18, et quos ibidem citat auctores.

aliud prorsus important lex censuræ prævіæ, prohibitiones bullæ Cœnæ, regulæ Tridentinæ..., quam totidem in antecessum latas librorum edendorum prohibitiones. Sane in omnium oculos incurrit manifestum, quod ab istis damnatorum auctorum libris, lectori impendit nocumentum : hoc vero nihilo minus timendum est ab aliis scriptis, nondum in lucem emissis, quæ merito timentur futura noxia.

135 Diebus autem nostris, frequentior occurrit similes proscriptiones usurpandi ratio, ebulliente indies fœtida nocuorum scriptorum progenie; quæ, ut bonorum omnium indignationem, ita promptam ecclesiæ reprobationem non ferre non potest. Nominatim ea quæ statutis temporibus continuo lucem adspiciunt scripta (recueils, revues, journaux...) hoc titulo severius sunt habenda; quia præ ceteris sunt exitiosa; atque adeo, ipso jure naturæ dictante, sedulo vitanda. Ipsa namque varietate sua magis arrident; insensibilius penetrant et damnabilius perdunt. Videris idem breve scriptum modo religionem; modo cultum et ministros ejus; modo prima morum principia; modo auctoritatem temporalem, quasi ludendo, invadere. Unumquodque illius segmentum suas, ad amussim, implet partes : paragraphe doctrinalis sophistica discussione prima submovet ordinis supernaturalis principia; pars historica falsis aut exaggeratis narrationibus risui et contemptui res sacras exponit; conficta, ad animi quamdam relaxationem, digressio (feuilleton) omnem morum inducit licentiam. Periculum similium lectionum quotidiana nimis confirmat experientia. Vix ita sanus quispiam, ut per infectum illum aerem aliquo tempore obambulet; quin inficiatur : videsis, qui etiam fide moribusque antea integerrimi, neque ingenii etiam acumine, aut mediocri scientia destituti, in eamdem brevi concedant sententiam, cum eo quem legunt, (præsertim si unum continuo eumdem attrectent) scriptore; ita quidem ut post exigui temporis lapsum, non modo in re politica, sed etiam in religionis negotio, ex eo, et cum eo solo sentire et loqui eosdem comperias.

Quæ cum ita sint; unicuique manifestum esse debet, lectionem scriptorum hujusmodi, ipsa naturæ lege, plerumque etiam sub gravi esse vitandam [1]; atque adeo legibus quoque humanis prava isthæc scripta merito constringi; Episcopos vero, non solum in jure suo, sed etiam in debito versari officio; quum, rectæ rationis regulam aut ignorari passim, aut negligi; aut non sine periculo particula-

[1] Confer. quæ de super latius dicentur, c. VI, § III.

rium applicationi permitti, animadvertentes; ipsi statutis suis, malum avertendum curant.

136 At, proscribere librum... forte innoxium; quidni et salutari instructione gravem aut etiam canonicum; saltem condemnare quod nondum existit!

R. Nedum iniqua puniatur sententia, quod nondum probatum fuit noxium esse scriptum; illud vere non respicit ea, quæ intimatur populo prohibitio. Ecclesia namque jurisdictionem modo in ipsa exserit opera, eadem cum noxia probata sunt, condemnando; modo in ipsos, qui opus non satis notum aut probatum legerent, homines, illud ipsis prohibendo. Utraque via eumdem ecclesia attingit scopum. Si ipsum aliquousque opus sententia ejusmodi afficiatur; hoc per accidens, præter intentionem legislatoris est, qui justam habet permittendi causam. Eadem ratione, quum providus pater filiæ suæ interdicit colloquium cum juvene ignoto, non censetur injuriose repelli, quem forte, re explorata, optima indoles, mores puri, aliæ naturæ et fortunæ dotes ad optatum, ex ipso parentis voto, perducent connubium.

137 Quæritur sexto : an prohiberi possint libri, ceteroquin boni, mere ideo, ut eorum argumentum deinceps prematur silentio?

R. Certe potest necessitas vel gravis utilitas cogere legislatorem; ut ad ejusmodi silentii legem, quæ non secus libros bonos ac malos afficiat, recursum habeat; tum ne disceptatione animi in erroribus obfirmentur; tum ne veritas nimio agitationis æstu, subtilitatumve congestione obnubiletur; aut charitas Christiana per scholarum dissidia et tumultus detrimentum patiatur [1].

[1] Ridiculum hic se præbet Raynaudus; qui (p. 1, erot. 18) cum in eamdem nobiscum concedat sententiam, timet tamen ne per abusum congregationum, inhibita plurimarum materiarum discussione occlusas brevi videamus, deficiente disputationis materia, theologiæ scholasticæ conclavium fores. Cum rationes, quibus pessimum hunc proponeret prohibitionum effectum, jussu summi pontificis, Romam transmisisset examinandas; opus suum hac parte truncatum recepit. Quamobrem eas jam non in suo, de bonis ac malis libris, *Erotematum libro*, reproducendas existimavit humilis vir; speciali tamen libello in publicum edere non erubuit. Liber hic *Erotematum de malis ac bonis libris deque justa et injusta eorumdem confixione*, plurima eruditione refertus, at stylo turgido semibarbaro et ob quæsita peregre vocabula subobscuro exaratus, et plurimo verborum sacrorum abusu infectus, in defensionem catholicæ disciplinæ plura habet utilia : ast subinde se prodit lividus auctoris in censores Romanos, a quibus alius ejusdem singularis liber : *De martyrio per pestem proscriptus fuerat*, animus. De quo vindicaturus sese, ut refert Peignot, (*Dict. des livres condamnés au feu.* ad V. Raynaud) in lucem emisit suum Erotematum librum; in quo, specie defendendæ disciplinæ Romanæ,

138 Quæri potest septimo : possintne quoque libri, hoc solo titulo, prohiberi; quod vel nullo vel falso prodeant et auctoris nomine ?

R. Quamquam, ut animadvertit Baillet [1], veri auctoris occultatio sæpius ex malo; aliquando ex bono aut saltem honesto fine locum habet; ut in quibusdam primorum ecclesiæ seculorum scriptoribus, quin et ipsis hagiographis contigit; tamen, eodem etiam judice, plures, justis de causis, hanc nominis suppressionem improbandam censent; tum quod nominis expressio habeatur sanæ doctrinæ index; qui si abfuerit, liber etiam optimus a pluribus rejicietur ut suspectus; tum quod libris anonymis facilius imponi possit simplicibus, et reapse passim errores spargantur [2]. Quæ cum ita sint, manifestum est ab ecclesia præcaveri lege posse, ne scripta quævis, sine auctoris nomine, in publicum edantur; quæ vero sic contra edictum illius prodierint, vel hoc ipso, justæ obnoxia suspicioni, damnata existant. Neque est quod moveant nos exempla scriptorum theopneustorum, sanctorum ecclesiæ Patrum, aliorumque, quos vereamur, virorum. Etenim, ut jam præmonebam, res in se mala non est et bono ex fine laudabiliter, quantum est ex rerum natura, in praxim deduci potest; at quod in aliis sæpe sæpius, etiam hic obtinet; ut res, de se indifferens, aut bona etiam, ob frequentem, cui locum dedit, abusum, interdici mereatur; id, quod non modo in ecclesia, sed in temporali etiam republica, indies datur observari. Porro simili, si adfuisset, prohibitioni præfati scriptores eo se accommo-

acriter in congregationes invectus, prætendit; sine causa prohiberi libros; ut ipsum etiam Apostolorum symbolum jam a censura minime censeri debeat remotum (n. 516). Superbo etiam supercilio eisdem congregationibus regulas præscribit, quas in condemnandis libris sequantur; nec ipsi Romano Pontifici consiliorum suorum deest subsidio (p. III erotem. 4.) Et hic igitur *Erotematum* liber merito sub indicem missus fuit. Tandem, ut testis est Catalanus. (*De secretario s. congr. libri duo*, l. I, c. X.) resipuit vir; et cum supplicasset s. congregationi, ut sibi traderetur, norma ad cujus præscriptum opera sua corrigeret; votis benigne annuit s. congregatio et auctor scripta sua, rite purgata, in lucem emisit.

[1] *Jugements des savants. Proleg. des préjugés*, ch. XII.

[2] Operæ pretium est audire, quo modo lectoribus suis hic illudat Schoettgenius (*Comment.* 1, *de indicibus libr. prohib. et expurgandorum* § 8.) Narrat; Natali Bedæ, doctori Sorbonico, a Lutheri vel Calvini asseclis supposita fuisse fidei confessionem ; quod factum, inquit « pia quadam, ut vocari solet » fraude vel potius prudentia quadam Christiana. Quum enim, ait, plerique » homines, de rebus ad religionem pertinentibus, ex vero judicare nequeant; » et potius quis dicat, quam quid dicatur, pensitent; his sane verbum Dei » εὐκαίρως, ἀκαίρως (latine : opportune importune) annuntiandum est, quod » nemo sanus reprehendet. »

dassent libentius, quo purius erat, quo ad scribendum impellebantur, motivum.

139 Quæritur octavo : an censura etiam affici possint libri, qui narrative tantum errores referunt, aut plurium scriptorum sententias, aut segmenta collecta edunt ut lexica, concordantiæ et collectanea (recueils) ?

Responsio liquet ex iis, quæ de hujusmodi scriptis habet Benedictus XIV, constit. *sollicita* n. 21 « Prodeunt aliquando libri, in quibus » falsa et reprobata dogmata aut systemata religioni, vel moribus » exitiosa, tamquam aliorum inventa et cogitata exponuntur, et » referuntur; absque eo, quod auctor, qui opus suum pravis hisce » mercibus onerare sategit, ea refutandi curam in se recipiat. Pu- » tant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni aut censuræ » obnoxios esse; propterea quod de alienis, ut aiunt, opinionibus » nihil ipsi affirment; sed historice agant. At.... dubitari certe non » potest, magnam ejusmodi libris in Christianam rempublicam » labem ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena pro- » pinent, nullo exhibito vel parato, quo præserventur, antidoto. » Subtilissimum hoc humanæ malitiæ inventum, ac novum seduc- » tionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur.... [1] »

140 Quæres nono : an quoque libri proscribi possunt ideo, quia interpolati eduntur aut mutili?

R. quæ per interpolationem superadduntur, ratione sui, censuram mereri posse, manifestum est. Hoc vero seposito, sola interpolatio aut mutilatio operis suffixioni locum dare potest dupliciter : primo, ad cautelam; ne lectores, suppressis certis fragmentis, ideo false doceantur; quia incomplete; et secundo per modum justæ pœnæ in odium editoris; seu in detestationem fraudis, et vindictam perfidiæ. Utrumque prohibitionis motivum concurrit; cum a bibliis integri etiam subtrahuntur libri, aut quædam scripturæ s. Patrumve supprimuntur loca, quod argumenta præbeant adversus eos, quos perstringunt, errores.

141 Quæres decimo : numquid saltem spiritui evangelico adversatur, condemnare libros, ut aiunt quidam theologi, *in odium hæreticorum;* vel etiam unice ex hoc motivo, quod ab hæreticis sint typis dati?

R. Quæ dicitur libri alicujus prohibitio, mere *in odium hæreticorum* facta, ut etiam continuata ejusdem suffixio, postquam, examine instituto, ab erroribus immunis repertus est; licet minus proxime, attamen vere utrumque attingunt prohibitionis finem. Etenim 1° hac ratione cavetur ne malus scriptor in animos sese insinuet

[1] In ed. Mechl. *Indicis Trid.* Proleg. p. xxvii.

simplicium, et lectores inseeati ad alia ejusdem opera legenda transeant, cum certiori jam fidei morumve periculo; quia totos se novo magistro dederunt discipulos.

2° Jure in pœnam malæ doctrinæ privatur auctor fideles docendi facultate, etiam in re indifferenti. Hanc etiam ob causam expediri nonnumquam potest; ut quæ damnatus auctor recte conscripsit; vel suppresso nomine, vel sub alieno nomine edantur; ut ex opere percipiatur utilitas, quin tamen damnosa auctori concilietur celebritas. (Cfr. quæ infra dicentur n. 146 *de expurgatione librorum, invitis auctoribus.*)

Opera vero ab hæreticis solum edita, prævie ad eorumdem, per viros idoneos recensionem, merito ut erroris suspecta fidelibus interdicuntur, ob multiplices, quæ in imprimendis libris committuntur fraudes; de quibus documenta locupletissima leguntur apud Gretzerum (*de jure et modo prohibendi malos libros*. l. II, c. v) et quas ipsas plus satis manifestas facit, integrarum ex t. v. disputationum Suarezii de cens. et ex t. III. l. VIII. disp. 7ma Sanchezii, *de matrim.* pericoparum detractio; propter quam ecclesia ejusmodi mutilatas, ad fraudem, editiones proscripsit [1].

Quod si libri, ab hæreticis editi, examine instituto, fuerint ab erroribus immunes reperti, juste damnari nihilominus possunt, tum in pœnam editoris, qui neglexit probationis censuram; tum in emptoris, pro futuro monitionem et præservationem.

142 At regerit nobis Jac. Laurentius [2]: catholici permittunt legi libros veterum hæreticorum propter antiquitatis memoriam : atqui potior est veritatis, quæ semper eadem perseverat, ratio, quam antiquitatis. Etiam in libris hæreticorum, nedum proscribenda, legenda potius, colenda et inquirenda veritas est.

R. De libris veterum hæreticorum permittendis latius infra : hic modo observandum ideo illos permitti; quod jam commune non adferant periculum; et ita nihil impedit, propter utilitatem ex ipsis fontibus majorem hauriendam, quam ex rivis, passim eos permittere. In libris modernorum hæreticorum legendis, quia eorum errores passim serpunt et suscipiuntur, simplicibus, sive consciis, sive insciis, commune est periculum. Quapropter si qua vera scripserint et integra, non ibi veritas cum periculo quærenda, quæ alibi ex limpidis hauriri potest fontibus. Si qua speratur utilitas specialis ex hæreticorum scriptis derivanda; novit ecclesia provide in gratiam

[1] Apud Sotomajor, *Index librorum prohibit. et expurgand.* p. 2da, p. 201 et 230.

[2] *Diss. theol. de libris gentilium... permittendis*, etc., s. 3, n. 17 et seqq.

particularium relaxare, quam, communitati necessariam, præscribere debuit legem. Nedum igitur veritatem aut proscribamus aut respuamus in hæreticorum libris, ideo præcise, quia ab hostibus proponitur; ex amore potius ipsius veritatis eamdem alibi discendam indigitamus; ubi eo habetur certior et purior, quo fideliores sunt, qui eamdem commendant, interpretes.

43 Quæritur undecimo : an libri gentilium polytheismum et idolatriam continentes, sint improbandi?

R. Vetari non debere, suademur; eo quod generatim absit periculum et magna ex illis habeantur commoda. Etenim nedum absurda paganismi placita fidelibus sint offendiculo; contra nimia erroris evidentia eosdem in fide solet confirmare. 2^do^ Ex ipsis illis adversariis nostris quædam hauriuntur testimonia pro fide nostra; quemadmodum ex Plinio discimus priscorum Christianorum mores et ex Tacito eorumdem, in subeundo martyrio, fortitudinem; ex aliis facta quædam confirmamus evangelica; ex aliis discimus sapienter dicta et fortiter gesta, ad morum institutionem valide accommoda[1] etc. 3^io^ Plura suppeditant scientiarum philosophicarum et naturalium subsidia; 4^o^ styli elegantia omnique rei litterariæ supellectili instructi, plurimum nobis utilitatis adferre possunt[2].

Unde et ss. Patres, non solum Græci; sed etiam Latini litterarum profanarum studium coluerunt ac commendarunt. Sic plurimum ex iis ipsis, quos diligenti manu versabant, ethnicis scriptoribus, ad paganismum expugnandum profecerunt Arnobius, Tertullianus, S. Justinus, Origenes, Eusebius, Theodoretus, Clemens Alexandrinus, aliique. Hunc usum pluribus defendit S. Cyrillus[3]. Ipse etiam S. Augustinus[4] egregie disputat, pro usu litterarum profanarum ad doctrinam Christianam illustrandam; ut mirum sit Bailletum[5] accusare generatim Patres Latinos; quod nitorem styli traduxerint, ut quamdam, cui valedicendum a Christianis esset, vanitatem seculi; et nominatim quidem citat S. Augustinum; quem ait affectasse styli negligentiam, pro majori populi utilitate. Quamvis enim Augustinus aliique Patres in sermone vulgari plebium, sibi commissarum, captui sese accommodarent; non tamen litterarum studium dedignatos fuisse, aut in

[1] Cfr. *Revue cathol.*, t. I, p. 27, et t. III, p. 361.

[2] Cfr. cl. d. Kaudt, *Du choix des auteurs, destinés à l'enseignement moyen*, in collectaneis, *Revue cath.* Louv. 1848, mense septembri et seqq.

[3] *In Julianum*, ad textum 4^m^.

[4] 2 *Doct. christ.* c. XVIII, XXIX et LX.

[5] *Jugements des savants sur les principaux ouvrages*, t. I, p. 51, éd. Amst. 1725.

scriptis styli elegantiam negligendam putasse, tum ex laudatis modo eorum operibus, tum passim ex aliis eorum scriptis manifestum est.

Opponetur nobis canon Carth. IV, qui ipsis Episcopis vetat lectionem librorum, ab ethnicis conscriptorum; et qui nobis contrarii videntur Patres, ut SS. Paulinus, [1] et Hieronymus. Auctor quoque *Constitutionum apostol.*, c. VII, scribens : Apostolos, initio, fidelibus interdixisse lectionem gentilium et falsorum prophetarum; utique quia iisdem abstinendum esse passim, suo tempore, credebatur. Juxta Alphonsum a Castro [2] ex ethnicorum libris multi errores in ecclesiam manarunt; et juxta Lud. Vives [3] deorum odia, impudicitiæ et similia, quibus indulsisse dii perhibentur, crimina, scandalo sunt fidelibus.

R. Non potest regula generalis confici ex eo, quod certis in circumstantiis judicatur expedire; neque enim rationes a nobis superius allatæ evincunt, aut Patres umquam docuere; librorum istorum lectionem nocivam esse non posse; sed, de se, talem non esse : optimarum rerum quotidianus est abusus : quapropter si quis in iis studiis nimius sit; si cum detrimento obligationum status sui, muneris pastoralis, disciplinæ monasticæ iisdem se mancipet; si discrimen fidei moribusve ingruat; ut cum scripta sunt obscœna; vel cum leguntur statim a recenti conversione, vel in maxima lectoris simplicitate, et similibus rerum adjunctis, ea scripta prohiberi eidem posse ac debere, nemo prudens negaverit.

Concinunt quæ refert Binghamus, *Originum eccl.*, l. VI, c. III, p. 4 : sæpe quidem a sanctis Episcopis in veteri ecclesia libros gentilium cum laude fuisse perlectos; vel quod oporteret; « ut » errores eorum ante oculos exponerentur, atque confutarentur; » vel quod eorum multi caussæ religionis utiles essent et oppor» tuni, sive ad confirmandam divinarum scripturarum ac doctrinæ » Christianæ veritatem ; sive ad detegendos ac confutandos ipso» rum gentilium errores atque vanitates : » sæpe tamen similem lectionem fuisse reprobatam; cum vel delectationis causa, neglectis scripturarum, vel utiliorum studiorum disciplinis; vel ex contemptu simplicitatis scripturarum, simili se quis manciparet lectioni. Hinc ipse S. Paulinus in fine prælaudatæ epistolæ, indulget in nostris quoque studiis, philosophorum sibi procurare facundiam; « dummodo, ait, adversam veris desinas amare sapientiam. »

[1] Ep. 38 ad Jovium.

[2] L. I, *adv. hæreses*, c. XII, et l. III *de Justa hæret. punit.* c. VIII et IX.

[3] L. I. *de tradendis disciplinis* ex Bas. or. *de leg. libr. gentilium.*

Quoad s. Hieronymum confer *Revue cath.* t. III, p. 366. Certe nihil eruditissimus ille Pater contra assertionem nostram.

144 Quæritur duodecimo : sintne proscribendi libri Thalmudici, Rabbinici et Cabalistici?

R. Cuncta hæc scripta Christo Domino, salvatore nostro posteriora (anteriora quæ purioris erant doctrinæ, per vastationes intercidere universa) in se mala esse, satis constat et inter omnes convenit : etenim

a) Thalmud multa habet blasphema non solum in religionem nostram; sed et in ipsam, quam Judæi venerari profitentur, divinam legem suam; ut videre est ap. Sixtum Sen. *Bibl. s.* l. 2, ad vocem, *traditiones seniorum.*

b) Libri Rabbinorum multa continent absurdissima simul et impiissima; sive sacram perverse interpretentur scripturam; sive sua referant traditionum somnia, sive Christianam impetant doctrinam.

c) Cabala vero, licet olim sacras traditiones, a Moyse, vivæ vocis, ad 70 senes, oraculo commendatas, genuinas legis interpretationes piosque Hebræorum usus et ritus sacro conservasse videatur deposito; nunc tamen fere ad vanam observantiam, magiam et omne superstitionum genus adhibetur [1].

Cum tamen ecclesia de iis, qui foris sunt, non judicet, illos libros quatenus mali sunt, in pœnam auctorum non proscribit; neque etiam, qua simplicibus inter Judæos sunt noxii, a fide amplectenda illos arcendo, eosdem prohibet ecclesia. Vere enim, ut notat Turrianus, (*De sola legis lectione judæis permitt.*) ss. Pontifices, in priscis librorum judaicorum proscriptionibus; qua principes temporales, Judaicam spectabant nationem. Possunt autem istiusmodi scripta ipsis fidelibus, præsertim a judaismo recenter conversis, periculum adferre et ita justam præbere prohibitionis causam : quod exploratæ veritatis loco ponendum esse, probat Sixtus Sen. [2] et Alphonsus a Castro [3].

Neque ecclesia prohibendo scripta auctorum suæ jurisdictioni non subditorum potestatem extendit; quia, ut ait Card. Delugo [4], » Prohibitio solum dirigitur ad fideles subditos, quibus, in eorum » bonum, horum librorum usus interdicitur; quemadmodum, ait,

[1] Cfr. testimonium d. Drach, insertum collectaneis, *Revue cath.* Liége, t. III, p 514.

[2] Ad vocem : *Traditiones seniorum.*

[3] *De Justa hæreticorum punit.* l. II, c. XV inf.

[4] *De fide*, disp. XXI, s. 2, n. 26.

» et pater familias punire non potest filium alienum, nec eum » corripere; potest tamen proprios filios ab ejus consuetudine se- » parare. »

145 Fatemur quidem libenter, non unam e libris illis, pro religione nostra, utilitatem derivari : etenim, ipsa absurditate sua, cujuscumque sani judicii aciem percellunt, et adeo, negative saltem dogmata nostra commendant. Quatenus vero libris nostris sanctis concordant, scripturæ s. auctoritatem confirmant; dum, ut ait S. Aug. [1] ipsi Judæi *facti quasi custodes librorum nostrorum*, pro nobis, contra seipsos deponunt. Plurimum etiam præfata scripta conferunt ad rectam sanctarum scripturarum interpretationem; per varias, quas nobis conservarunt traditiones et antiquos usus; e quibus ad intelligentiam textus sacri et dogmatum nostrorum confirmationem tantopere profecerunt S. Hieronymus, aliique antiqui, et recentius præ ceteris Lucas Burgensis et Liranus; his autem diebus nostris cl. vir Theodorus Beelen, in opere eruditissimo, cui titulum fecit : *Chrestomathia Rabbinica et Chaldaica.*

Ne tamen inde cum Theophilo Raynaudo [2], qui castigandus hic venit, intuleris; scripta Thalmudica et Rabbinica, deletis, quæ habent impia et blasphema, permittenda Christianis; præsertim cum a solis eruditis legi possint. Etenim, cui bono? Numquid non cunctis, qui ex hisce studiis proficere possunt, sat promptus, per licentiam, patet accessus? At verba illa : *in reliquis arbitrio lectorum, qui esse vix possunt, nisi periti, permittendos videri*, aliud portendere videntur. Numquid eruditus quicumque (qualem fuisse Raynaldum inficias ibit nemo) a periculo immunis habendus; ut minus æque ecclesia a quibusdam illum arceat libris? Fateor; sat speciosa est vanorum hominum exceptio; an potius dixerim, præsumptio? Numquid enim ab eruditis Origene, Tertulliano, Photio, aliisque graviora tulit vulnera Christi religio? Per eruditionem, nempe, remota quidem altera erroris causa est; lectoris, scil. simplicitas, quam ecclesia præcipua sollicitudine removere studet : sed non illico exsulat legentium temeritas; quæ etsi magis a cujusque pendeat voluntate; non idcirco negligenda ab ecclesia est : juste ergo et salubriter etiam docti a pravis libris arcentur.

Asserit quidem Raynaudus, susceptam causam defensurus; Clementem VIII in indice expurgatorio, an 1595 suppressisse hanc Judaicorum librorum proscriptionem. Verum falli hominem, certum habemus : enimvero si quod olim dubium fuit, aut esse

[1] *Serm.* 1. ex 40 novis.

[2] *Erotemata*, n. 347 et seqq.

potuit, illud penitus sustulit Clem. VIII, in editione indicis librorum prohibitorum, data Romæ, 1596 : etenim cum Pius IV statuisset; ut liber Thalmud, cum variis suis interpretationibus toleraretur, si prodiisset, deleto titulo et sublatis, quas continebat, in religionem Christianam injuriis et calumniis; Clemens VIII vero, e contrario, rursum, anno 1592, prohibuisset omnes Judæorum libros; quidam adhuc ad præfatas Pii IV recurrebant limitationes : qua propter declaravit idem Clem. VIII, an. 1596, se velle « Ut hujusmodi impii Thalmudici, Cabalistici, aliique nefarii He» bræorum libri omnino damnati et prohibiti maneant [1]. » Clemens ergo VIII in indice priore anno 1592, qui statim suppressus fuit, uno tantum exemplari Romæ servato; et in posteriori, aliis an. 1595, quem annum præfert bulla ejusdem confirmatoria, *Sacro-Sanctum;* aliis an. 1596, quem præfert ipsa indicis facies, isthæc Judæorum opera vetat; qua ratione igitur affirmari potest, quod eadem, an. 1595, indulsisset in alio libro, *Indice expurgatorio;* cujus nec titulum ullus exhibet auctor, etiam ubi ex professo, uti dicunt, de indicibus expurgatoriis agitur?

Ita se res habet quantum ad quæstionem facti. Quod autem attinet ad quæstionem juris; an, scil. expediat libros præfatos prohiberi; morari non debet auctoritas Joannis Marianæ [2] aliorumque apud ipsum, qui linguarum orientalium cognitione præ ceteris instructi, negabant, a librorum Rabbinicorum lectione arcendos esse theologos. Illorum quippe tanti valere auctoritas potest quanti valent, quæ proferunt, et quæ nos supra perstrinximus argumenta : hæc vero id unum evincunt, ut ipse ait Mariana, non promiscue et in universum theologos eorumdem lectione arcendos; interesse potius ecclesiæ; ut viri non minus eruditione sacra, quam virtute præstantes, Hebræorum scripta diligenti versent manu, et in veritatis patrocinium conferant, quidquid in illis religioni repererint esse proficuum. Hic autem finis ut obtineatur; non omnibus promiscue indulgendam esse, quæ pluribus obesse potest, lectionem, ipsa Judaicorum scriptorum studiosa discussio, a Clem. VIII ad nostra usque tempora, in ecclesia Romana non interrupta, copiose demonstrat.

146 Quæres decimo tertio : an ecclesia, ut prohibere, sic et expurgare potest librum noxium, signanter, renitente auctore?

R. Quæstio dupliciter considerari potest : qua, scilicet, religio-

[1] Hæc omnia constant ex observationibus jussu Clementis VIII, editis, et præmissis, non solum posterioribus indicis editionibus; sed ipsi editioni Romanæ anni 1596. (Exstat in bibl. oppidi Lov. n. 488, parte posteriori, p. 16.)

[2] *In app. ad Bonfrerii præloquia in script. s.* c. XXVII, ed. Alost. bibliorum Menochii, t. XII, p. 381.

nem spectat, si auctor Dominium libri haud servare curaverit; et quatenus ad civile libri dominium (propriété littéraire) relationem habet; si auctor conditiones a lege 25 jan. 1817 requisitas adimpleverit.

Prius autem quod attinet, stabilita prohibendi damnandique potestate, minime dubia res est: evidenter namque libros purgandi potestas ipso damnationis prohibitionisque jure continetur: qui cum jure integrum opus possit prohibere, indulget, ut in paucis castigatum, impune prodeat, certe in neminem dici potest injurius. Quod si id ipse suis procuraverit laboribus et impensis, singularem auctori honorem ac benevolentiam impendit; nec minus insigne lectori commodum præstat.

Nec afferri potest jus dominii, quod auctor habet in opus suum. Etenim dominium hoc jure naturali tam diu conservare probatur auctor; quam diu librum apud se retinet; nullatenus vero idem servare evincitur, evulgato opere. Neque simile jus agnoscunt legislatores, qui fere in favorem suorum subditorum tantum, et non nisi, certis positis conditionibus, hujusmodi dominium lege positiva sanciunt et protegunt [1]. Si vero acriter quis contenderit; auctores, ipso jure naturæ, suorum, etiam post evulgationem, conservare librorum dominium; hoc ita certe intelligetur; ut privatum illud jus cedat juri publico reipublicæ tam ecclesiasticæ quam civili: ut quotiescumque bonum commune, et maxime spirituale id exegerit, utriusque reipublicæ moderatores, vi alti dominii sui, libros noxios profligare vel emendare possint ac teneantur.

Est vero etiam hic mos librôs expurgandi in ecclesia antiquissimus; etenim jam inde a seculo IV Eusebius, Vercellensis episcopus, edidit Eusebii Cæs. in Psalmos commentaria; sed ut notat S. Hieronymus, *hæretica prætermittens*. Idem præstitit ipse S. Hieronymus circa libros homilisticos Origenis, quos evulgavit. Idem Cassiodorus aliique venerabilis antiquitatis patres, quorum vestigiis instandum duxere recentiores catholici piissimi et doctissimi.

Huc vero spectat non tantum alicujus libri partis resectio; sed et ejusdem correctio, et, quam supra, n. 141, attigimus, nominis auctoris omissio. Pro quibus omnibus una eademque militat rei ratio.

Quod si auctor, debitis ad hoc conditionibus servatis; legitimum in foro civili operis sui obtinuerit dominium; nihilo minus gaudet ecclesia suo, sicut prohibendi, sic et expurgandi libros, jure. Hoc enim jus a Christo habet ecclesia, independenter ab omni princi-

[1] V. la loi du 25 janv. 1817.

pum voluntate legumque constitutione. Si ecclesia sponte abstineat ab operis expurgatione ob prætextum dominii civilis; nihil tamen eam cohibere potest; ne totum opus prohibeat iis, qui libere eam audiunt, Christi fidelibus. Videat igitur auctor quid magis e re sua sit; an ut ipse in libri sui correctionem consentiat; an ut illum simpliciter in indicem mitti patiatur.

Perperam autem Bœhmerus [1] et Francus [2] jactitant; hanc purgandorum librorum praxim a sinceris mentibus reprobari. Putat Francus hunc omnis antiquitatis usum, et communem, quam ipse Boehmerus [3] et Francus [4] agnoscunt, catholicorum sententiam evertisse; citando unum aliumve scriptorem catholicum; qui, ob prætensam injuriam, exacerbati in censores suos animi tributum persolvit : quasi vero excitata quorumdam per passiones indignatio veritatis argumentum, et non potius erroris indicium foret.

Nec magis urgent quæ adversum hanc ecclesiæ catholicæ disciplinam opponit Bern. Vonsanden, in civitate Montis-Regalis (Königsberg) prof. theologiæ Lutheranæ [5]. In vanum enim contendit castrationem hanc in primis adversari juri naturali ac divino; quæ severissime interdicunt damnum inferre aliorum famæ aut fortunæ. Etenim quemadmodum nec furi, nec latroni jus ullum est, ne juridice et in pœnam delicti præteriti, et in cautelam pro futuro, deturbetur pacifica bonorum famæque suæ possessione; ita prorsus et de illo statuendum est, qui perversis suis conscriptionibus religionis dogmata, morumque honestatem infestat.

Idem prorsus damnum, immo longe majus sequitur ex ipsis, quas necessarias supra demonstravimus et plerique, qui hic nobis adversantur, nobiscum admittunt, librorum damnatione et prohibitione.

Neque hoc damnum auctori ipsi prorsus est involuntarium : etenim evulgando quisque opus suum, submittit illud omnium ac singulorum, qui de ingeniis librisque statuere valent, judicio; nec minus illius quæ a Deo fidei moribusque conservandis missa fuit, potestatis; cujus, jure suo, suffert sententiam, quisquis servare neglexit approbationis seu censuræ legem.

[1] L. c, n. 82.

[2] *Disquis. acad. de papist. indicibus*, n. 188.

[3] L. c, n. 117.

[4] L. c, n. 71 ubi productis variis exemplis, ait : « colligo... veteres neuti» quam religioni duxisse e medio ista tollere, quæ orthodoxiæ judicarunt » obsistere. »

[5] *Exercitatione theol. de indd. prohib. et expurgat apud pontificios exstantibus.*

Inst. saltem, inquit præfatus auctor, repugnat hæc mutilatio juri gentium; quo mortuorum monumenta et scriptorum voluntas in sacris habentur. Nihil antiquius solet esse scriptoribus, quam ipsa operum suorum incorrupta integritas; mallent sæpe supprimi; quam ignominiose castrari.

R. Librorum expurgatio est contraria juri gentium, si quis illam sine debita auctoritate aut arbitrarie perficiat; esto; nihil ad me. Quum autem ecclesia, divinitus missa fidei morumque doctrinæ depositum integrum servare, opera ejusdem subversiva prohibet, aut corrigit; jure utitur suo. Princeps vero civilis in opus, vere eversivum pacis publicæ, sæviens, non plus juris gentium reus est, quam qui fures pendit et latrones.

Sacra est voluntas scriptorum; at magis sacra sit oportet religio morumque puritas: voluntas illa, qua mallent scriptores, ex toto supprimi opera sua, effectus est nimiæ philautiæ. Dum ipsorum libri promiscue permitti non possunt; verum, per emendationem, præstatur beneficium; ne supprimi debeant, et jam emendati majori fiducia legantur et religiosius conserventur.

147 Verum non hic datur requies : gravissimas præterea contra hanc eamdem librorum expurgationem, plurimi moveri putant expostulationes :

Queruntur in primis Junius et Pappus (in suis in indicem expurgatorium *præfationibus*) aliique :

1 Quod varia in hæreticorum operibus deleri jubeant Romani, quæ tamen in ipsis Patribus verbotenus occurrunt, nec damnantur, sed sunt innocua et catholica. « In indice Frobeniano, in » D. Augustini opera, ait posterior, delendum est istud : *fides* » *sola justificat*, t. II, col. 815..... quem tandem locum, ipsa D. Au» gustini verba, ad quæ index Frobenianus nos remittit, habebunt? » Aut quæ causa est; cur ea quoque non deleantur, aut saltem de » hæresi non sint suspecta? [1] »

[1] Similia prorsus sunt, quæ iidem auctores movent adversus ipsam librorum, prout in usu apud Romanos est prohibitionem : continuo, inquit Pappus, in nobis proscribunt, quæ in suis tolerant; quia *liberius locuti sunt;* quia *nondum pleraque a s. conciliis fuerant definita;* quapropter et in veteribus, quos partibus suis vindicare, per fas et nefas, student, plurimos ferunt errores; et ut fatentur censores Duaceni, extenuant; excusant, excogitato commento, persæpe negant et commodum sensum affingunt (ita pene loquuntur in ind. expurg. Phil. II, censores Duacenses ad v. Bertramus) « Proh Dei » atque hominum fidem! exclamat Junius, post citata illa verba, ecclesiam » miseratus catholicam, ubi sanctitas, veritas, innocentia: si hæc sanctæ, » veræ et innocentis ecclesiæ, fideliumque pastorum ejus verba haberi pos-

2 Consulto igitur hic abstinent Romani a citandis, quos alibi tanto extollunt fastu, Patribus; dum nostra continuo mutilant scholia, indices...

3 Ceterum quamquam tantam in antiquos et Patres reverentiam profiteantur; dum posthabita etiam veritate, Patrum (qui non secus ac nos, inquiunt, sub censuram mittendi forent) non leves tolerant et reimprimunt errores;

4 Tamen ne minimum quidem [1] eosdem vere suspiciunt : data namque occasione, pro dogmatum suorum exigentia, latenter Patrum scripta corrumpunt; ne eosdem palam indicibus purgatoriis inserendo, causam suam prodant [2];

5 Immo ne hanc quidem secreto continere valent impietatem suam : etenim ipse index Hispanicus quam plurima ss. Patrum loca palam corrigi mandat; et index purgatorius Belgicus, ad nomen, *Augustinus*, admonet : *fere* omnes expurgationes solum afficere margines, indices, scholia etc. : ergo nec ipsi penitus parcitum fuit textui.

148 R. ad 1. Eadem subinde verba quæ in Patrum scriptis approbamus, in hæreticorum ad Patres indicibus, summariis et scholiis damnamus; et merito : quia

1° Hæretici alio et pravo ea proferunt sensu. Numquid enim verborum significatio, non ex nudis verbis; sed ex toto contextu est eruenda? Verba nobis objecta : *fides sola justificat*, apud auctores catholicos catholicum sensum habent : omnem, scil. justificationem a fide iidem derivantur, non sensu hæretico, excludendo bonorum operum necessitatem ad salutem æternam consequendam; sed adstruendo quod fides sine *qua impossibile est placere Deo* (ad Hebr. xi. 6) fundamentum sit totius vitæ spiritualis; seu quod nullum opus valeat ad salutem; nisi in vera religione et fide fundetur.

Quia 2°, etiamsi aliquando aberrent ss. Patres, errores sunt, quos dicimus, humani et materiales; neque produnt spiritum illum rebellionis in auctoritatem ecclesiæ, qui hæreticorum genuinus est character [3] : Patres enim ubique se a doctrina ecclesiæ catholicæ pendentes exhibent : qua de causa periculum erroris formalis, in

» sunt? » Pulchre, bene, recte; si tamen probaverint Junius et Pappus; Patres, dum eadem cum ipsis verba habent, eodem quoque illa protulisse spiritu, eodem sensu et cum eadem veritatis revelatæ, atque ab ecclesia propositæ notitia, et cum eodem auctoritatis contemptu !

[1] Jacobus Laurentius. *Diss. theol.* s. 3ia.

[2] Ita Francus, *Disquis academ.* n. 85. Eidem concinit Pappus, *Præf in ind. expurg.* Nec dissentit Boehmerus, in l. v decret. t. VII, n. 82.

[3] Bellarm. *Controv.* t. II, c. xx. V. *ad primam.*

quo proprie perversio jacet, procul exsulat[1]; esto remaneat subinde *aliquale periculum*[2] erroris cujusdam materialis. Hunc vero, quamvis ecclesiæ datum non sit omni prorsus obviare incommodo, qua ratione, pro circumstantiis, præcavere etiam satagat; in sequenti, ad 3^m^ responsione, visuri sumus.

Neque dicant adversarii nostri : eadem ad finem usque perseverat doctrina Christi : eædem ergo verborum formulæ vel semper fidei sunt conformes vel semper eidem difformes : quæ adeo in Patribus tolerantur, in recentioribus damnari non possunt.

Respondetur enim; non semper esse eamdem doctrinæ Christi cognitionem; quæ ubi magis fuerit explicita, magis quoque castigatus sit, oportet, scriptorum sermo. Quod si quis prudens a sermone recepto recesserit; ab ipsa quoque doctrina recedere et rebellionis vexillum levare convincetur. Nec debuit etiam ab initio ecclesia cuncta dogmata præcipiti oraculo definire propter unum alterumve doctorem; cui, cum animus esset sincere catholicus, elaberetur aliquis error materialis; cum nulla fieret in fidem catholicam irruptio, neque hæreseos formalis adesset periculum.

149 R. ad 2. Consulto hic abstinemus a citandis Patribus. Et quidni? Citamus Patrum testimonia, quum sacra religionis dogmata adversus eorumdem aggressores propugnamus; vel cum v. g. ecclesiasticam circa pravos libros disciplinam commendamus et vindicamus[3] : hic vero, ad singularium ecclesiasticæ jurisdictionis actuum æquitatem vindicandam longos ss. Patrum textus afferre, neque sacra potestate dignum foret, neque ecclesiæ filiis, qui illam pro merito, venerari didicerunt, necessarium est aut oportunum. Ceterum ss. Patres non adversari doctrinæ, quam ecclesia Romana suis librorum prohibitionibus tutatur, probant theologi catholici, ubi singularia ecclesiæ dogmata exponunt ac vindicant.

150 R. ad 3. Patres albos dixeris, an nigros; perinde est : nun-

[1] Hac adnotatione corruit quidquid Jacobus Laurentius, *Dissert. theolog. de libris gentilium... permittendis, ac tolerandis; protestantium vero prohibendis, abolendis ac comburendis*, p. 48 et seqq. congerit; ut convellat rationes, ob quas catholici auctores contra hæreticos contendebant; scripta Patrum, licet subinde aliquis adesset error, permitti posse; secus ac scripta auctorum in ecclesiam rebellium; esto etiam in particulari aliquo libro nulla habeatur hæresis; dum sic blande se animis insinuant; ut lectores ad alios libros paratis pertrahant insidiis.

[2] Dico : aliquale periculum, quia dum illi errores nunc sunt antiquati et contrariæ passim invaluere doctrinæ; vix est qui non statim advertat et aversus repudiet.

[3] V. Supra, c. I, argum. hist.

quam iis, qui semel in animum induxerunt, ecclesiam calumniari, bilem sedaveris : modo dum Patrum nævos emendamus in eosdem atrocissimæ injuriæ rei agimur : modo, dum dissimulandum, pro circumstantiis, ducimus; gravissimos dicimur approbare errores. Exaggerant adversarii Patrum lapsus : mirandum potius est, in tanta scriptorum, quæ nobis reliquerunt Patres, copia, sub tantis ministerii laboribus et cum tantillis temporum istorum, ad instructionem, subsidiis, adornata, tam paucos reperiri errores. Sunt errores tamen, neque adeo cum periculo etiam materialiter, ut dicunt, errandi, fidelibus proponendi. Quia vero errores illi jam sunt demortui, ut notat Card. Bell. (*de laicis*, l. c.) jam pene nihil periculi habet nova librorum, quibus ii continentur, editio. Ecclesia tamen, si quid periculi subinde adsit; illud ita amoveri voluit; ut simul summorum virorum scriptis, incorrupte servandis, consuleret; dum, ut latius infra, c. IV, visuri sumus, Clem. P. VIII, in Instruct. *de correct. librorum*, § 4, edixit : In libris catholicorum veterum nihil mutandum esse; nisi evidenter ab ipso sit auctore alienum : si vero quid, ab ipso auctore profectum, majoris momenti et animadversione dignum occurrerit; extra textum correctionem fore adhibendam. Hac via veritati fuit consultum, lectoris discrimini adhibita cautela ejusque utilitati provisum. Hoc ecclesiæ mandatum dum legitime prosequuntur correctores, indicibus purgatoriis præpositi; nullatenus veritate posthabita, errores probant; de lectoribus autem et bene merentur, quin tamen injurii sint in ss. Patres; qui, utut testes traditionis primævæ, omni majores exceptione, et doctores longe præcellentes; tamen homines mansere, falli haud nescii, et ut membra, potestati obnoxii ecclesiæ; cui et acceptum ferebant, cujusque adeo judicio submittebant, quidquid salutaris possidebant doctrinæ.

151 R. ad 4. Hoc alibi diluit ipse Francus; dum. c. x. locupletissimus nobis est testis; ea, quæ subinde apud nostros, in Patrum textus irrepsisse autumat, eo ferme spectare; ut vel minus accurata castigent, vel obscura dilucident. Quod ergo dicunt; nos, pro dogmatum aut disciplinæ exigentia, clanculo mutilare ss. Patres; pura est calumnia; quæ ab auctoribus catholicis, singulatim depellitur, ubi dogmata individua probanda aut singularia disciplinæ puncta vindicanda suscipiunt.

152 R. ad 5. Immo etiamsi occulte et aperte, pro enata oportunitate, ecclesia suum exsequeretur munus; in hoc ipso candido agendi modo, si pacatis animis rem perpenderent adversarii, argumentum deprehenderent invictum; nihil hic ad fraudem esse compositum, et omnia in eum conspirare finem, quem semper pro-

secuta et prosequi professa est ecclesia; ut, scilicet, a fidelibus amoveatur omne offensionis et erroris, etiam materialis, quoad fieri potest, periculum. In quo nihil, nisi quod juris sui atque officii est, sibi sumeret ecclesia; cui et ipsi Patres obnoxios se semper professi sunt, cuique opera sua emendanda, expressis verbis, subjecere S. Augustinus aliique (supra, n. 105). Ecclesia ergo etiam aperte in ss. Patrum scriptis corrigendo, quæ minus veritati forent consona, ipsam Patrum voluntatem, quorumdam expressam, aliorum tacitam exsequeretur; faciendo, quod ipsi, si superstites forent, promptissime facere non dubitarent.

Interim statim atque docuit experientia, quod ex religiosiori regularum indicis applicatione hoc oriturum incommodum foret; ut plura etiam ss. Patrum scripta corrigerentur, cum tamen, illis intactis, brevi hinc inde nota adjecta, facile obviari posset omni periculo; Clem. VIII indixit, quod jam laudabamus, adhibendum, in novis ss. Patrum editionibus, moderamen.

Verum ergo sit, quod indices expurgatorii, Hispanicus et Belgicus plura SS. Patrum opera corrigi mandaverint; respondebimus; id legitime ab ecclesia, et iis, qui similibus indicibus conficiendis præfecti erant, viris mandari potuisse; verisimilius tamen, obstante jam nova et exquisita Clementis VIII lege, numquam exsecutioni fuisse datum; cum similiter correcta ss. Patrum opera neque ab adversariis nostris indicentur, neque obvia habeantur.

153 Insistunt quidam : at damnum infertur emptori; qui, opus petens integrum, injuste privatur illius acquirendi commodo.

2 Saltem decipitur emptor; dum falsatæ pro puris eidem offeruntur merces.

3 Ingens insuper infertur nocumentum studiis; dum omnia veterum monumenta redduntur incerta : jam enim nemo sciet, an ipsum alicujus Patris textum præ manibus habeat; an cujusdam falsarii segmentum, e tenebris medii ævi profectum [1];

4 Cum hic vetera scripta corrumpendi modus, præsertim apud monachos istorum ignorantiæ seculorum viguerit [2].

154 R. ad 1. Generatim loquendo, per expurgationem non ita amoventur exemplaria authentica; ut quis illa sibi, ad usum legitimum, procurare non valeat. Præterea tantillum privatorum commodum flocci fieri debet; ubi agitur de gravissimo damno communi avertendo. Interim etiam illorum utilitati consultum voluit ecclesia,

[1] Successu temporis, inquit « Bœhmerus, n. 82, fides scripturis omnibus » derogabitur... summa rerum barbaries et tenebræ denssisimæ inducentur. »

[2] V. Junium, in sua ad *indicem expurg. præfat.* et Francum, *Disq. acad.*

in citata Clem. VIII Instructione; quoad scripta catholicorum veterum, ut vidimus.

Quod si ponatur expedire; ut scriptum, quod non nisi purgatum promiscue permitti possit, nihilominus integrum conservetur; oportunis ecclesia numquam deerit votis.

155 ad 2. Offeruntur merces, quam possunt, maxime genuinæ et integræ : subtractis enim, suadente ipsa charitatis lege, herbis venenosis, salubris offertur alimonia. Nedum ergo injuria sit submovere, quod lectori in damnum porrigere, ipsum vetat jus naturæ; ingens eidem præstatur beneficium. Ne tamen vel umbra adsit deceptionis; ultra quam debuit, quorumdam votis sese accommodans Clem. VIII, in instructionis suæ parte, quæ *de impressione librorum* inscribitur, §. 7, edixit; ut in posterum in libris expurgatis edendis, correctionis factæ, in ipsa eorum fronte, apponeretur nota.

156 ad 3. Propter cautelam a Clem. VIII appositam, nego hoc damnum, quod tamen secundo, post librorum perniciosorum pestem, venit loco, adhuc modo timendum esse. Verum est; olim hæc præcautio non adhibebatur; gratis tamen ab adversariis nostris multiplicantur correctiones inductæ. Ipse Francus [1], qui certe catholicis non faverit, quotquot potest hujusmodi, a catholicis factas, expurgationes profert; vere multas ex scholiis, marginibus, indicibus, quæ scriptis Patrum fuerant adjecta; paucas vero ex ipsis ss. Patrum operibus; quoniam, scilicet, in istis adscititiis, quæ integra ab indoctis vel hæreticis proficiscuntur, plurimi scatebant errores ; dum textum, qui semper ad alia poterat apographa conferri, puriorem conservare debuerunt isti Patrum editores, melius dixerim, corruptores.

157 ad 4. Ita quidem Francus adnotavit, n. 82; sed nescio quid inde contra monachos; si, ut ibidem addit, plerumque hasce immutationes induxerint iis, quos ad privatum suum usum describebant, libris : si deinde copistæ et librarii incurii aut indocti scholia eorum aut margines subinde textui inseruerint; id seculorum istorum tribuendum ignorantiæ ac barbariæ; a qua nisi religiosi tot veterum nobis monumenta servassent, quam dudum fuissent oblivione sepulta; norunt eruditi omnes.

Ceterum dum adversarii nostri catholicos accusant, quasi Patrum scripta violent; perbelle causam agunt suam : non solum enim mendaciis nos opprimunt; sed animos avertunt ab iis, quæ apud ipsos, dato studio, locum habent, librorum suppositionibus,

[1] *Disquis. acad.*, c. IX et X.

interpolationibus et similibus; quocirca qui curiosus fuerit, reperiet apud Gretzerum [1], quo suum pascat animum.

Instabunt tamen et dicent : plura quæ pandimus hujus vestræ expurgationis incommoda, utut singula plus minus præcaveri possint; tamen si omnia rite perpendantur, efficiunt argumentum ita validum contra praxim illam; ut ipsa ecclesia, rei probe conscia, sponte jam dudum ei renunciarit, facto ipso suo, priorem reprobans sententiam.

R. Nego antec. : ad unumquodque argumentum suum datum fuit responsum. Difficultates in exsecutione legis expurgatoriæ occurrunt; non inficior : verum magna mala non ita facile superantur; præclarum bonum non sine labore obtinetur. Ecclesia vero magnam partem huic suæ legi jam dudum renunciavit; non quod eam minus justam censuerit aut minus prudentem; sed quod nosset; in re disciplinari oportune cedendum circumstantiis. Ceterum etiam hodie hoc scripta expurgandi jure, et si non tam frequenter, pro officio tamen suo, dum circumstantiæ sinunt, utitur ecclesia. Versus finem an. 1839 vel initio 1840 a. s. indicis congr. damnatum fuit opus : *Donna saggia e amabile*, donec debite ab auctore corrigeretur. Sæpe etiam emendata cum ecclesiæ approbatione in lucem mittuntur opera; quæ, nisi correcta sint atque approbata, legere sit nefas.

Atque hæc sunt præcipua, quæ de censuræ ecclesiasticæ objecto proponenda ac elucidanda hoc loco putemus : quæ minoris sunt momenti silentio præterimus : de aliis cap. IV dicere, magis erit oportunum.

[1] *De jure et modo prohibendi malos libros*, l. II, c. V.

CAPUT IV.

DISCIPLINA ECCLESIÆ, CIRCA LIBROS PROHIBITOS, POST EXORTAS HÆRESES SEC. XVI.

158 Exposita tractationis nostræ parte theoretica, paullatim ad praxim delabentes, agendum jam habemus de recentiori circa vetitæ lectionis libros, ecclesiæ disciplina. In capite I contra scriptores illos, qui hanc ecclesiæ disciplinam, ut novitiam traducebant, ejusdem historiam jam inde a primis, post Christum natum, seculis, ad ipsa pseudo-reformationis initia perduximus; quo manifeste constaret; eamdem semper fuisse ecclesiæ mentem in disciplina, pro circumstantiis, accidentaliter diversa. Nunc ut eamdem disciplinam ab aliis eorumdem vindicemus cavillis, continuanda narratio est, ab illo, quo stetimus tempore, ad nostros usque dies; ut liceat, uno velut obtutu, totam ecclesiæ œconomiam contueri ejusdemque demirari prudentiam.

Tribus autem sectionibus hoc caput absolvemus; in 1ª historiam indicis a concilio Tridentino ad nostra hæc tempora perducemus; in 2da a quibus et, quo servato juris ordine, prohibitiones Romanæ, ex disciplina moderna, condantur, exponemus; in 3ª vero summatim regulæ indicis hodierni perstringentur.

SECTIO I.

Historia indicis a concilio Trid. ad nostra tempora.

159 Quum antea simplici plerumque res condemnatione hæreret, aut prohibitione; seculo præsertim XIII adjici cepit excommunicationis pœna; ut, quæ jam ingravescebat, hæreticorum pervicacia frangeretur. Recentius nova iterum, pro temporum necessitate, censuræ librorum fuit inducta forma: cum enim, post inventam perfectamque artem typographicam, in immensum crevisset librorum copia; nec jam sufficeret nuda libri damnatio atque combustio; Leo X, ut supra narrabamus, libros quoscumque imprimere vetuit; nisi Episcoporum aut inquisitorum accederet auctoritas. Neque hæc tamen periculo amovendo suffecit præcautio; plures enim, in ecclesiam rebelles, ejusdem detrectabant obedire imperio, librosque perversos typis emittere pergebant.

Cumque artis typographicæ beneficio instructionis litterarumque communio passim ad vulgus extenderetur, ibat crescens continuo periculum fidelium. Quare et Julius III, in bulla, *Cœnæ domini* sub excommunicationis sententia libros hæreticorum et apostatum legere prohibuit; et recentior paullatim inducta fuit indicis librorum œconomia.

Idem ab initio, de potestate ecclesiæ, dogma; idem semper perseverat ecclesiæ spiritus; qui tamen eo solertius in opere se exserit; quo majus esse cognoscit pia mater filiorum suorum discrimen.

160 Potest autem index ille, qualis nunc exstat, dici syllabus regularum et prohibitionum particularium, quo libri, fidei morumve subversivi, ab ecclesia Romano-catholica legi retinerique vetiti, indicantur, a synodo Tridentina confici jussus et exinde variis, pro enatis indies circumstantiis, accessionibus auctus. Ne vero Vanespen aliique novitiam, ut aiunt, misereantur disciplinam, cito proferamus insigne, quod hic veritati testimonium ipse defert Bœhmerus ingenue confessus; quod « recentior in ecclesia Romana praxis cum antiqua conspirare, ne dicam, ait, eam superare videatur; si methodum novissimam libros per indices damnandi et expurgandi intuemur [1]. » Nempe ipsa veritatis evidentia etiam hæreticos, ad momentum licet, catholicos esse cogit. Nec est quod miretur Espenius : enimvero (et hoc sæpe contra ecclesiæ recentioris adversarios annotasse juverit) disciplina quævis, quod recentior sit; non ideo minus salutaris aut juri conformis existimanda est : a quo namque primæva dirigebatur ecclesia spiritu, ab eodem et recentior; quæque illa determinavit, eadem et ista determinare potest disciplinæ puncta : præsertim cum neque plurimorum jurium usus, neque ipsa ecclesiæ constitutio, nisi certis positis conditionibus, queat evolvi.

161 Hujus porro celeberrimi indicis jam nunc vestigandi sunt natales.

Bœhmerus [2] quidem ultimæ, quæ huic negotio inducta, fuit formæ occasionem repetit ex eo; quod plures post factam bullæ Cœnæ [3],

[1] In l. v. Decretalium, tit. VII, n. 100. Notat etiam Riegger (*Jurisprud. eccles.* part. IV, § 300, in nota) « Quod, quæ in recessibus (actis comitiorum publi- » corum) imperii Rom. 1. *Norimb.* de an. 1524, § 28; *Spirensi*, de an. 1321, » § 5; *August.* de an. 1548, tit. 34; *Erford.* de an 1568, § 61; *Spirensi*, de » an. 1570, § 154; *Francoford*, de an. 1577, tit. 35 § 1. seq. de censura pu- » blica et ad cohibendam lectionem librorum noxiorum, constituta sunt, ea » fere in plurimis conveniant cum regulis et instructione indicis. » Idem fere Bœhm. n. 107.

[2] Ib., n. 97.

[3] De bulla Cœnæ pauca, hoc capite, dicenda putavi; quia magis opportu-

7.

generalem omnium hæreticorum scriptorum, sub pœna excommunicationis reservatæ, prohibitionem, dubitarent; quinam libri sub tam gravi pœna vetiti essent habendi. Verum, cum jam a longissimo tempore, ut vidimus, severissima extaret, licet non adjuncta esset ista pœnalis sanctio, ejusmodi librorum prohibitio, et plures jam indices prodiissent, antequam illa ferretur censura; verius ab Espenio [1] et Harney [2] repeti videtur indicis occasio ex ipsa pseudoreformatorum, qui hæreticum, favente jam arte typographica, quaquaversum spargebant virus, in religionem catholicam irruptione; cujus, ut funestissimos, non tantum pro ecclesia, sed etiam pro temporali republica, impedirent effectus, Episcopi, principes et theologi catholici plurima vulgare ceperunt auctorum librorumque, a quibus cavendum esset, nomina; ne quis sub ementita integræ doctrinæ deciperetur hedera. Interim ipsa indicis, quem Paulus IV posteriori loco edidit, inscriptio (infra n. 162) occasioni, a Boehmero assignatæ, aliquantisper suffragari videtur; ita ut hæc altera esse potuerit conficiendi indicis causa motiva. Quod si cui placuerit, eam solam statuere occasionem proximam indicis conficiendi, non repugno : non enim tanti interest, discutere, an hæreses sec xvi. fuerint occasio ejusdem proxima, an tantum remota.

Hæc vero est primorum indicum historia : « In his regionibus, » ait Harney [3] talium (librorum) index aliquis ab universitate Lova» niensi prodiit, an. 1540. 22. febr., » videturque idem, quem Carolus V. cæsareo diplomate 22 7bris ejusdem anni munivit, index [4]; quamquam neque Imperator academicæ cooperationis, neque laudatus auctor confirmationis meminerit imperatoriæ. Videtur autem iste ex omnibus indicibus particularibus primus esse; qui apud auctores memoretur: est brevis admodum, quædam continens celebriorum hæreticorum nomina; quædam scripta particularia, et paucas regulas generales; eumque tantummodo in citato edicto reperire potui.

Copiosior est, quem s. facultas Parisiensis, 3ia augusti an. 1544 emisit, omnium, qui in manus doctorum pervenerant, et censura

num, de ea disserere, cap. vi; ubi de pœna excommunicationis reservatæ, per eam legentibus, retinentibus... libros hæreticorum inflictæ, latius est agendum. Id quod eo licuit magis; quod bullæ dispositiones, qua prohibitivæ, regulis indicis contineantur.

[1] *Jus eccl. univ.*, p. 1, tit. xxii, c. iv, n. 5, ed. Lov. 1753, t. I, p. 209.

[2] *De s. Scriptura linguis vulgaribus legenda rationabile obsequium Belgii catholici*, l. i, c. 2.

[3] L. c.

[4] *Placcaerten van Vlaenderen*, 1 b. vii rubr.

digni visi fuerant, librorum, tam Latino, quam Gallico sermone conscriptorum, index [1].

Die vero ultima mensis Junii an. 1546 prodiit novum Cæsaris edictum, quo muniebatur novus, quem ejusdem mandato, 9a Maji ediderant doctores Lovanienses, librorum damnatorum catalogus. Profitentur ejusdem auctores, huic suo labori jam non subjecisse sese scripta prohibita diplomate an. 1540; cujus utique ipsi (quod vel hinc conficere liceret), pars magna fuissent [2].

Anno 1548, Venetiis, nuntius apostolicus, ill. Dellacasa, non inconsulta, ut videtur, s. sede evulgavit, quem studiosissime, cooperantibus sibi doctissimis piisque theologis Italis, adornaverat, nocuorum librorum indicem.

Anno vero seq. concilium Coloniense, pro directione præsertim parochorum et concionatorum, longam texuit similium scriptorum seriem.

Succedebant autem sibi continuo Lovanii Parisiisque indices, novis accessionibus adaucti [3].

162 Brevi ipse Paulus IV sacræ inquisitionis Congregationi in mandatis dedit; ut quam accuratissimum concinnaret indicem generalem; qui an. 1558 [4] prodiit, seq. cum titulo : « Index auc-

[1] Exstat in bibl. Lov. sub n. 494. In illius præfatione videre est; theologos Parisienses, non solum recensuisse ea, quæ ipsi jam tum, data occasione, censura notaverant, scripta, quod titulus innuere videtur; sed studio, quotquot noverant, examinasse et debita affecisse sententia : exhibet autem ordine aphabetico 1° nomina auctorum et dein operum latinorum et 2° auctores et scripta Gallica : sed nullæ adsunt regulæ generales.

[2] Hæc omnia constant ex ipsis documentis, quæ lingua Flandrica leguntur in opere, *Placcaerten van Vlaenderen* (l. c) ; Gallico vero sermone exstant : in libro, *Placcaerten van Braband*, parte IV, l. I, tit. VIII, c. 1, p. 43.

[3] Transeunter hic notandum est; quam solemniter aberret protestantium canonista Boehmerus; dum (n. 97) primum librorum vetitorum indicem refert ad an. 1551; quo Julium III, omnium primum, bullæ cœnæ Domini inseruisse dicit clausulam, qua omnes librorum, ab hæreticis aut apostatis conscriptorum, lectores et detentores excommunicationis reservatæ sententia innodantur : hominem redarguendum linquemus ipsis, qui nobiscum hic faciunt, Schoettgenio, *Comment.* I, *de indicib. libr. proh. et expurg.*, c. I, § 3, et quos citat, Putherbeo, *Theotimi* lib. III, p. 237, et auctori Gallo opusculi, anno 1547, editi, cujus titulus : *Avertissement sur la censure, qu'ont faite les bestes de Sorbonne, touchant les livres qu'ils appellent hérétiques.*

Longius adhuc a vero deflexit Durand de Maillane, *Dict. de droit can.* art. *livres*, primum librorum vetitorum catalogum referens ad an. 1558.

[4] Memorat quidem Luc. Ferraris, ad v. *Libri prohibiti* et Catalanus : *de secretario s. congregationis indicis libri duo*, l. I. c. IV, n. 2, editionem indicis

» torum et librorum, qui tamquam hæretici, suspecti aut perniciosi » ab officio S. Romanæ Inquisitionis reprobantur et in universa » Christiana republica interdicuntur. » [1].

At mox idem Paulus IV, suppresso hoc indice, novum magis extensum; « exquisita diligentia, extractis e vaticana bibliotheca » voluminibus; inspectis aliarum provinciarum indicibus, divi- » saque rei cura inter theologos, » ut narrat Christophorus Patavinus, ap. Pallav. (l. xv, c. xix, n. 9) concinnari curavit; qui anno 1559, prodiit, sequentem præferens inscriptionem : « Index auc- » torum et librorum, qui ab officio sanctæ Romanæ et universalis » Inquisitionis caveri ab omnibus, et singulis, in universa Chris- » tiana republica mandantur, sub censuris contra legentes vel te- » nentes libros prohibitos, in bulla, quæ lecta est in Cœna » Domini, expressis; et sub aliis pœnis in decreto ejusdem sacri » officii contentis. » Post recensitas, instar præcedentis catalogi, tres auctorum librorumque classes, sequitur clausula generalis, stringens omnia, quæ ab anno 1519, sine nomine auctoris edita fuerant scripta; recensenturque ad 62 usque typographi suspecti; quorum opera, qui lucem vidissent, libri, proscribebantur universi, unaque omnia scripta, quæ prodiissent apud typographos, qui vel unum hæreticorum librum excudissent.

163 Nimii hunc Pontificem rigoris accusant Schoettgenius [2] et Espenius [3] : laudatque posterior, sed injuria, Spondanum [4]; qui

Paulini datam an. 1557; sed notant nullum affixum fuisse decretum; quare forte non sine verisimilitudine quis dixerit; fuisse potius indicis edendi veluti quoddam tentamen.

[1] Ad invidiam Petrus suavis *Hist conc. Trid.*, l. vi, et post ipsum Schoettgenius, l. cit. § 10, et Bœhm. l. cit, n. 97, carpunt Paulum iv, quasi motus demum fuerit exemplo Philippi II; qui inquisitioni Hispanicæ indicis generalis confectionem, an. 1558, demandaverat; cum tamen index Paulinus, eodem illo anno, prodierit et an. 1559, post secundas s. inquisitionis curas, jam alter a priori vulgatus fuerit. Potuerant particulares, exemplo accepto a Gelasio 1 similes indices, pro suorum temporum necessitate, contexere sine periculo; at majoris molis aleæque opus erat, indicem generalem, suprema Pontificis auctoritate munitum, ecclesiæ communicare catholicæ. Quare prudentia ecclesiæ Romanæ suadere videbatur; quantum per tempus licebat, morari et ex particularium exemplis futurum rei successum explorare normamque agendi sibi deligere.

[2] L. c, n. 10 et 12.

[3] L. c, n. 8.

[4] Ad an. 1557, n. 5. Ejus verba gestiens producit Espenius. Verum, ut ab ipso, quem producit canonista, confundatur auctore; et quo pateat; quam nge Spondanus absit ab indicis Paulini incriminatione; citabo et ego ipsa

tamen animadvertit; antea semper intra terminos hæreticorum hæsisse proscriptiones; neque ullos prohibitos libros; nisi quorum etiam auctores essent damnati. Sed ut falli Spondanum convincamur, suffecerit recoluisse indicem Gelasii I, (n. 48).

Neque ullatenus admittendum proscriptos fuisse libros, qui talem non mererentur sententiam : in illo namque reipublicæ Christianæ statu, nulla adversus hæreticas fraudes cautela, non dicam, nimia; sed nec secura satis existimari poterat. Aliud autem est de oportunitate severi hujusmodi statuti quærere : « Aliquibus, ait cl. Zaccaria [1] nimia cum severitate prohibiti » fuisse visi sunt libri quidam; qui tolerari potuissent in commo- » dum eruditorum; et, ne nimis exasperarentur feroces modo » novatorum animi. » « Querelæ ferebantur, ait Harney, [2] propter » æqualem Pauli IV in suo indice rigorem, ob nævos librorum » valde inæquales : quarum querelarum et Spondanus meminit et » aliquas exprimit Pallavicinus [3] in persona Danielis Barbari..... » nec non Christophori Patavini. » Harum querelarum et meminit Trid. sess. XVIII; harum ipse Paulus IV rationem aliquam habendam duxit; dum temporum calamitati, hominumque infirmitati delaturus, an. 1561 indulsit; ut « 1° tollerentur ex indice libri, qui nulla » alia ratione, prohibiti sunt, nisi quia ab impressoribus suspectis » emanarunt, 2° versiones catholicorum doctorum tollerentur, factæ » ab hæreticis, dummodo tollantur hæreses, 3° libri catholicorum, » non alia ratione, prohibiti, nisi quia præfationes, summulas et » scholias habent hæreticorum; purgati tolerentur. »

Paulinus ille index licet promulgatus, [4] brevi tamen tempore in vigore fuit : nempe, locum cessit indici Tridentino; cujus ipse magnam partem effecit; et, quo vulgato, pressus fuit, pœnæque, eo tantum contentæ, penitus abrogatæ fuerunt [5].

ejus verba, quæ Espenius media citatione sua transvolat; ut auctoris mentem secure valeat adulterari. Ait itaque Spondanus, postquam de indicis rigore locutus est : « Quod tamen prudentissima cautione a Paulo præstitum » intelligitur; cum soleant etiam multi alii libri, præter hæreticos, mores » corrumpere, et falsas opiniones inducere : soleantque hæretici scriptores » et typographi aliorum argumentorum tractationibus sua venena immis- » cere » agnoscebat ergo Spondanus disciplinam novam quidem in forma sua; severam quoque; sed non idcirco minus probavit salutarem.

[1] L. I, ep. V, n. 12.

[2] L. I, c. III, n. 12.

[3] *Hist. conc. Tr.*, l. XIX, n. 3 et 9.

[4] Id testatur Pallav. l. XV, c. XVIII, n. 1.

[5] Poenæ namque in omnes catalogi Paulini libros statuta; quasque Daniel Barbarus, coadjutor Aquilejensis, moderandas coram concilii Patribus edixe-

164 Synodus Tridentina, cum *catholicæ fidei doctrinam, multorum inter se dissidentium opinionibus, pluribus locis inquinatam, et obscuratam*, ut ait decretum sess. XVIII, *in suam puritatem et splendorem* restituere;... et mores, qui a veteri instituto deflexerant, ad meliorem vitæ rationem revocare cogitaret, *omnium primum*, ait, animadvertit, « hoc tempore suspectorum ac perniciosorum libro» rum, quibus doctrina impura continetur, et longe lateque diffun» ditur, numerum nimis excrevisse; quod quidem in causa fuit, » aiunt Patres, ut multæ censuræ in variis provinciis et præsertim » in alma urbe Roma, pio quodam zelo editæ fuerint; neque tamen » huic tam magno ac periculoso morbo salutarem ullam profuisse » medicinam. » Censuit itaque concilium; « ut, delecti, ad hanc » disquisitionem Patres, de censuris librisque, quid facto opus » esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eamdem sanctam » synodum suo tempore referrent; quo facilius, aiunt Patres, ipsa » possit varias et peregrinas doctrinas, tamquam zizania, a » Christianæ veritatis tritico separare, deque his commodius deli» berare; et statuere, quæ ad scrupulum ex complurium animis » eximendum, et tollendas multarum querelarum causas magis » opportuna videbuntur. » Patres itaque in materia, de qua pseudo-reformatores adversus ecclesiam Romanam graviter expostulabant, pro hac vice, rationem habuere querelarum et observationum eorumdem; quo maturi judicii sui pondere eas premerent, et dissidentes ad reditum allicerent. Quare et Romæ, ait Pallavicinus [1], (iste enim finis erat convocati a Pontifice concilii), comprobatum « fuit; ut hujusmodi labor (indicis conficiendi), Patrum arbitrio » proponeretur. Et quoniam Paulus IV, solerti studio selectorum » hominum, librorum perniciosorum indicem ad id usque temporis » promulgarat, unde videbantur revocanda a concilio non esse » ad novum judicium auctoritate sua, ea, de quibus sedes aposto» lica cognitionem habuerat; ex legatorum, de quo nuper diximus, » ait Pallavicinus, consilio, diploma pontificium confectum est, quo » Patres ad hunc laborem invitabantur. »

165 Patres itaque legatis Præsidentibus demandarunt; ut ido-

rat (ap. Pallav. l. xv, c. xix, n. 3.) numquam reproductæ fuere in indice, quem Patres delecti et Pius IV, priorem corrigentes, evulgarunt. Quod si dubium alicui supersit, amoveat saltem illud Alex. VII; qui constitutione sua, *Speculatores*, omnes pœnas, in legentes aut retinentes scripta prohibita latas ante annum 1664. reduxit ad pœnas bullæ Coenæ, et indicis Pii IV. (V. infra, n. 274.)

[1] L. xv, c. xviii, n. 1.

neos ad id operis deputarent viros [1]: deputaverunt autem legati *cum doctrina, tum judicio, insignes prælatos ex omnibus fere nationibus*, ait Pontifex Pius IV [2].

Patres autem delectos numerat Spondanus [3] decem et octo. Porro hanc selectorum deputationem, ut suam agnoscit synodus; cum sess. XXV [4] ait : « Sacrosancta synodus, in secunda sessione, » sub sanctissimo Domino nostro, Pio IV, celebrata, (quæ est decima » octava concilii) delectis quibusdam Patribus commisit; ut de » variis censuris ac libris vel suspectis, vel perniciosis, quid facto » opus esset, considerarent; atque ad ipsam sanctam synodum re- » ferrent. »

Patres deputati plus quam octodecim menses diligentissime in demandato sibi munere versati, adhibitis etiam in consilium lectissimis quibusdam theologis, [5] ante clausum concilium opus absolverant, stabilitis regulis, et contexto librorum indice [6] :

166 Interim synodus, ut in eodem sessionis xxv decreto legitur, « audiens huic operi extremam manum impositam esse; nec tamen » ob librorum varietatem et multitudinem possit distincte et com- » mode a sancta synodo disjudicari; præcipit, ut quidquid ab illis, » præstitum est, sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur : ut ejus » judicio atque auctoritate terminetur et evulgetur. »

« At vero Pius IV ut, ex citata bulla, *Dominici gregis*, narrat » p. Ruele [7], non acquievit labori et studio Patrum illorum : quin » et ipse per se examinare voluit; et a multis prælatis, virisque » examinari doctissimis. » Cui examini quatuor ultra menses fuere impensi. En, ne quid neotericorum desit voto, duplicata, pro negotii momento, curas et labores, priusquam index, suprema Romani Pontificis auctoritate promulgatus, cum obligandi effectu in orbem catholicum emitteretur [8].

[1] Constat *ex ipso Paulo Sarpio; qui, ut* ait Harney, *sub anagrammatico nomine Petri Suavis Polani, araneam concilii egit.*

[2] In bulla *Dominici gregis* : consonat Forerius deputationis secretarius, in citanda modo ipsius indicis præfatione.

[3] Ad. an. 1562, n. 16. Per errorem typographicum factum videtur; ut in præfatione indicis, Antverpiæ cum appendice regia impressi, an. 1570, loco 18, poneretur 13.

[4] In decreto de ind. catech. brev. et missali.

[5] Ita bulla *Dominici gregis.*

[6] Zacc, p. 348, n. 5

[7] *Saggio dell' istoria dell' indice Romano de' libri prohibiti.*

[8] Patescit ex iis, quæ tum de ipsius deputationis concilii, tum de Pii IV laboribus et curis, modo enarrata fuerunt, a vero aberrare censores Phil. II ;

167 Contendit Espenius [1], regularum Indicis auctoritatem elevaturus; synodum quidem Patribus delectis in mandatis dedisse confectionem catalogi; neutiquam vero harum regularum, quas ipsi deputati e suo cerebro confinxerunt, commentum. Hanc autem Espenii adinventionem procul amovent ipsa, si studiose expendantur, concilii acta.

Cum synodus animadvertisset omnium primum ad libros suspectos ac perniciosos studium esse vertendum; mandatum dedit latissimum, non paucis viris, sed octodecim Patribus, ex omni natione delectis; ut « quid facto opus esset diligenter considerarent, et ad » synodum referrent [2].» Quibus verbis, fateor, mandatum *explicitum* conficiendi regulas haud continetur; mandatum tamen verum et reale, licet *implicitum*, per ea conferri, negare potest nemo : *quid facto opus esset, considerarent, et ad synodum referrent.* Latissimum mandatum accepere Patres deputati; potuerunt ergo, immo debuere de illo providere regularum medio; sine quo ipsi arbitrarie suum confecissent indicem; et iste etiam summis laboribus summaque industria confectus, scopum nequaquam attigisset suum. Quod si neget Espenius mandati ejusmodi impliciti existentiam; pariter neget, oportet; ipsum librorum indicem concilii Tridentini mandato fuisse confectum; quippe de quo nec verbum potulerit synodus. Sequeretur ergo ex istiusmodi Espenii opinione; quod Patres deputati missi quidem fuerint, *diligenter considerare* et *ad synodum referre;* nullum tamen prorsus quod ipsis opportunum videretur, remedium concilio proponere. Quod quam absurdum ac synodi scopo adversum sit; nemo non videt.

cum, in ind. expurg. ad v. *Capnio*, scribunt : « Nec dubitamus catalogum Tri» dentinum (ut profitetur proœmium) simpliciter secutum fidem catalogi, » Pauli IV jussu confecti. » Etenim, cum proœmium illud invocat catalogum Pauli IV, rationem reddit, ob quam factum est; ut vix nova opera indici Tridentino sint inserta; quod scilicet, Patribus urgente tempore non vacaverit ad alia opera conquirenda animos adjicere; nullatenus vero innuitur, quod cœca fide syllabum Paulinum transsumpserint; in quo sane non tanti fuissent labores insumendi. Confer contextum illius præfationis, jamjam producendæ (n. 170.) Nec minus abludit abbas Augustinus; quum in opere : *OEcumenici concili Trid. veritas inextincta*, T. III, p. 115 resp. 1, docet : indicem Paulinum, quibusdam tantum mutatis, a Patribus Trid. fuisse approbatum : liquidum enim ex documentis coævis est; indicem Paulinum iterato accuratissime revisum et excussum, plura ex eo erasa; regulas adjectas, et mutatis pœnis, ex integro novam ei superinductam fuisse formam.

[1] *Jus univ.*, p. I, tit. XXII, c. IV. n. 21.

[2] Conc. Trid. sess. XVIII.

Citat Espenius (l. c.) s. Carolum Borromæum; qui dum, in synodo V, ipsum indicem, jussu concilii Tridentini, diserte confectum dicit; in synodo 1, regulas indicis « ab iis, qui illi negotio a sacro» sancta synodo Tridentina præfecti fuerunt, ex auctoritate ss. d. » n. Pii IV *editas* » ait.

Hic vero in primis id notandum; quod is, quem invocat Espenius, S. Carolus, in priori, qui citatus, fuit, loco, Espenianam confutet hypothesin; cum jussu synodi Tridentinæ confectum indicem asserat; ubi ex Espenio, nil determinatum Patres deputati habuere in mandatis. Textum objectum quod attinet; posteriora illa s. Caroli verba, non regularum confectionem indicant; sed editionem, quæ vere, absoluto jam concilio, auctoritate Pii IV facta fuit; quod idem de ipso indice asseri debet; nec tamen ejusdem, jussu concilii, confectionem, excludit. Præterea s. Carolus nequaquam, in duobus his locis, opponit auctoritatem indicis regularum auctoritati. Contrarium nec probat, nec probare valet Espenius. Conjecturis non refutatur communis auctorum sententia; quæ ipsas etiam regulas a Tridentini jussu commendat. « Les dix règles, ait continuator Fleurii [1] qui furent dressées par l'autorité du concile. » Fateor; ejusmodi auctorum sententia nasci potuisset ex eo, quod regulæ istæ ad calcem decretorum concilii adjicerentur; at vero reapse sic ortam fuisse gratis supponit Leplat in opere mox citando, (pag. 28.) Error hujusmodi, in scriptoribus pene coætaneis, probari debet, non fingi.

168 Repulsus jam quidem Espenius est, et pariter Judocus Leplat; quatenus in libro cui titulum fecit: *Vindiciæ assertorum in præfatione, codici concilii Trid. an* 1779, *præmissa*, idem cum magistro suo Espenio, (quem tamen loquacitate et cavillis superat) eisdem gratuitis negationibus propugnare aggreditur. Verum quasi hisce suis diffidens ratiunculis et ineluctabile præsentiens responsum, instanter urget ille; contendens, saltem regulam IV, quæ omnium pugnarum ipsi causa est, *non potuisse confici in vim mandati qualiscumque, decreto sess.* XVIII. *accepti.* Probat autem assertionem ex eo, quod in illo concilii decreto agatur tantum de libris suspectis ac perniciosis; regula autem IV agat de versionibus scripturæ s. [2]

Ad quod respondeo; etiam hanc regulam IV, ex implicito synodi mandato confectam fuisse: quantumvis enim Patres concilii, agentes de libris suspectis ac perniciosis, non videantur cogitasse de vulgaribus s. Scripturæ versionibus; nihilominus si Patribus deputatis versiones, qua tales promiscue plebi traditæ,

[1] Hist. l. CLVIII, § 88.

[2] *Vindiciæ assertorum*, p. 26.

vere perniciosæ visæ sint; vi mandati sui, etiam de iis diligenter considerare atque ad synodum referre poterant ac debebant. Quæ vero de istiusmodi vulgarium bibliorum lectione mens esset plurium s. synodi Patrum; satis est manifestum ex actis in congregatione, sessioni IV prævia, relatis apud Pallavicinum [1]. Patres adeo deputati, non pro sua solum sententia, sed et pro illa, quam exploratam sibi credebant, ipsius synodi mente, eas etiam Scripturæ s. versiones sua debebant investigatione et relatione complecti.

Hæc vero nequaquam morantur d. Leplat: Pallavicino, ait, solemme est; propugnare, quidquid Romæ decernitur, [2] et en explosum, ut putat, clarum gravissimi historiographi testimonium!

Neque hic sistit Jud. Leplat : docuerat is in Præfatione, quam præmiserat codici concilii Tridentini; regulas, quæ vulgo Triden-

[1] *Hist. conc. Trid.*, l. VI, c. XII, n. ult. « admonuit Pacecus, considerandum inter noxia sacris literis, morem eas vertendi in vulgaria nationum idiomata, et ita versas ignaræ plebi communicandi. Cui urbane quidem, sed ardenter Madruccius restitit, asserens Germaniam offensum iri, ubi accepisset; velle Patres populum sacris oraculis privare; quæ, ex Apostoli monito, numquam debent a fidelium ore recedere. Cumque Pacecus objiceret, id fuisse in Hispania interdictum, etiam Paulo II comprobante; respondit Madruccius : Paulum II et alium quemcumque Pontificum, in judicanda lege conducibili vel non conducibili, falli potuisse; non vero Paulum Apostolum in adducto jam documento. *Ego*, inquit, *memoria retineo dominicam precationem, fideique symbolum, Germanice tradita; et communiter addiscuntur cum pari pietatis sensu et emolumento a Germaniæ populis. Utinam numquam huc advenissent litterarum Græcarum Hebraicarumque professores! Nimirum his nunc ærumnis non divexaretur ecclesia.* Nulla decreta re dimissus conventus est. Verum Madrucci ratio haud plane satisfecit. Considerabant aliqui, plerisque temporibus et apud Christianos et etiam apud Hebræos sacras literas haud fuisse idiomate populari vulgatas : et positis hujusmodi rerum conditionibus, id futurum haud mediocriter perniciosum. Expelli quidem non licere a vulgari sermone religionis argumenta : id enim perinde fore ac damnare viros prudentes ac sanctimonia claros; qui ea usitato communique idiomate perscripsere. Quin etiam, dum hæretici sua falsa dogmata sermone patrio evulgabant, oportere antidotum affundere iis fluentis, quibus fuerat diffusum venenum; non tamen idcirco permittendum ea tempestate, ut per linguas populares in plebem effluant saltem omnes bibliorum partes : in earum quibusdam reperiri loca, quam specie plana, tam re profunda, quæ prima facie hæreticis favere viderentur; adeoque posse in hoc novarum hæresum strepitu imperitorum mentes ab illis perturbari. ... Ceterum cibos, quamvis de se optimos, non esse cunctis corporibus salutares; validiores imbecillioribus præbitos, sæpissime cruditatem, sæpe mortem afferre. »

[2] *Vindiciæ assertorum*, p. 19.

tinæ audiunt, *numquam fuisse a dicto concilio probatas.* Verum alter quidam eximius hujusce universitatis Lovaniensis professor, ultra quam opus esset, in contrarias partes abiens, ei opposuit thesin in scholis propugnandam; in qua docebat : regulas, mandato concilii, per Patres, ad hoc delectos *fuisse concinnatas*, *ipsique concilio exhibitas.* Hæc repulsurus Leplat edidit, suas assertorum vindicias [1]; quarum pag. 26 contendit; Patres Tridentinos *nullo modo probasse regulas Tridentinas*, *immo nec ullum de illis tulisse judicium;* quippe de quibus nulla fuisset quæstio, cum de solo indice loquatur tam sessio XXV^a^, quam XVIII^a^ concilii Tridentini.

Hæc vero quam historiæ documentis adversa sint; breviter est ostendendum. Testatur Pius IV, in ipsius indicis titulo, *fuisse regulas confectas per Patres a Tridentino delectos.* Patres, scilicet, deputati per octodecim menses demandato sibi negotio intenti fuere; consultis, ac procul dubio cooperantibus sibi privatim, plerisque (ut in similibus fieri consuevit et hic factum fuisse suadet gravitas rei, omnium primæ) concilii Patribus; et, quemadmodum, in sua ad indicem præfatione, p. Forerius, deputationi a secretis, testatur, sub oculis omnium concilii Patrum ac theologorum : « Viris, ait, ex omni natione » theologicæ facultatis scientissimis in consilium adhibitis, subjec- « tas regulas componendas » judicarunt [2]. Narrat etiam Fra-Paolo Sarpius [3] quod in ultimis concilii congregationibus, sessioni XXV præviis, lecta fuerint *quæcumque a Patribus, ad hoc negotium ab initio deputatis, ordinata;* idque tanto cum studio ac judicio; ut alii Patres *certos libros certosque auctores deletos vellent; alii plures omissos* declararent. Idem asserit Dupinius, teste Leplat, p. 26.

In sessione autem ipsa XXV declaravit sancivitque synodus, ut sequitur : « Audiens nunc huic operi..... *extremam manum* impo- » sitam esse, nec tamen *ob librorum varietatem et multitudinem dis-* » *tincte et commode possit a sancta synodo disjudicari*, præcipit, ut, » quidquid ab illis (Patribus deputatis) præstitum est, sanctissimo » Romano Pontifici exhibeatur; ut ejus judicio atque auctoritate » terminetur et evulgetur. »

Quibus expensis, esto etiam daretur Judoco Leplat, quod regulæ

[1] Cfr. ipsas *Vindicias*, cap. I.

[2] Hinc patet quantam fidem mereatur Lud. Ellias Dupinius, quum. (*Diss. prélim. sur la Bible*, l. I, ch. IX, § 4, ed. Par. 1701, p. 235) nullo prorsus nixus argumento historico, pro assumptæ causæ exigentia, asserit : « Ce ne » fut que depuis (la cloture du concile) que ces règles furent ajoutées, et pu- » bliées avec l'index par Pie IV. »

[3] *Histoire du conc. de Trente*, l. VIII, § 73; ed. Petri Fr. Lecourayer, t. II, p. 720, ap. ipsum Leplat, p. 26.

non fuerint ipsi synodo exhibitæ, secus atque in thesi sua asserebat eximius, qui ipsi ex adverso stabat, professor, siquidem *ob librorum varietatem et multitudinem distincte et commode* nequiverit judicare s. synodus; quodque nullum super indice decretum synodo placuerit ante sess. XXV [1]; a vero tamen longissime errare doctorem nostrum puto, quum *nullos de regulis fuisse sermones* judiciumque de iis nullum tulisse Patres affirmat [2]. Quid enim? De indice in congregationibus agatur, immo et, ut narrat Sarpius, legantur quæcumque a deputatis ordinata; nec quidquam dicatur, de regulis, juxta quas ipse index fuit compositus? Asseverent Patres *extremam* in negotio librorum suspectorum et perniciosorum *manum impositam*, ideoque quidquid a deputatis præstitum est s. Pontifici terminandum atque evulgandum commendent; quia vero expresse regulæ non memorantur, ideo de his non judicent Patres, esto constet a Patribus deputatis, durante concilio, consciis plerisque, cooperantibus pluribus synodi Patribus, compositas fuisse?

Hæc quidem testimonia et momenta spernit Leplat : Pallavicinus, ait, [3] probat quæcumque Romæ decernuntur; continuator Fleurii deceptus fuit; at, quod notandum, *errore communi;* documenta, ait, historica non profert Fleurius (utique quid probaret, quod admittebant omnes?); Dupinius etiam et Fra-Paolo fontes non citant. Felices nos, quibus post duo et amplius, a concilio, secula, tantum est obortum ingenii lumen, quod sibi sine argumentis solum sufficiens, istas ignorantiæ tenebras dispulerit! Næ et nos *errore communi* abrepti fuissemus!

Non tamen in solos auctores injurius existit Leplat; ipsos concilii Patres impetit, quod finxit ille, commentum : quippe quo alii; Patres, scil., deputati, ita ponuntur protervi; ut perfide eo abutentes, quod acceperant, mandato, synodo aut proponere auderent, aut imponere præsumerent canonem, expressæ ejusdem menti contrarium : alii vero; qui scil., congregationibus præsentes fuerunt, ponuntur aut conscii priorum complices; aut inscii et stupidi probatores.

Quæ omnia cum ita sint; concludi posse existimem contra d. Leplat; fuisse etiam regulas a synodo Tridentina probatas; non singulatim, nec in singulis earumdem dispositionibus; sed quoad substantiam et sub conditione leviorum immutationum, si quas Romanus Pontifex judicaret afferendas operi; cui quidem extrema

[1] Hæc contendit Leplat, p. 25
[2] Pag. 25 et 26.
[3] Pag. 19.

jam imposita Patrum deputatorum manus; quin tamen ita esset absolutum; ut nihil deletum, additum nihil, non vellent plures.

Ceterum hæc latius disputare debuimus; ne adversariis ecclesiæ Romano-catholicæ, sanctam ejusdem disciplinam corrodere nitentibus, ad latum cederemus unguem; ipsam enim regularum auctoritatem quod spectat, nihil quidquam eidem decederet; si minus a concilio essent mandatæ aut probatæ : sufficit enim omnibus, sincere catholicis, sola, quia et suprema est, Romani Pontificis in ferendis et promulgandis legibus, auctoritas.

169 Quamvis autem tam regulæ indicis, quam ipse librorum catalogus Patrum Tridentinorum nomine commendentur atque citentur; tamen promiscue etiam Pio IV tribuuntur. Nec immerito; quum illa s. Pontifex novo doctissimorum probatissimorumque prælatorum examini subjecerit, ac ipse etiam per se expenderit [1]. Quinimmo tam indicem quam regulas minus proprie sub nomine concilii laudari existimem [2]; cum non a concilio, sed a solo Pontifice, Pio IV, vim habeant obligandi, ut ex dictis, manifestum est; et amplius declaratur ipso operis titulo et ex ea, quæ illud munit, bulla pontificia.

170 Redimus nunc ad ipsam historiam indicis, ut aiunt, Tridentini; qui an. 1564 prodiit, sequenti sub titulo « Index librorum » prohibitorum, cum regulis confectis, per Patres a Tridentina » synodo delectos, auctoritate sanctissimi D. N. Pii IV, pont. » max. comprobatus. » Sequebatur titulum bulla confirmatoria Pii IV [3]; eam vero mox excipiebat præfatio Forerii, qui præcipuas in negotio partes habuerat. Præfationem hanc, cujus hodie rarior occurrit copia, quoniam rem omnem clare exponit, ad litteram hic transcribere, operæ pretium videtur : « Quum sancta œcumenica » synodus, ait Forerius, iis rationibus adducta, quæ in secundæ » sessionis decreto sub beatissimo Pio IV. Pont. Max. explicatæ » sunt, censuisset; ut Patres aliquot, ex omnibus fere nationibus » delecti, de librorum censuris, quid statuendum esset, diligenter » cogitarent; in eam tandem sententiam post diuturnam deliberationem venerunt, ut judicarent; nihil utilius fieri posse, quam si » Romanus ille prohibitorum librorum index, ab inquisitoribus » Romæ postremo confectus, paucis tantum demptis, atque etiam » additis retineretur; quippe qui cum magna maturitate a multis » viris doctis compositus, plurimos comprehendat auctores, atque » in ordinem satis commodum digestus esse videatur.

[1] Cfr. cl. Forerii præfationem et bullam confirmatoriam, Pii IV infra, n. 170.

[2] V. Catalamum *de secretario s. congr. ind. libri duo*, l. 1, c. v, n. 6.

[3] Bullam hanc, quæ incipit *Dominici gregis*, vide in fine op. adnotatione C.

» Quoniam vero intelligebant; propterea in aliquibus provinciis, » ac locis hactenus eum indicèm receptum non esse; quod in eo » quidam libri prohiberentur, quorum lectione viri docti privati » magno incommodo adficerentur; atque animadvertentes etiam, » in eo esse nonnulla parum explicate posita, quæ interpretatione » indigerent; re multum diuque deliberationibus agitata, ac viris » etiam ex omni natione, theologicæ facultatis scientissimis, in » consilium adhibitis, subjectas regulas componendas judicarunt; » ut quoad ejus fieri posset, dictorum hominum commodis et stu- » diis, salva veritate, ac religione prospiceretur. »

« Illud igitur imprimis observare oportet, unamquamque pene » alphabeti litteram, tres habere classes. »

« In prima non tam libri, quam librorum scriptores continentur; » qui aut hæretici, aut nota hæresis suspecti fuerunt : horum enim » catalogum fieri oportuit, ut omnes intelligant, eorum scripta non » edita solum; sed edenda etiam, prohibita esse.

» Sed illud etiam animadvertendum est; quod licet multi præ- » terea sint, qui justissimis de caussis in hanc classem referri po- » terant; Patribus tamen non is fuit animus, aut ad eorum per- » tinebat institutum, ut eos ad unum perquirerent; sed iis pene » contenti fuere, qui in Romano catalogo descripti sunt; de aliis » vero ejusdem generis auctoribus, idem ab ordinariis, et inquisi- » toribus statuendum existimarunt.

» In secundam classem non auctores, sed libri sunt relati; qui » propter doctrinam, quam continent, non sanam, aut suspectam, » aut quæ offensionem etiam in moribus tantum fidelibus adferre » potest, rejiciuntur, etiamsi auctores, a quibus prodiere ab Ecclesia » nunquam descierunt. »

« Tertia vero, et ultima classis, eos libros complectitur; qui » sine scriptoris nomine exierunt in vulgus, et eam doctrinam » continent; quam Romana Ecclesia tamquam catholicæ fidei, aut » morum integritati contrariam, refutandam, ac repellendam esse » decernit. »

« Non enim omnes libros, qui nomen auctoris non præferunt, » damnandos putarunt; quandoquidem sæpe viros doctos ac sanc- » tos novimus, ut Christiana quidem Respublica ex eorum vigiliis » fructum caperet, ipsi vero inanem gloriam evitarent, libros opti- » mos sine nomine edidisse; sed eos tantum, qui aut liquido pra- » vam, aut dubiam fidei doctrinam, sive moribus perniciosam » continent.

» At vero qui sint hujusmodi, aut tales censeri debeant, præter » eos, qui in hoc catalogo descripti sunt, Episcopi, et inquisi-

» tores, una cum theologorum catholicorum consilio, dijudicabunt.
» Sed propter nostrorum temporum malitiam, ne in posterum
» libri sine nomine auctoris edantur, decreto quartæ sess. Tri-
» dent. concil. sub. fel. rec. Paulo III, quod incipit : *Sed impresso-*
» *ribus,* etc., provisum est. »

171 Istæ sunt tres librorum classes; quarum, a Paulo IV, tam frequens occurrit memoria. — Non fuere autem illæ præcise distinctæ, quod voluit Harney [1], pro majori minorive, quæ libris hærebat noxa aut pœna : etenim, ut docet Al. VII, in bulla *Speculatores.* « Contingit, ut plerique libri ignoti scriptoris, qui tertiæ
» classi assignantur, pejores multo sint, quam in prima et secunda
» recensiti. »

Ad primam classem, ex hac classium distinctione, revocantur scripta etiam edenda, non solum auctorum qui in catalogo Tridentino recensentur; sed (collata regula 2^da^ Trid.) omnium præterea auctorum hæreticorum, cujuscumque illa argumenti existant; et etiamsi auctores de hæresi non fuerint condemnati, modo undecumque constet, esse hæreticos; cum dicta regula simpliciter dicat : *hæreticorum* [2]. Notanda tamen est, quæ ibidem additur limitatio,— qua libri hæreticorum tantum, non vero hæresiarcharum, de religione non tractantes, « postquam jussu Episcoporum et inquisi-
» torum examinati et approbati fuerint, » permittuntur.

Ad 2^am^ vero classem revocantur opera scriptorum catholicorum, quod fidem moresve labefactent, in indicem proprio nomine missa; vel saltem, ut docet s. Alphonsus [3], regulis generalibus prohibita.

Ad 3^am^ tandem reducuntur scripta, quæ ob pravam doctrinam prohiberi merentur, et nullum præferunt auctoris nomen. Aliquando etiam ob rationabilem causam censores, ut anonyma damnant, quæ certos et frontibus expressos auctores habent; ut nonnumquam fieri monuit Ricchinius [4].

Patet libros plures, tertiæ classi addictos posse, ad alteram quoque præcedentium classium pertinere; sive v. g. auctor notus sit esse hæreticus; sive ex spiritu libri hæreticus esse convincatur, licet remaneat ignotus.

172 Interim post Alex. VII, ex nova indicis ejus methodo, nova quoque invaluit classium distinctio : in eo enim soli auctores

[1] C. III, n. 3.

[2] Cfr. infra, c. V, n. 254.

[3] *Theol.*, l. VII, c, II, n. 289, V. latius infra, c. V, n. 254.

[4] In sua ad indicem Ben. XIV præfatione V. *Eadem.* Est autem præfatio hæc, passim in indicibus obvia, et a cl. Degola transsumpta in suam ad lectores monitionem, in ultima indicis editione.

primæ classis ab aliis discreti sunt et propter prohibitionem generalem, quæ omnibus eorum scriptis, etiam edendis, incumbit; et propter excommunicationem reservatam bullæ Cœnæ; ad eorum tantum, si hæresim continent aut de religione tractant, libros restrictam. Sola ergo primæ classis denominatione servata, in stylum scholæ abiit; ut reliqui omnes libri et auctores ad alteram classem referrentur; damnatorum, scil. jam non propter auctorem, sed propter eam, quam continent doctrinam : quamquam et inter hos magnum notetur discrimen; cum alii sub excommunicatione reservata vel non reservata, alii sub peccato tantum prohibeantur; alii nomen præferant auctoris; alii vero sint anonymi; et inter hos quidem plures reperiantur, qui, quoniam manifeste ab occulto quodam hæretico prodierunt, non minus quam libri primæ classis sub excommunicatione reservata prohibentur. Conf. Schmalzgr. in tit. VII, l. V decr. m, 57 et seqq.; ubi post Laymann (l. II, tr. I, c. XV, n. 8) hasce duas librorum classes præfata ratione discriminat. Hæc certe bipartita divisio satis conformis est indici Pii IV et Al. VII; seu primævæ classium distinctioni.

Engel [1] prima classe tantum eos hæreticorum libros comprehendit; qui vel de religione tractent vel hæreses habeant et propterea sub excommunicatione reservata sint prohibiti; quæ distinctio forte theologiæ candidatis commodior.

S. Alphonsus [2] triplicis classis distinctionem adhuc retinere maluit; sed primam classem, cum Engel, ad casum bullæ cœnæ contrahens, jam non partitur condistincte; ut ipse præter eas quas nuntiabat tres classes adhuc notandum dicat; libros quosque hæresiarcharum absolute, hæreticorum vero, donec corrigantur, prohiberi regula secunda, esto de religione non tractent nec hæresin contineant.

Nobis sufficiat hæc adnotasse, quo, in volvendis auctoribus, omnis vitetur error et confusio.

173 Sequuntur post præfationem decem indicis regulæ, ab eodem p. Fr. Forerio, deputationis indicis secretario, adornatæ; quas etiam, quia sæpius erunt consulendæ dabimus in fine operis, adnotatione D.

174 Quamvis vero in bulla *Dominici gregis* totus index cum regulis post tres, a die promulgationis (quæ Romæ facta est 24 martii 1564) menses, ubique obligare declaretur; variis tamen locis non modo typis editus, sed et in synodis publice acceptatus fuit. In

[1] In l. V, decr. tit. VII, n. 9.
[2] *Theol.*, l. VII, n. 289.

Belgio una cum appendice regia vulgatus, quod constet, primum fuit, typis Plant. ann. 1570 [1].

Admissus porro fuit index in Hispania; in Italia (instantius præsertim inculcatus fuit in synodis Mediol. III. et VI sub s. Carolo Borromæo); in Portugallia; in Bavaria [2]. In ipsa quoque America, concilium provinciæ Mexicanæ Tridentinas de libris dispositiones, sub excommunicationis anathemate denuntiavit.[3] Quin et Gallia indicem Tridentinum vel promulgavit vel usu recepit, ut liquet ex conciliis provincialibus, Rothomagensi 1581; Burdigalensi 1583, Aquensi 1585; Tolosano 1590; Avenionensi 1594 et Narbonensi 1609 [4]; quæ non de quocumque librorum prohibitorum catalogo; sed de ipso, quem expresso designant nomine, intelligi debent, sedis apostolicæ vel concilii Tridentini indice, cujus prohibitiones in provinciis suis vel promulgatas, vel quomodocumque receptas, obligationem jam pridem supponunt induxisse; quam ipsa suis urgent statutis Præ ceteris expressa est concilii Tolosani, an 1590 sententia : « quæ prohibitorum librorum regulæ, ex Trid. concilii decreto, in libro indicis, sancitæ editæque sunt, ait synodus, eas in suis diœcesibus promulgari Episcopi jubeant (ap. Labbeum, t. XV. 1423. conc. Tol. 1590. parte IV, c. II.) Nec minus ex ipsa, quam doctores sorbonici post tres annos ab indicis editione ad s. Pium V dederunt, epistola, liquet, quod se suosque obstrictos indice existimarent: « Quacumque, inquiunt ad Pontificem, auctoritate trans» ferantur in vulgarem linguam biblia et edantur; vetat sacro» sanctum concilium, ea passim sine discrimine permitti [5]. »

175 Porro quia Patres deputati, paucioribus fere Romani indicis auctoribus scriptisque recensitis, opus suum absolverunt, de reliquis judicium et sententiam Episcopis inquisitoribusque remittentes; variis locis adornatæ, indicique Tridentino adnexæ fuere appendices: quæ, suis quæque locis, utpote a particularibus regionum prælatis promulgatæ, obligabant; quamquam, ut loquitur Medio-

[1] De promulgatione indicis in Belgio infra cap. V, contra vesanas nostratum quorumdam, Espenii, Leplat aliorumque cavillationes, latius agetur.

[2] V. Zaccar. epocha VI.

[3] Ap. labb, t. XV, col. 1203, § 1 et 2, *de impress. et lect. librorum.*

[4] Apud Zacc. l. c. Harney, cap. XVIII, n. 10 seqq. et ill. d. Malou, t. I, p. 43 et seqq.

[5] Patet ex præcedentibus, quam meritissimo jure, r. p. Boone insignem traducat, aut ignorantiam, aut malam fidem d. Panchaud, ministri protestantis; dicentis : « Les règles de l'index doivent leur existence à l'inquisition » et... elles n'ont été en vigueur dans aucun royaume catholique. » V. *Conférences sur les bibles*, p. 89.

lanum III [1], ipsa indicis Tridentini auctoritate, singuli statuerent ordinarii et inquisitores [2]. In Belgio, curante Phil. II. Antverpiis, an. 1570, prodiit index Romanus cum appendice; quæ, ut ex decreto regio, ibidem prævio, liquet, adornata fuerat a delectis a rege *gravissimis et doctissimis viris; Episcopis, inquisitoribus generalibus, decanis, doctoribus,...* Tridentini *concilii catalogi ratione diligenter observata,* ait ipsius appendicis præfatio; id est conformiter ad regulas Tridentinas; quas eamdem præfatio sapientissime fuisse præscriptas testatur.

Occurrunt autem in hac appendice primo opera latina, sub singulis alphabeti elementis, triplici classe, more indicis Tridentini, distincta. Sequuntur biblia variis linguis prohibita; deinde libri Gallice, Flandrice et Romanice conscripti; iique etiam triplici alphabeti ordine, pro idiomatis diversitate, distincti; non tamen in suo, quique ordine, in classes Tridentinas divisi.

Decreto s. ind. congregationis, 16 Mart. 1621, prohibiti fuerunt « indices et syllabi omnes particulares, extra urbem absque auctoritate, et approbatione s. ind. congregationis impressi, post indicem communem s. concilii Trid. Pii IV. auctoritate editum; » postea vero a Sixto V, auctum, et tandem jussu Clem. VIII, recognitum et publicatum » (in ind. Romæ impresso an. 1640 p. 194, ap. Sotomajor [3] parte 2 p. 217. Sed hæc prohibitio tantum afficere videtur indices particulares, qui seorsim imprimerentur; non vero appendices, quæ eduntur una cum indice communi Romano; cujus

[1] V. *adhibeat*, in art. *Perniciosorum*, qui late de hac materia discurrit. Neque immerito; cum aliud nil essent appendices hujusmodi, quam obligantium modo regularum ad casus particulares applicatio.

[2] Istæ appendices confundi non debent cum illa, quæ proprie vocatur appendix indicis Tridni vel appendix Clementina : hæc enim sola a supremo legislatore, Clem. scil. VIII, emissa, universos constringit fideles.

[3] « Index librorum prohibitorum et expurgandorum novissimus, pro catholicis Hispaniarum regnis. ill. ac rev. d. Ant. Sotomajor, supremi » præsidis, et, in regnis Hisp. Sic. et Ind. generalis inquisitoris, etc. jussu » ac studiis... recognitus » Exhibet ill. auctor, priori præstantissimi operis parte, indicem copiosissimum operum, quæ tum latina, tum Hispanica lingua, ex regulis Tridentinis, exstabant prohibita aut expurganda; annotatis, accuratissime locis corrigendis, tam ab ipsis operum auctoribus, quam ex editorum negligentia aut fraude oriundis. Altera autem operis parte exhibet, tum ipsum Alexandri VII jussu ordinatum indicem; tum indicem Pii IV a Sixto V et Clem. VIII auctum; quem idem Alex. VII una cum decretis, quæ a Clem. VIII ad sua tempora, sive a Romanis Pontificibus, sive a magistris s. palatii, sive a ss. congregationibus inquisitionis et indicis emanaverant, edi fecerat.

adeo non neglèctum inducere, sed potius observantiam promovere certo noscuntur.

176 Quum vero index, ut integer et temporibus adaptatus perseveraret; opus esset quotidianæ curæ laborisque continui; S. Pius V, ipsam Tridentinorum Patrum deputationem in congregationem indicis erexit [1]; cujus esse voluit, ait Devoti, vetitorum librorum indicem conficere et curare. Studiosius vero hanc congregationem, an. 1587, promovit Sixtus V. Cum enim animadvertisset ob gravissima et innumera, quæ sacræ congregationi inquisitionis fidei, incumbebant negotia; vix eidem vacare, ut huic quoque rei, cujus præcipuas illa partes habebat, curas impenderet; congregationem indicis in amplissima hac arena quidem secundam eidem esse statuit; propria tamen auxit potestate; qua instructi Cardinales, quam primum ampliando indici Pii IV, Pont. maximi, incumberent.

177 Curis ergo s. hujus congregationis adornatus fuit novus index; qui typis editus fuit an. 1590, sequenti sub titulo : « Bulla » s. d. n. Sixti, P. V, emendatioris indicis, cum novis regulis super » librorum prohibitione, expurgatione et revisione; nec non cum » abrogatione ceterorum indicum hactenus editorum, et revocatione » facultatis edendorum, nisi ad præscriptam harum regularum » normam » Regulæ indicis, explicatius hic traditæ, ad 22 excreverant. Verum demortuo brevi Sixto V, opus nunquam fuit evulgatum; quin etiam brevi fuit suppressum : cum enim Bellarminus, postea Cardinalis, quam plurimas difficultates, non modo adversus regulas, sed etiam contra ipsum indicem apud congregationem movisset; factum est, ut non obstante jussione Clem. VIII, novus in-

[1] Ita invicte P. Ruele *Saggio* etc. p. 124 ex verbis p. Libelli ejusdem congregationis secretarii sub Al. VII, in præfatione ad indicem ejusdem Pontificis, in qua leguntur hæc verba : « Hanc postea deputationem in indicis » congregationem Pius V erexit, secretario eidem adsignato Antonio Possio; » ad quod munus deinceps summi Pontifices viros ex ordine prædicatorum » adsumpserunt. » Duos etiam secretarios, Sixto V anteriores, adducit Fontana. (*Syllabus magistrorum S. Palatii apost.*) Constat etiam apud Catalanum, *de Secretario s. congregationis indicis*, l. I, c. VII, n. 1 et 3 ex ipsis regestis congregationis, sub Pio V; et ex diplomate, *ut pestiferiarium opinionum*, quo Greg. XIII longe ante Sixtum V ipsi congregationi jam institutæ varias concessit facultates. Hæc proculdubio non viderint Spondanus, card. de Luca; Vanespen aliique; et novissime, editores cursus completi theologici, dum t. XIII, col. 995, in nota, hujusce congregationis institutionem ad Sixtum V referendam censuerunt. Confer. Zacc. in hist. ind. ad an. 1566; Devoti, *Instit. can.*, l. IV, tit. VII, n. 7 et constit Ben. XIV, quæ incipit *sollicita*.

dex non publicaretur, et novi potius, ut alius index concinnaretur, susciperentur labores : verum, cum hic, an. 1593, typus editus, Clementi VIII exhibitus fuisset, ejusdem distractionem prohibuit Pontifex, tantæ molis opus, per sese, discussurus. Quare nova suscepta studia, eaque diuturna satis; post quæ, tandem an. 1595 per bullam : *sacro sanctum fidei catholicæ depositum*, Clem. VIII approbavit indicem novum, qui editus fuit anno insequenti, cum hoc titulo : « Index librorum prohibitorum cum regulis confectis per patres, a Tridentina synodo delectos, auctoritate Pii IV, primum » editus; postea vero a Sixto V auctus, et nunc demum s. d. n. » Clem., Papæ VIII, jussu recognitus et publicatus; instructione » adjectâ, de exsequendæ prohibitionis, deque sincere emendandi » et imprimendi libros ratione. » Post titulum leguntur bullæ Clem. VIII. *Sacro sanctum* et Pii IV *Dominici gregis;* præfatio Forerii; regulæ indicis, eædem quidem illæ, quæ Tridentinæ dicuntur, sed cum quibusdam annotationibus super regula 4ª et 9ª ; super Thalmud aliisque libris Hebræorum, super Magnasoor et libris Joannis Bodini [1]. Adjicitur et nova *Instructio pro iis, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis; tum etiam imprimendis, diligentem ac fidelem, ut par est, operam sunt daturi* [2]. Hæc autem additamenta ad Clem. VIII, ut primum auctorem, cuncta sunt referenda, una cum librorum recentiorum insertione. Atque hæ sunt accessiones, indicari solitæ, quando, in indice moderno, proscriptio alicujus libri ad appendicem indicis Tridentini rejicitur.

178 Cum vero ex illo jam tempore frequentes fierent ad indicem accessiones; necessarium visum est, subinde novas emittere appendices. Tales Romæ, initio seculi xvii, prodiere annis 1619, 1625 et 1630. Harum prima sequentis est tituli: « Edictum librorum, » qui post indicem, fel. rec., Clem. VIII prohibiti sunt, ex decreto » illustr. et rev. DD. S. R. E. Cardinalium, ad indicem deputatorum, » ubique publicandum » subscribitur. *Franc. Magdalenus Capiferreus.*

179 Insignis porro est, quam paulo post, in ordinando indice, vir iste laboriosissimus posuit, opera : animadverteus namque confusionem, quæ tum ex triplici indicis, sub singulis fere alphabeti

[1] Paragraphe, quæ libros J. Bodini spectabat, mera videtur fuisse mendi typographici in indice correctio, quare et in sequentibus indicis editionibus suo loco indici inserta, ab ejusdem fronte disparuit.

[2] Omnia isthæc documenta, passim in indicum prolusionibus sunt obvia; excepta const. Clem. VIII; cujus quia longior est, nec tota huc pertinet; in fine operis, eam dabimus partem, quæ hic præcipue ad rem facit. V. adnotationem E.

elementis, classe; tum ex appendicibus, ad unamquamque sæpe classem, enascebatur; omnes omnino auctores librosque damnatos in unum, commodi gratia, redegit alphabeti ordinem : qua nova forma exaratus index, mandato quidem s. congregationis indicis et cum ejusdem approbatione; non tamen ejus, sed privato Capiferrei nomine, ut ex actis ejusdem sacræ congregationis ostendit Catalanus (l. 1, c. VI, n. 3) primum prodiit an. 1630. Idem ille index, novis accessionibus auctus, sæpius deinde recusus fuit [1].

180 Anno 1664, jussu Alexandri VII, p. Hyacinthus Libellus, congregationi indicis, eo tempore a secretis, publica cum auctoritate, emisit, quem exemplo Capiferrei, uno alphabeti ordine, digesserat, catalogum, omnium sive auctorum sive librorum, qui ad hoc usque temporis damnati fuerant. Opus commendat et apostolico firmat robore, quæ præcedit Pontificis bulla, cujus initium, *Speculatores*. Duplicem tamen privato studio indiculum in lectoris gratiam indici adjecit Libellus; alterum auctorum, qui indice majori sub operum suorum titulis censebantur; alterum vero librorum qui sub auctorum tantum nomine damnabantur. Interim tamen, dum illi perficiendo insudaret operi, ejusdem Pontificis mandato ediderat indicem ipsum Pii IV, cum appendice Clementina, subnexis utriusque congregationis decretis : et hic est index Alexandrinus, qui per annos fere centum, usque ad Ben. XIV cusus toties fuit et recusus, additis, quæ continuo prodibant, novis prohibitionibus. Accessiones autem illæ privato studio collectæ prodibant, et minorem adeo fidem merebantur; quin et contigit; ut ementita cameræ apostolicæ fronte emitterentur [2].

181 His incommodis consulturus cl. Ricchinius, s. congregationis secretarius, egit apud Ben. XIV; qui cum jam in animum induxisset suum huic, de libris pravis, negotio prospicere, primum dedit constitutionem suam, *sollicita* [3], quæ ait Zacc. « plena est æquitatis et sapientiæ, omniumque meruit nationum encomium : præscribit autem modum, quo deinceps libri præsertim catholicorum censeri debeant [4]. » Mox indici ipsi corrigendo, augendo et quam accuratissime edendo impensi labores graves et diuturni. Anno de-

[1] Indiculus librorum, in s. congregationis indicis decretis prohibitorum, ab anno 1636 ad 1655, quem emiserat Thomas de Augustinis, ab ipsa congregatione prohibitus fuit; « quum, aiebat decretum, deficiens sit, nec omnia » decreta contineat, edita a s. congregatione usque ad eum annum ».

[2] Talis est editio indicis 1752, Venetiis excusa; sub assumpta typographiæ rev. cameræ ap. hedera.

[3] Habetur in ed. Mechl. indicis 1838, p. XXVII.

[4] In *Hist. ind.* ad an. 1753.

mum 1758, primam lucem adspexit novum opus, juxta ordinem alphabeticum et una serie continuum, a Capiferreo primitus inductum, nunc multis curis elaboratum et sequentem præferens inscriptionem « Index librorum prohibitorum sanctiss. D. N : Ben. XIV. » Pontificis max. jussu recognitus atque editus. » Opus integrum probat et confirmat breve Ben. XIV. *Quæ ad catholicæ* (in ed. Mechl. indicis p. III.) Illius autem indicis conficiendi rationem pandit ea, quæ præmittitur, ad lectorem catholicum Richinii præfatio. Post cetera, quæ in præcedentibus indicis editionibus jam occurrebant, præambula, subjecit Ricchinius « *decreta quædam generalia* [1], quo et » brevitati indicis consuleremus, inquit, et dubitationem omnem » tolleremus; si qua de certis quibusdam libris suboriri posset. »

182. Anno 1786 distractis exemplaribus indicis Benedictini, Pius VI Fr. Hyac. Mariæ Bonfilio, congregationi indicis a secretis, mandavit; ut novas, quæ ad hunc annum accesserant, appendices in continuam censeret librorum prohibitorum seriem : verum, iniquæ, ut videtur, temporum circumstantiæ, opus, in lucem jamjam emittendum, ad annum usque 1806 retinuere [2] : prodiit tum index sub Pio VII, sequentem præferens titulum : « index librorum pro» hibitorum S. D. N. Pii VI pont. jussu editus et sub Pio VII ad an» num usque 1806 continuatus. » Habet autem appendicem, quæ continet opera proscripta ab an. 1800 ad 1806. Altera quoque eidem subnectitur appendicula, complectens quosdam libros prohibitos 1805 et alios quosdam anni 1797.

Anno 1819 divendita editione præcedenti, jussu ejusdem Pii VII, Fr. Alexius Angelicus Bardani, ejusdem congregationis indicis secretarius, quinque, quæ modo cusæ fuerant, appendices in ordinem quoque redegit; quin et novam, quæ absoluta pene opera innotuerat, appendicem editioni suæ subnexit.

Anno deinde 1835 [3] mandato s. d. n. Gregorii XVI, Fr. Thomas

[1] Hæc decreta, quia libris prohibitis discernendis in primis necessaria sunt, nec tamen unicuique obvia dabimus in fine opellæ adnotatione F.

[2] Sic omnino statuendum videtur, collata præfatione cl. Bonfilii, quæ ad annum 1786 videtur referenda, cum appendicibus, quæ ad annum 1806 excurrunt, ut in ipso annuntiatur indicis titulo; qui solum hoc anno, publicando jamjam opere, fuerit præfixus.

[3] Quædam exemplaria Mechliniensis editionis 1838 quidem profitentur sequi indicem Romanum 1830; sed vere per errorem typographicum, qui illico fuit correctus ; in quibusdam tamen exemplaribus, forte jam divenditis, antequam correctio fieret, mansit superstes.

Habet vero exemplar Romanum in fine appendiculam, quæ undecim continet opera, proscripta decreto 7 julii 1835, et librum cui titulus : *Paroles*

Antonius Degola, ordinis præd., congregationi indicis itidem a secretis, completum, ad hoc usque tempus prohibitorum dedit librorum indicem; cui, præter operis Benedictini documenta, novum inseruit Leonis XII mandatum monitumque, quod a s. indicis congregatione, an. 1828, emanarat [1].

Nova denique, ejusdem Pontificis jussu, sub directione, ut fieri assolet, secretarii congregationis, anno 1841, adornata fuit indicis editio, quæ novis accessionibus, primorum etiam anni 1842 mensium locupletata, et ab ipso sanctissimo domino approbata in forma authentica prodiit, typis cameræ apostolicæ. Verum et exinde prodiere jam plura sacræ indicis congregationis decreta; quæ singula continent varia scriptorum auctorumque nomina. Testabuntur illa quidem apud posteros, de ea quæ hodie viget, scriptitandi et pessime scriptitandi, prurigine; sed simul referent de zelo illo aposto-

d'un croyant, cum alio præterea opere, recentius damnato. Ideo autem ad calcem ea opera dicuntur rejecta; quia post inchoatam jam editionem reprobata fuerant.

[1] Ex ultima hac Romana recensione an. 1838, typis Hanicquianis Mechliniæ expressus fuit index; cui insuper, ordine alphabetico, fuere inserta quæ infra trium, qui intercesserant, annorum spatium, censura notata fuerant scripta : deest tamen, nescio, quo casu, huic catalogo liber, cui titulus : *Paroles de la Providence par M*lle *Clarisse Vigoureux*, condemnatus decreto 22 sept. 1836, una cum pluribus aliis, qui fideliter in eum indicem sunt relati. Rectius ergo videntur facturi editores, quicumque privati; si exemplo editionum Romanarum, accessiones recentiores in fine per modum appendicis adjicerent; quo facilius omissiones reperiantur et corrigantur.

Præterea, quamvis editioni Romanæ, quæ typis cameræ apostolicæ, curante ipso congregationis indicis secretario, emitti solet, nulla præfixa conspiciatur censura, seu ut vulgo dicimus, *approbatio;* videtur tamen a privatis superiorum ecclesiasticorum postulanda revisio et auctoritas; est enim liber tractans de negotio, ad religionem in primis pertinente.

Merito castigari hic merentur, qui an. 1828 Bruxellis ediderant librorum prohibitorum indicem : præferunt enim et illi, intertexisse, quæ nuper, ab ultima editione Romana 1819, confixa fuerant, scripta; et quædam, saltem priorum annorum recensent; verum quam gravis fuerit editorum aut ignorantia aut negligentia; illico patebit conferenti ultimam recensionem Romanam : intra duarum paginarum spatium notare licebit omissionem sequentium operum : Michaëlis, Jean David. *Introduction au nouveau test.* (Decr. 10 sept. 1827.) Mignet, F. A. *Storia della rivoluzione francese* dal. 1789 al 1814. (Decr. 5 sept. 1825.) Miller, M. *Catechismo reguardante la natura della chiesa Christiana, et i doveri de' suoi membri colle prove tratte della s. scritura.* (Decr. 10 sept. 1827.) Miranda (Innocentio Antonio de) *O citadao Lusitano. Breve compendio emque se dimostrao os fructos da constitucao, eos deveres do cidadoa constitucional, etc.* (Decr. 6 sept. 1824.)

lico; quo qui ad ecclesiæ catholicæ gubernacula sedent, hostium nostrorum continuo instant vestigiis, eorumque audaces frangunt conatus.

SECTIO 2^da^.

A quibus et quo juris ordine condantur hodie prohibitiones Romanæ.

183 Liceat nunc, indicatis rei nostræ fontibus, et enarrata singularum institutionum et decretorum origine, hodiernam prohibendorum probandorumve librorum rationem breviter in unum censere conspectum. In primis, loquendo de tribunali, a quo Romanæ, pro toto orbe Christiano, emanant censuræ; notum jam fecimus, quanto religionis morumque zelo suas impleat partes s. indicis congregatio; de qua nunc paucis agendum est.

184 Dotes eorum, qui ad labores congregationis hujus assumerentur, exponit Ben. XIV, jubens tantum adhiberi « Homines vitæ » integros; probatæ doctrinæ; maturo judicio, incorrupto affectu, » ab omni partium studio personarumque acceptione alienos; qui » æquitatem, libertatemque judicandi cum prudentia et veritatis » zelo conjungant » (Constit. *Sollicita* n. 13.) ubi et decernit Pontifex; « Ut tam relatores quam consultores ex utroque clero, secu- » lari, nempe et regulari assumantur; alii quidem theologi; alii » utriusque juris periti, alii sacra, et profana eruditione præs- » tantes [1]. »

185 Constituitur autem sacra Indicis congregatio ex competenti, pro beneplacito Pontificis cardinalium numero; quibus præsto adest secretarius, ex ordine sancti Dominici assumptus, una cum Magistro sacri palatii; qui, pariter ex ordine s. Dominici, huic congregationi perpetuus consultor assistit.

Ad illam quoque pertinent, ut docet nos card. De luca, in *Relatione curiæ Romanæ*[2], plurimi theologiæ professores [3]; qui, nomine

[1] *Instr.* Clem. VIII, *de correct. de libr.* § 5 Episcopis inculcabat; ut eisdem qualitatibus essent insigniti; quos ad correctionem librorum deputarent, viri. Alex. autem VII, in observationibus, quas regulæ X adjici jussit, hoc nominatim locorum ordinariis commendabat; ne censores adhiberent, quacumque ratione, auctoribus devinctos; sed quantum fieri posset, iisdem ignotos : pro religiosorum vero operibus censendis, vel religiosos alterius ordinis vel seculares. Cfr. ind. Al. VII in proleg.

[2] *Disc.* 8.

[3] Quam proinde impotentis iræ sint dicteria, quæ, post prohibitum suum *Elucidarium Deiparæ*, in consultores aliosque congregationis administros

consultorum insigniti, libros denuntiatos examinant, et in consessu publico discutiunt; quin tamen ferendæ suffragari valeant sententiæ; quæ solis Cardinalium votis ex relatorum actis consultorumque consilio concludi consuevit [1].

Relatores vero privatim sedulam navant, in pervolvendo libro, curam; ut censorias, suis locis, apponant notas, et fideliter ad congregationem publicam referant.

186 Hujus vero congregationis amplissima, in hoc librorum negotio, potestas continetur constitutione Sixti V : *Immensa æterni;* in qua legitur : « Quare ut Cardinales, qui ad libros prohibendos » expurgandosve delecti sunt, in ea cura diligenter, ac majori cum » fructu versentur; has illis facultates tribuimus : ut librorum ejus- » modi catalogos et indices, aut olim aut proxime confectos, » eorumque regulas editas recognoscant atque examinent; cer- » torum auctorum libros prohibitos, aut quovis modo in prioribus » indicibus suspensos, diligenter excutiant, et prout expedire judi- » caverint, permittant; libros, qui post indicem, Tridentini concilii » jussu, editum prodierunt, catholicæ doctrinæ Christianorumque » morum disciplinæ repugnantes, expendant et recognoscant, ac » ubi nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant; hominum vero » injuria et dolo depravatos emendent; eos libros, qui paucis erro- » ribus rejectis, alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi » atque corrigendi modum ineant, indicesque expurgatorios confi- » ciant; novos præterea libros approbandi et imprimendi rationem » præscribant; universitatum Parisiensis, Bononiensis, Salmanti- » censis, Lovaniensis aliarumque probatarum studia ad librorum » expurgationem et correctionem excitent, earumque diligentem » operam et industriam requirant. Permittimus quoque eidem con- » gregationi; ut theologis, canonistis aliisque peritis viris, piis » atque idoneis, etiam aliunde accersitis, ad hoc omne negotium, » reipublicæ Christianæ tam in his temporibus necessarium, adhi- » bitis, eam ob rem tantum, nec vero aliis, libros vetitos tenendi » legendique, etiam absque nostra licentia, impertiatur faculta- » tem [2]. »

Hanc vero potestatem Clem. VIII, bulla, *Sacrosanctum*, confirmavit explicavitque his verbis : « Volumusque propterea, ac decer- » nimus; ut, si quæ in posterum dubitationes, aut controversiæ

conficit Poza, videre licet apud Catalanum, *de Secretario s. congr. indicis*, l. I, c. XVII.

[1] Ap. Vanesp. *Jus univ.* p. I, tit. XXII.

[2] *In bull.* Laertii Cheribini, ed. Lux., t. II, p. 619.

» circa ipsum indicem, illiusque regulas, aliaque illis addita emer-
» serint; ad congregationem supradictorum Cardinalium..... refe-
» rantur, et ex sententia eorumdem Cardinalium, nobis, aut
» successoribus nostris, si rei gravitas id postulaverit, consultis,
» declarentur et decidantur; quorum auctoritatem, tum permit-
» tendis, tum prohibendis, expurgandis et imprimendis libris,
» aliisque ad eam rem pertinentibus explicandis, volumus esse
» præcipuam. » Ex quibus satis patet, huic congregationi concessum etiam esse; ut, cum expedire visum fuerit, etiam libros prohibitos generatim omnibus indulgere valeat.

187 Progressum in examine libri alicujus adhibendum his verbis complectitur Ben. XIV : Indicis « Secretario peculiare mu-
» nus et officium recipiendi librorum denuntiationes, ut fieri jam
» ante consuevit, committimus ac demandamus. Is autem a libri
» delatore pecunctabitur diligenter; quas ob causas illum prohiberi
» postulet; tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvet; ut de
» propositæ accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam, in
» eam rem, adhibitis consultoribus, ab ipso, prævia s. Pontificis
» aut Cardinalis præfecti, vel ejus, qui præfecti vices supplet,
» approbatione, eligendis : quorum collato consilio, si liber cen-
» sura, et nota dignus videatur, unus aliquis relator, ad ferendum
» de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro
» agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus
» erit; qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis,
» quibus singula, ab ipso reprehensa, continentur. Sed antequam
» ejus censura ad Cardinalium congregationem feratur, haberi vo-
» lumus privatam consultorum congregationem, quam olim *parvam*
» dixerunt, nos autem *præparatoriam* vocabimus; ut relatoris ani-
» madversionibus ad librum collatis, de earum pondere judicium
» fiat. Hujusmodi congregatio semel omnino singulis mensibus, aut
» etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso Congregationis secretario
» convocanda erit.... Eique semper intererit Magister s. palatii, pro
» tempore existens, una cum sex aliis, ex numero consultorum, sin-
» gulis vicibus, pro qualitate argumenti et materiæ,..... eligendis,
» præter secretarium ipsum, cujus partes erunt etc.... In generali
» demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quæ.... Ac
» ad secretarium Congregationis indicis spectabit, quoties hæc li-
» brum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejus-
» dem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium rela-
» tione, exquirere (Constit. *Sollicita* n. 8).

188 Monentur autem graviter relatores et consultores; 1° ne « Libri, sibi ad examinandum traditi, proscriptionem modis om-

» nibus curent atque urgeant; sed, ut diligenti studio, ac sedato » animo, ipsum expendentes, fideles observationes suas verasque » rationes Congregationi suppeditent. » Quod quidem monitum, nullo non tempore humanissime servandum, hodie tamen, remissa passim fide, præcipui est momenti; ne scriptores, religioni divincti, censuræ molestiis alienentur.

2° Si forte eveniat secus, atque cautum esse et deinceps cavendum, non dubitat Pontifex, « ut alicui per errorem materia » aliqua discutienda committatur, ab illius peculiaribus studiis » aliena; idque a censore, aut consultore electo, ex ipsa libri » lectione deprehendatur, » in conscientia illum obligari, id congregationi aut secretario aperire; quo alter eidem substituatur, ad id muneris magis idoneus; quo ipso, ait Pontifex, magnam apud Pontificem et Cardinales probitatis et candoris opinionem et laudem sibi est conciliaturus [1].

3° « De variis opinionibus, atque sententiis in unoquoque libro » contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi » esse sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum » excutiant; studia partium seponant; ecclesiæ sanctæ dogmata, et » communem catholicorum doctrinam, quæ conciliorum generalium » decretis, Romanorum Pontificum constitutionibus et orthodoxo- » rum Patrum atque doctorum consensu continetur, unice præ oculis » habeant; hoc de cetero cogitantes; non paucas esse opiniones, » quæ uni scholæ, instituto aut nationi certo certiores videntur; et » nihilominus, sine ullo fidei aut religionis detrimento, ab aliis ca- » tholicis viris rejiciuntur atque impugnantur, oppositæque defen- » duntur, sciente ac permittente apostolica sede, quæ unamquam- » que opinionem hujusmodi, in suo probabilitatis gradu, relinquit » (n. 15 et seqq.)

189 Aliæ præterea præscribuntur cautelæ, in librorum examine et censura adhibendæ; nisi vel hæretici dogmatis doctrina, vel pravorum morum incitamentum manifestius appareat; quo casu proscriptionis decretum illico edendum imponitur [2].

Notari insuper meretur sequens constitutionis Benedictinæ monitum : « Quotiescumque. ait, agatur de libro auctoris catholici, » qui sit integræ famæ et clari nominis; et hunc quidem proscribi » oporteat; pro oculis habeatur usu jam recepta consuetudo, pro-

[1] Huc etiam spectat, quod cl. Zaccariæ historiæ suæ, cp. VII, n. 3 adnotavit; Congregationi de propaganda fide competere examen et prohibitionem librorum, linguis minus notis conscriptorum; quod in illa, præ ceteris congregatione, viri sint in idiomatis illis peregrinis versatissimi.

[2] N° 11.

» hibendi librum, adjecta clausula; *donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet,.... » Non statim edatur decretum; sed suspensa illius publicatione, res » antea cum auctore.... communicetur; atque ei quid delendum, » mutandum corrigendumve, indicetur. Si auctor ejusve procurator » congregationis jussa fecerit... supprimatur proscriptionis decretum [1]. » Quanta vero sollicitudine et humanitate hoc monitum observet sacra congregatio; pandit nobis Catalanus [2] : in casu, scilicet; ordinarie correctio ipsi committitur auctori; ita tamen, ut postea Congregationi revisenda et probanda remittatur: quin immo sæpius, ait n°6, ea utitur benignitate congregatio; ut auctori normam correctionis peragendæ, vel præcisis verbis, vel saltem exhibita sententia, præformet; quin et libros emendare sibi assumat, qui, quod plurimis conspersi sunt erroribus, ingentes quoque labores exigant. (n° xi) Confer, si libet, quæ loco citato proferuntur exempla.

190 Testatur autem Ben. XIV, plane affirmari posse; examen judiciumque librorum « jam pridem, vel eadem prorsus ratione, » vel alia æquipollenti, constanter actum fuisse [3].

191 Ecce abundanter ni fallor, documentis historicis præoccupata, et ad nihilum redacta, quæ Vanespen [4], Riegger [5]; Febro-

[1] N° 9.

[2] *De Secretario s. congregationis indicis*, l. I, c. X, n. 1.

[3] N° 2.

[4] *Jus univ.*, p. I, tit. XXII, c. III, n. 33, et c. V, n. *4 et de promulg. legum*, p. IV, c. I, § 1 et seq. Pro sua quidem placiti regii, ad librorum prohibitiones extensione, pugnans, ait :« Ex votis theologorum soliti sunt ipsi Cardinales ad » prohibitionem librorum, sine ulteriori examine vota sua depromere; et si » Pontifex præsens fuerit, ipse se votis Cardinalium conformare consuevit : » itaque omnis pene illa e curia Romana procedens librorum proscriptio ex » paucorum theologorum, signanter regularium, vel ad summum alioquorum » (quod tamen rarius contingit) Cardinalium judicio et relatione dependet » (*de prom. legum*, p. IV, c. I, § V, *Hi autem*) et § 2.) V. *Inter* asserit; quod » lumen Spiritus Sancti non perpetuo Pontifici hypocritarum fraudes, aulicorum adulationes, improborum mendacia detegat; non adversus ambitiosorum importunitates, magnatum preces, suspecta officialium consilia » immotum servet.... Scitur, inquit, quantopere per aulicorum adulationes » jurisdictio et immunitas ecclesiastica, et notanter auctoritas Romani Pontificis supra modum extollatur; et quam sollicite invigelent hi adulatores; » ne quidquam evulgetur, quod suis, de jurisdictione et immunitate ecclesiastica, ac auctoritate pontificia, conceptis opinionibus contrarietur. Et » sane constat, per has aulicorum adulationes, tandem factum esse; ut plurima circa jurisdictionem et immunitatem ecclesiasticam, auctoritatem » Pontificis Romani super temporalia Regum et principum; circa potestatem disponendi de beneficiis; derogandi juri patronatus, etiam laicorum

nius [1] et eorum in calumnianda ecclesiæ disciplina, decessor, Arnaldus [2], congesserc, injustæ accusationis capita; quasi qui censorum vices obeunt, crassæ ignorantiæ inusti nota, aut præjudiciis abrepti, aut adulationi mancipati sint; quasi leviter, nullo servato juris ordine, et absque Pontificis interventione hic omnia expediantur; aut quasi Roma ad subdolas confugiat artes, ut iniquæ serviat causæ suæ; cum eos prohibet libros; qui inerrantiam pontificam, aliaque id generis divinitus ecclesiæ collata jura et privilegia oppugnant; libertatesque, quas aiunt, ecclesiarum et prætensa, adversus Christi Domini ecclesiam, Episcoporum principumque jura defendunt; et cum eos ecclesia proscribit auctores, qui nullum ponunt modum injuriis, quas in sanctam sedem conjiciunt; qui nimis aperte ipsum evertunt Pontificis primatum aut ecclesiæ submovent libertatem et independentiam. Confidenter post exposita, quæ supra vidimus, hoc quærere possumus ex adversariis quibusque nostris; an non tot tantisque cautelis plenissime acquiescat omnis humana prudentia? ubinam sit in mundo tribunal tanto circumvallatum juris dicendi munimine?

192 Summa interim ecclesiæ tribunalia, fateor, humanæ institutionis sunt; error, negligentia, dolus absolute locum invenire hic possunt. At quis vel levissimam, jure, moveat suspicionem, apud

» aliaque similia Romanis Pontificibus eorumque ministris et curialibus » persuasa sint; quæ moribus et juribus provinciarum omnino contrarian- » tur.... Et tamen, ut has suas prætensiones amplius stabiliat curia Romana; » nihil frequentius magisque obvium, quam passim generatim et indifferen- » ter proscribi.... quoscumque libros, quibus astruuntur consuetudines, pri- » vilegia et statuta provinciarum; nec non jura principum, vasallorum vel » etiam episcoporum, quæ circa immunitatem ecclesiasticam, nec non auc- » toritatem pontificiam, præconceptis curiæ Romanæ opiniobus vel in spe- » ciem adversari ipsis videntur. » Ita Espenius, auctor nostras, astute suggillat Romanos Pontifices! Ita testis ille Lovanii præsens, de usibus Romanis; ut illi, quam male susceperat, placiti regii causæ patrocinaretur; et quidem præeuntibus sibi, quos hoc cap. confutaturi sumus, hæreticis; alio vero nullo adducto testimonio; an autem pensatis, quæ nos protulimus, documentis publicis, ignoro. Ait Spiritum S. non continuo Pontifici aperire millenas quibus circumvenitur, technas. Verum id non est etiam continuo necessarium; dum ad illas detegendas plerumque sufficit industria humana; quæ Romæ est non minima. Aliunde legitimis ecclesiæ moderatoribus, ad ea, quæ muneris sui sunt, Spiritus S. assistentiam singulariter impendere promisit Christus Dominus (Matth. ultimo): Quando vero infallibilitatis activæ privilegium liceat invocare; alibi discutitur. V. supra, n. 99 et hic n. seqq.

[5] *Jurispr. eccl.*, p. 4, § 303 seqq.

[1] T. I, c. IX, § 2. n. 7.

[2] *Difficultés proposées à M. Steyaert* en 9 parties, p. 9, diff. 93e.

judices tam integros; tam doctos; tam rerum agendarum peritos, ab omni sinistro affectu et humana impulsione tam alienos et quod omittendum omnino non est, divina, ad hoc opus, missione et speciali Spiritus Sancti assistentia auctos? Qui congregationi a secretis est, a delatore decipiatur. Esto : sed censores errorem detegent; sed consultorum industria; sed disputationis fervor; sed eminentissimorum Cardinalium; antequam ad suffragium procedant, examen; sed ipsa demum s. Pontificis maturitas fraudem deprehendent.

Nihilominus, si libri auctor aut alius quispiam, cujus specialiter refert, de errore vel dolo, non ex cœca philautia aut temeraria præsumptione (ne quando absolutionis loco, graviorem pro merito, provocet condemnationem) sed justas ob causas, persuasus existat; non prohibebitur, ait cl. Zaccaria, ad ipsum immediate Pontificem modestam instituere appellationem; quoniam ss. Congregationum sententiæ, etiam post exhaustos omnes humanæ industriæ fontes, utut venerandæ, humanæ tamen manent, ideoque fallibiles. Etenim numquam aut potuit, aut voluit Pontifex Romanus inerrantiæ donum tribunalibus suis, quantumvis eminentibus, attribuere. « Per» sonne ne s'est jamais imaginé, aiebat hoc sensu, r. p. Perrone, » que le tribunal de l'inquisition fut infaillible [1]. » Idem sacræ indicis congregationi applicari debet.

Latius hanc materiam evolvit distincteque pertractat cl. Zaccaria [2] docens : aliquando decreta ss. congregationum inquisitionis et indicis solius summi Pontificis nomine prodire; « neque earum, » ait, congregationum Cardinales nominantur, nisi tamquam exa» minatores, qui Sanctitati suæ notum fecere votum suum; ut videre » est in decretis Al. VII, Inn. XI et Al. VIII, contra quasdam pro» positiones. » Exemplum, notatu dignum, hujuscemodi prohibitionis legitur apud Sotomajor, parte 2, p. 252 : Innocentius, nempe P. X, per decretum s. inquisitionis, 24 jan. 1647, proscripsit librum, *De l'autorité de S. Pierre et de S. Paul;* eodemque decreto, ut hæreticam damnat propositionem libri principem; qua duorum Apostolorum in jurisdictione asserebatur æqualitas.

« Aliquando, pergit Zaccaria, evulgantur nomine eminentissimo» rum Patrum; sed post monitum Pontificem et de speciali ejusdem » mandato. In his duobus casibus, ait, revera quidam tenent, quod » Papa considerandus veniat, non ut caput ecclesiæ, sed tantum» modo ut caput et præses dictarum Congregationum; et quod » proinde in talibus prohibitionibus non influat ipsius infallibilitas :

[1] In collectaneis : *Revue de Bruxelles,* nouv. série. 1841, t. I, p. 74.

[2] In app. operis sæpe laudati, n. 6° responsionum ad questiones prop.

» verum plerique contrariæ adhærent sententiæ, solide probantes, » quod etiam tunc Papa agat ut caput infallibile ecclesiæ » præsertim, addo, in casu priori; si tamen, ut supra, c. II, cautum est, ad fidei morumve doctrinam decretum sit referendum, et qua tale, mandato prodeat Pontificis. Etenim aliquando hæc hæreseos aut malæ doctrinæ nota, non ipsius Pontificis, sed solo Cardinalium nomine inuritur; cujus rei exemplum obvium est apud eumdem Sotomajor, p. 257, ubi refertur Pontificis de examinando quodam libro mandatum; quo generali mandato muniti Cardinales, unanimi voto, hunc hæreticum censent et schismaticum; et tamen non isthæc doctrinæ censura, sed sola libri proscriptio, de speciali Pontificis mandato evulgatur. Quapropter studiose semper inspiciendus decretorum textus; ut dispiciatur quid et cujus nomine statuatur.

Aliæ demum, ait idem auctor, prohibitiones a congregationibus prodeunt, cum assensu s. Pontificis; sed non de speciali ejusdem mandato. « Istæ, ait Zacc., vere non sunt infallibiles, sed an ideo, » ait, non maximæ erunt auctoritatis? Non longe superioris [1]....?» Olim generali tantum de mandato s. Pontificis ipsius s. congregationis inquisitionis decreta emittebantur, ut ap. Sotomajor (parte 2, pag. 202 et 249), manifestum est. Hodie vel ipsa s. congregationis indicis decreta de sanctæ sedis assensu, et speciali mandato, confici solent : solo tamen Cardinalium nomine prodeunt; ita ut ambigi merito queat; an s. Pontifex, tamquam infallibilis ecclesiæ doctor e cathedra, ut aiunt, loqui censendus sit; si quando doctrinale quid iis contineatur; an potius tamquam summus insignis tribunalis judex.

193 Aliquando, pro rei judicandæ gravitate, aut circumstantiis, proscriptionis sententia emittitur, vel a sacra congregatione inquisitionis generalis fidei [2], (cujus etiamnum, in hoc genere, præ illa

[1] Cfr. et s. Alph., in dissert. c. IV, n. 13 et seqq.

[2] Inn. III. an 1204, inquisitores, contra Albigenses hæreticos, in Tolosanam provinciam destinans, eosdem potestate libros eorumdem prohibendi instruxerat. Ipsa tamen congregatio inquisitionis generalis fidei, cum speciali mandato, in pravos libros inquirendi Romæ instituta fuit, ad annum 1542. Illius autem duplex distingui debet, pro argumento nostro, sessio; altera quæ habetur feria IV. cujusque hebdomadæ. Hujus autem consessus sententiæ ab eminentissimo cardinalium collegio definitive pronuntiantur : ita tamen, ut relatis Pontifici ab assessore sancti officii actis omnibus et singulis, arbitrio sanctæ sedis judicium omne absolvatur. Altera vero sessio feria V. cujusque septimanæ locum habet, coram ipso summo Pontifice; qui Cardinalium suffragia ipse excipit et de re concludit. Unde et decreta, licet a notario congregationis, qui maximas in iis partes habet, signentur; tamen ipso Sanctitatis suæ no-

indicis, auctoritas excellit [1]) vel ab ipso Pontifice. Quin immo videre est, eumdem librum et utriusque congregationis sententia et ipso viventis et vigentis adhuc, in sede Romana, Petri ore confixum; quod libro Amadæi Guimenii ex brevi Inn. P. XI. diei 16 7^bris^ 1680, contigisse constat.

Hic autem, quo altior est, a qua decretum emanat, auctoritas; eo etiam firmior magisque verenda sententia est; eoque etiam major esse cernitur judicii maturitas, et plura congeruntur, ad errorem cavendum, præsidia [2]. Quod vero attinet ipsam summi Pontificis, in hac librorum censura, inerrantiam, præter laudatum Zaccariæ locum consulere libeat, quod supra ipsi delibavimus, n. 99 [3].

Ne autem quis in damnum suum, ubi de solius Pontificis, antequam Episcoporum, per orbem dispersorum, suffragium accedat, sententia quæstio est, sub specioso fallibilitatis prætextu, a veritatis centro se separet; sedatis animis, secum revolvat, quæ, an. 1660, ad academiam nostram Lovaniensem, Al. VII, scribebat, verba : « Eximium illud, Salvatoris nostri voce toties inculcatum præ- » ceptum, de servandis mandatis, deque audienda voce pastoris, » quem vicarium suum in terris, universi gregis cura demandata, » constituit; quam ad salutem et vitam, tam profecto est ad omne » veræ scientiæ doctrinæque lumen suscipiendum, absolute neces-

mine in vulgus emitti solent. V. const. *sollicita;* Zacc. *in append.* l. c. ad q. 2^dam^; Vanespen, *Jus univ.* p. I, tit. XXII, c. III, n. 25 et seq.

[1] Enim vero congregatio, gravissimis, ab initio, fidei, negotiis præfecta, per erectionem s. congregationis indicis nihil amisit, quod juris ipsius intelligebatur. Sixtus V, constit. *immensa æterni* qua indicis congregationi amplissimam attribuit potestatem, nequaquam imminuta voluit jura, ab antecessoribus suis collata congregationi inquisitionis; cujus, ob summam rerum, ab ea tractandarum, gravitatem, sibi præsidentiam reservabat; quin contra expresse confirmavit roboravitque. Clemens VIII autem const. *Sacrosanctum*, volebat quidem s. congregationis indicis super libros potestatem esse præcipuam, quod solo hoc negotio occuparetur; non tamen exclusit congregationem inquisitionis, cujus pristina, in hoc negotio potestas, omni vigore suo florere conspicitur, in const. Ben. XIV, quæ incipit : *sollicita*, n. 3.

[2] Constat ex multiplicibus, quæ definitiones pontificias etiam notorie præcedere solent, præambulis : pro congregatione vero s. inquisitionis, ex laudata Ben. XIV, const. *sollicita*, n. 3 et seqq.

[3] Non nisi reverentia suffusos accedere decet ad examen quæstionum hujuscemodi : rubescit filius paternæ auctoritatis indagare natales et vestigare terminos : absit tamen ab unoquoque nostrum, nescire, qua ratione obstruamus ora malevolorum; neque explicare, neque tueri posse jura potestatis, quam Christus Dominus tam illimitatam constituit, et tam eximiis privilegiis communivit.

» sarium: nisi enim omnibus omnino determinationibus apostolicis » et firmitati petræ, supra quam ecclesiæ suæ fundamenta statuit » Dominus; omnes hominum, et præcipue litteris addictorum » cogitationes et consilia immobiliter adhæreant; incredibile pror- » sus est; in quot et quantas vanitates et insanias falsas humani » curiositas ingenii, quo magis etiam ejus vis et perspicacitas » excellit; per invia tandem et abrupta feratur. »

Obstrudit nobis Fra-Paolo, apud Pallavicinum [1]; comprobatos fuisse litteris Pontificiis, quos serius severa potius proscriptione dignos esse, compertum fuit, libros : adnotationes, v. g. Erasmi in novum testamentum a Leone X, commendatæ fuere. Privilegium pariter Pontificium nactus est typographus impii Macchiavelli; cujus opus merita dein fuit censura confixum.

R. Nego consequentiam et paritatem horum factorum ad casum nostrum; qui non de libri editione permittenda; sed de scriptis prohibendis agit; in quo certe major et requiritur et adhibetur cautela. Sed ad facta.

Ad primum respondet Card. Pallavicinus; non esse litteras illas definitionem ex cathedra; quæ ejusmodi adnotationum doctrinam, ut catholicam proponat. Ipsæ, quæ in hoc genere conceduntur approbationes, mere negativæ sunt, seu nude *permittentes* editionem. In casu, ait Pall., fuit quædam urbana responsio, respiciens ea, quæ ad Leonem X, perscripserat Erasmus, *fortasse non nisi particula quadam operis, ut accidit, delibata.*

Ad 2. Respondet idem em. auctor; non posse s. Pontificem, pro quibusvis ejus generis litteris, per se vel peritissimorum hominum diligentia res investigare; id quod numquam omittitur, ubi agitur de libro aliquo vetando.

SECTIO III.

Indicis moderni leges summatim, perstringuntur, dilucidantur ac vindicantur.

194 Operæ pretium foret adducere singulas, quibus in probandis, damnandis purgandisque libris, moderna disciplina explicatur, regulas; sed cum pleræque, ipsi indici passim præviæ, satis ad omnium pervenire possint notitiam; sufficiat, præcipuas strictim recensuisse et oportuna subinde adnotatione illustrasse aut vindicasse.

[1] *Hist. conc. Trid.*, l. XV, c. XVIII, n. 6

In primis hic recolenda lex illa saluberrima, jam olim a Leone X lata, in concilio novissimo Later. qua præviam omni impressioni requisivit ecclesiasticæ auctoritatis censuram atque probationem. Quam sententiam, in regula 10ª indicis Tridentini, confirmans Pius IV, præcepit; ut ejusmodi censura in ipsa libri fronte conspicua appareret.

Librorum autem examen et approbatio, ex statuto Lat. V, et regula 10ª Tridentini, ad solum Episcopum spectat et inquisitorem hæreticæ pravitatis, vel alium, habentem scientiam libri vel scripturæ imprimendæ, ab Episcopo deputandum. Quas ergo academiæ catholicæ impertiuntur approbationes, libros ab earumdem professoribus commendatos, multum exornant quidem; hujus tamen præcepti vere haud sunt impletivæ; nisi alicubi ex consuetudine academiæ hoc sibi jus acquisierint, aut nomine agant Episcoporum.

Nec pariter licentiæ, quas impertiuntur Superiores ordinum religiosorum, ab Episcoporum eximunt censura, ut cautum supra fuit, n. 108.

Pro libris de re sacra, a regularibus compositis, præter ordinariorum censuram, superiorum quoque ordinis licentiam obtinendam esse, statuit decretum sessionis IVæ Tridentinæ.

Non tamen ex dictis concludendum est; libros, qui neglecta censura, impressi fuerint, legi retineriquê haud posse; cum hoc in statuto Lateranensis concilii non legatur; nec sine expressa legislatoris sententia, lectoribus hæc prohibitio, aut editoribus gravis hæc pœna imponi possit. Id quidem expresse apud auctores non occurrit; sed ex ipso legis silentio clare deducitur. Nobiscum tamen sentire dicendus est S. Alphonsus, qui (*Theol. mor.*, l. VII, n. 289) vel ipsos libros anonymos, postquam impressi sunt, non omnes prohiberi scribit. Jam autem vere anonymi, post Clem. VIII, et certe ad mentem S. Alphonsi, non sunt, nisi qui simul censura destituuntur; cum ut, n. seq., visuri sumus, censoris nomen defectum suppleat auctoris.

Aliter statuendum est de libellis manuscriptis; quos qui vulgaverint, eisdem pœnis quibus impressores, subjacent; qui autem « habuerint, et legerint; nisi auctores prodiderint, pro auctoribus » ut decernit reg. 10ª Trid., habendi et puniendi sunt.

Quoad libros vero, typis editos, licet nulla videatur lex urgere; tamen consultum est; ut fideles abstineant ab omnibus iis libris; qui neglecta, quæ alicubi in vigore esset, censuræ lege, forent impressi; ne typographis, leges ecclesiæ violantibus, cooperari videantur.

Forte opponat quis verba regulæ 10æ; quæ, post renovatum La-

teranense statutum, ait : « Quod si quis libros hæreticorum, vel » cujusvis auctoris scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis sus- » picionem damnata atque prohibita legerit, sive habuerit; statim » in excommunicationis sententiam incurrat. » Quibus verbis, ecce, scripta quæcumque damnata legere ac tenere prohibemur; ita ut, quæ initio regulæ 10ᵃ, v. g. de imprimentibus leguntur, hic ad legentes quoque et retinentes extendantur.

Verum hæc, quæ nobis obstare videntur, verba adeo non extendunt aut quocumque modo determinant sensum regularum, quæ præcedunt; ut potius ipsa determinentur ex eis : etenim hæc ipsa verba intelligenda sunt, non absolute; ut legem ipsa, per se, faciant; sed ut aiunt, distributive et cum relatione ad singulas, in quibus libri legi, retineri aut imprimi prohibentur, regulas. Hoc ex contextu manifestum efficitur : immediate præcedit prohibitio; « ne quis audeat contra harum decem regularum præscriptum, » aut hujus indicis prohibitionem libros aliquos legere aut ha- » bere »: mox sequuntur ea, quæ supra citavimus, verba; quibus apponitur prohibitioni sanctio, vel excommunicatio reservata, si hæresis adsit aut falsi dogmatis suspicio; vel pœna sententiæ ferendæ judicio Episcopi : atqui, dico, ista prohibitio, « ne quis au- » deat contra harum decem regularum præscriptum » distributive, seu varie pro varia regularum ratione, intelligenda est; ergo et quæ immediate eam excipit pœnalis ejusdem sanctio.

Dubium tamen moveri potest circa libros tractantes de rebus sacris; an, scilicet, illa saltem, postquam censura destituti, in lucem missi sunt, legere ac retinere prohibitum non sit per decretum sess. IV concilii Tridentini; in quo legitur : « Nullique » liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus » sacris sine nomine auctoris, neque *illos* in futurum vendere aut » etiam apud se retinere; nisi primum examinati probatique fue- » rint. »

Quæ verba tripliciter possunt intelligi : primo et secundo sensu, secus ac in tertio, hæc pericope de duobus diversis agit : in priori, nempe, parte ex his sententiis ponitur agi de libris anonymis, res sacras tractantibus; in posteriori de libris, res sacras tractantibus, censura ordinarii destitutis. Illos prohibemur imprimere vel imprimi facere; hos vendere aut etiam retinere (aut, adeo, legere). Verum hic quæritur; an to *illos*, in posteriori parte, referat *omnes libros de rebus sacris tractantes;* an tantum, qui, de rebus sacris tractantes, insuper prodeunt sine nomine auctoris.

Prior sensus subito legenti obvius atque adeo naturalis videtur. Eum si tenueris to *sine nomine auctoris* exponas oportet : *nisi appo-*

natur nomen auctoris; ut, transmissa sic phrasi intermedia, possis connectere quæ sequuntur cum præcedentibus in hunc sensum : *Nulli liceat imprimere libros de rebus sacris nisi apposito auctoris nomine, neque illos vendere nisi censura.....* In hac ergo sententia absolute prohibetur imprimere libros de re sacra anonymos; item libros, de re sacra tractantes, vendere.....; nisi censura sint probati et Clemens VIII, (in Instr. *de impressione librorum*, n. 1) ordinariis concedens; ut, justa de causa, pro nomine auctoris, nomen censoris apponi permitterent, indulsit iis, quod per Tridentinum ipsis Episcopis vetitum fuerat vel saltem vetitum putabatur.

Sensus alter videtur conformior regulis grammaticæ : etenim to *illos* referri non debet ad ea quæ *mediate* præcesserunt, sed referendum est ad totum id quod *immediate* præmittitur, scilicet : *libros de rebus sacris sine nomine auctoris.*

Tertius demum explicandi modus una continua serie legit totum textum, his verbis, *neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere*, parenthesi inclusis; et ita, sensu facili, ad prima pericopæ verba disjunctive adjectis : *nulli liceat imprimere libros de rebus sacris sine nomine auctoris* (*neque illos vendere aut tenere*) *nisi primum.....* quod idem sonat cum his verbis : *nulli liceat imprimere, vendere aut retinere libros de rebus sacris sine nomine auctoris; nisi primum.....* Quo sensu manifestum est; de uno eodemque objecto totam agere periodum; nempe de libris res sacras tractantibus, anonymis et censura destitutis. Hic autem sensus videtur omnium maxime naturalis.

Porro juxta hos, secundum, scilicet, et tertium explicandi modum, Clem. VIII, cum in Instructione sua (parte, *de impressione libr.*) concedit Episcopis, libros anonymos, apposito censoris nomine probare; nihil eis antea vetitum concedit; sed renovat, extendit ac clare explicat hoc IV^æ^ sess. Tridentinæ statutum : postquam, nempe, ibidem n. 1 nominis auctoris appositionem etiam ad libros, de rebus non sacris tractantes, extendisset; illius defectum ipsa eorumdem vel censorum subscriptione suppleri declarat.

His positis, ad dubium, supra propositum, dicendum videtur: non satis constare de veritate primi intellectus verborum Tridentini; ut lex positiva certa extundi ex iis possit, et ita a regula supra tradita excipi debeant libri de rebus sacris, censura non probati : quinimmo et minus probabiliter eum esse decreti Tridentini sensum. Ceterum non memini, decretum hoc apud auctores commentatum vidisse. Solus Reginaldus (in Praxi fori pœn., l. IX, c. XIV, n. 256) nobiscum posteriorem pericopæ partem, de libris non solum res sacras tractantibus, sed insuper anonymis, intelligit.

Est autem œconomia ista, qua libri edendi committuntur ab ecclesia piis doctisque viris; ut ab ipsis recensiti, ipso eorumdem apposito nomine, commendentur seu potius *permitti* declarentur, (cum hæc censura, utut passim *approbationis* nomine honestetur, potius permissiva quam commendatitia sit) non modo maxime salubris lectoribus; ne tum demum, cum malos jam protulerint fructus, notentur libri; sed ipsis etiam scriptoribus atque editoribus commoda quam maxime; ne, cum ingenti dispendio fortunarum suarum, post factas impensas, opera supprimi debeant.

Suadet autem damnum spirituale, a lectoribus avertendum; expedire hoc loco, severitatem; ut quodcumque offensioni esse potest, amoveatur. Circumstantiæ nonnumquam cogere videntur; a rigore, qui, re in se tantum spectata, adhibendus foret, nonnihil recedere; ne scriptores exacerbentur atque alienentur. Verum hoc ipsum dexter et blandiloquus cum auctoribus agendi modus procul removebit; cum eorum vel maxime intersit; ut correctione adhibita, opera eorum prodeant veritati et virtuti magis consona, fidelibus securius permittenda, aut commendanda; atque adeo avidius comparanda et religiosius conservanda.

Garrit quidem Bœhmerus [1]; hanc disciplinam novitiam esse in ecclesia; ut pote, ait, quæ post inventam artem typographicam ex monachorum orta sit invidia. Verum tametsi hæc disciplinæ forma recentius, foret inducta, modo a debita potestate; quid inde? Numquid quod ecclesia antiqua stabilire ligitime potuit, idem non potest et ecclesia moderna? Consensio, nempe, disciplinæ antiquæ cum recentiori, positiva est utriusque commendatio : dissensio vero mera est ejusmodi argumenti negatio, ne minimum quidem disciplinæ sive veteri sive recentiori creans præjudicium; dum sacra, non minus quam civilis, potestas pro enatis exseritur circumstantiis, et modo necessario illa constituit; quæ alio quocumque tempore sine damno non constituisset. Novam igitur imprimendi artem, sicut in ordine civili novas provocavit legum constitutiones; ita et in ordine religioso novæ occasionem dedisse disciplinæ, non est, quod miretur aut calumnietur Bœhmerus.

195 Altera dispositio generalis concernit libros anonymos; et legitur sess. IV concilii Trid. his verbis : « Nulli liceat imprimere » vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris, sine nomine » auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se » retinere; nisi prius examinati probatique fuerint ab ordinario,

[1] L. c, n. 103.

» sub pœna anathematis et pecuniæ, in canone [1] concilii novissimi » Lateranensis apposita. » Pœna quidem illa ex citato decreto intelligitur esse excommunicatio sententiæ, ut dicunt latæ; pecunia vero fabricæ principis Apostolorum solvenda, videtur ex subjecta materia ad status pontificios restricta fuisse; neque umquam aliter fuit intellecta aut in praxim deducta.

Nominis auctoris appositionem, ad libros, qui de rebus sacris agunt, restrictam, ad omnia cujuscumque argumenti scripta provide extendit Clem. VIII, in Instructione sua, indici prævia [2]; in qua et eorum, qui nomen suum juste celandum judicarent modestiæ vel securitati consultum voluit, dicens : « Nullus liber in » posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen et » patriam præferat auctoris. Quod si de auctore non constat; aut » justam aliquam ob causam, tacito ejus nomine, Episcopo et in- » quisitori liber edi posse videatur; nomen illius omnino descri- » batur, qui librum examinaverit atque approbaverit. » Nullam tamen sententiæ latæ adjecit pœnam.

Saluberrima procul dubio hæc etiam est dispositio; qua non solum fidei morumque prospicitur integritati, dum ex ipsa libri fronte illius dignoscitur doctrina et spiritus; sed etiam rei consulitur litterariæ; dum suum cuique aut meritum accrescit aut dedecus.

Moderatio autem illa, qua justam aliquam ob causam, Episcopo aut inquisitori probatam, sola subscriptio illius, qui librum examinaverit, atque approbaverit, censoris defectum supplere possit nominis ipsius auctoris, cum sit generalis, videtur etiam legi anteriori Tridentinæ, quoad libros de rebus sacris, derogasse; si tamen absoluta, ut videri alicui possit, ea concilii dispositio fuerit; neque ullum hodie, sub hoc respectu, videtur poni inter libros qui de rebus sacris agunt, et eos, qui profana tractant, discrimen.

Non tamen *omnes* libri anonymi, hoc præcise titulo, postquam editi fuerint, vitandi sunt : etenim, ut scribit p. F. Forerius [3], Patres deputati « Non omnes libros qui nomen auctoris non præferunt, » damnandos putarunt; (quamdoquidem, ait, sæpe viros doctos, ac » sanctos novimus, ut Christiana quidem respublica ex eorum » vigiliis fructum caperet, ipsi vero inanem gloriam evitarent, » libros optimos, sine nomine, edidisse) sed eos tantum; qui aut

[1] Sess. x, ap. Labb. t. XIV, col. 257. Passim adducitur ad calcem concilii Trid.

[2] Parte III, *de impressione libr.* § I.

[3] In sua ad ind. Trid. præf.

» liquido pravam, aut dubiam fidei doctrinam, sive moribus perni-
» ciosam continent. At vero qui sint ejusmodi, aut tales censeri
» debeant, præter eos, qui in hoc catalogo descripti sunt, Episcopi
» et inquisitores, una cum theologorum catholicorum consilio judi-
» cabunt. Sed propter nostrorum temporum malitiam; ne in poste-
» rum libri sine nomine auctoris edantur decreto IV. sessionis
» Trid. conc. provisum est. »

Clem. etiam VIII, in *Instr. de impress. librorum* § I. jubet quidem; ut omnes libri, deinceps imprimendi, nomen præferunt auctoris; non tamen eos, qui, non servata hac conditione, editi fuerint, legi prohibet aut teneri. Unde s. Alphonsus [1] docet; non omnes libros anonymos prohiberi; sed illos tantum « qui pravam doctrinam tra-
» dunt : sic enim, ait, videmus practicari a viris probis et doctis. »
Nec dubium, quin idem de nostro hoc tempore testari possimus.

Ex laudato tamen Tridentini decreto, lege ecclesiæ generali, vendi ac retineri adeoque et legi prohibentur, postquam editi fuerint, ii libri; qui 1° de rebus sacris tractantes, 2° anonymi sunt, nec 3° a competenti auctoritate approbati. Enimvero prohibetur in decreto vendere aut retinere (atque adeo) aut legere libros, de rebus sacris tractantes, nisi prius examinati sint ac probati certe, ut restrinximus supra, n. 194, si simul prodeant sine nomine auctoris.

Per vocem autem *libri*, in decreto sess. IV. Trid. intelligendam esse *omnem scripturam* docet declaratio s. congregationis concilii; idque propter remissionem, quæ ibidem notatur, ad pœnam, quam Lat. V. infligit imprimenti *quamcumque scripturam*, censura destitutam. (Omnino confer n. 278, in nota versus finem) [2]. Quod dicitur, « Libros *de rebus sacris* » nullibi, quod sciam, authentice explicatum fuit : idem autem innuere videtur, quod in bulla cœnæ hæc alia verborum forma : *libros de religione tractantes*. Quapropter, ut sciatur, quinam libri existimandi sint tractare *de rebus sacris;* consulatur infra c. VI, § I, ubi voces *de religione tractantes*, loco suo, latius explicantur.

196 Sequuntur decem indicis regulæ. Quælibet suas habet utilissimas dispositiones; earum autem hæ sunt præcipuæ : 1° omnino prohibentur libri hæresiarcharum, cujuscumque etiam argumenti : hæreticorum vero libri, qui de religione ex professo tractant, omnino damnantur; ceteri vero a theologis catholicis, jussu Episcoporum et inquisitorum, examinati et approbati, permittuntur (Reg. 2).

[1] Theol. l. VII, n. 289.

[2] De evulgantibus libellos manuscriptos, non probatos, et eos retinentibus ac legentibus vide infra, n. 293.

197 2° Prohibentur plura scripta ab hæreticis in aliam linguam translata; ab iisdem adnotationibus dilucidata aut collecta; libri etiam, quibus, cum argumentum eorum principale bonum est « ali- » qua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem, divinationem » seu superstitionem spectant » (Reg. 3, 5 et 8) [1]. Quocirca hoc notandum videtur : quod, scilicet, ultima isthæc dispositio, quæ regula octava continetur, ad libros hæreticorum non sit restricta; atque adeo etiam catholicorum libros, quorum argumentum principale bonum est, afficere videatur; non jam ut libros hæreticorum, propter ipsos eorum auctores; sed propter eam, quam ex hypothesi continent, perversam doctrinam; nec ut simpliciter prohibiti sint libri, sed ad tempus correctionis suspensi.

198 Quoad lectionem sacrorum bibliorum in lingua vulgari, mandant Patres; ut « Judicio Episcopi aut inquisitoris stetur; ut » cum consilio parochi vel confessarii, bibliorum, a catholicis » auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere » possint; quos intellexerint ex hujusmodi lectione, non damnum, » sed fidei atque pietatis augmentum, capere posse : quam facul- » tatem in scriptis habeant. » (Reg. 4). Hujus autem regulæ dispositio, mutatis, per tempora, circumstantiis, nonnullas mutationes subiit : etenim, ut ait cl. Zacc [2]. « Paullatim in dispensanda » prædicta licentia, remissius agebatur in damnum salutiferæ pro- » hibitionis.... Proinde Sixtus V, animadvertens, quod inde enas- » cebatur, præjudicium animarum, hasce facultates, per sanctum » officium (seu congregationem inquisitionis) sibi reservari man- » davit : Clemens vero VIII, ne Episcopi et inquisitores ex reim- » pressa (in ejus indice) regula 4ª colligerent, restitutam sibi, » easdem impertiendi potestatem, in observatione ad regulam 4ᵃᵐ, » indici suo præmissa, monitos eos voluit; quod hæc reservatio » Sixti V in suo permaneret vigore » [3]. Interim ex usu et consuetudine dictam facultatem Episcopi plerisque locis aut retinuerunt aut brevi recuperarunt [4]; immo et certis locis potestate usi sunt latiori, quam ipsi Tridentinæ limitationis termini permisissent. Variis namque locis, promiscuum bibliorum, a catholicis versorum,

[1] Quæ modo præcedunt leges, toto cap. I, et passim cap. III satis vindicatæ fuere.

[2] L. II, diss. III, p. 2, c. I, n. 9.

[3] Legitur hæc Clem. VIII monitio in observationibus Clementinis ad reg. 4ᵐ, indici passim præviis.

[4] Cfr. ill. d. Malou, t. I, p. 61 et *synod. Belg.* t. I, p. 300, art. VII et p. 311 voce, *ad caput* VI. Cfr. etiam *syn. Camer.* anni 1631, in qua (tit. I, c. 12.) Episcopis expresse adscribitur facultas biblia vulgaria permittendi.

usum indulgent; quamvis totus Tridentini decreti textus innuat; quod singularibus tantum personis illam legendi facultatem impertiri missi fuerint; quod et hodierna Belgii aliarumque regionum consuetudo accurate servat. Requirebant Patres Tridentini, ut Episcopi, hanc licentiam concessuri, adhiberent consilium parochi aut confessarii eorum, qui facultatem peterent; et insuper ut illam in scriptis darent. Quæ certe manifeste evincunt; singularibus tantum personis, non integris diœcesibus, fuisse licentiam concedendam. Hanc autem concessionis Tridentinæ limitationem non parum confirmat ea Benedicti XIV aliorumque, post ipsum, Pontificum dispositio; qua, ut promiscue licitam faciant lectionem bibliorum, a catholicis versorum, requirunt approbationem ipsius Sedis apostolicæ : a qua dispositione nimium proculdubio recedit, qui tribuit Episcopis, non modo specialem quamdam versionem pro suis approbare diœcesibus, sed et omnes, nullo præmisso examine, indulgere.

Contrarium opinari videri posset ill. d. Malou, in prælaudato sæpius opere, t. I, p. 46; si absolute et crude intelligi deberent sequentia, de posteriori Galliarum, circa hanc regulam quartam, usu agentis verba : « Le danger avoit disparu; les précautions devenoient inutiles. Les règles de l'index n'ordonnent pas aux » Evêques de combattre un mal, qui n'existe plus; elles les autorisent au contraire à donner aux fidèles de leurs diocèses la » permission générale de lire les saintes écritures en langue vulgaire dans des éditions catholiques. » Verum, quam mitissimè possunt, ea verba intelligenda esse, suadeor ex præcedenti contextu; qui de speciali agit, quod in Gallia, Calvinismo ingravescente, obtinuerat, fidei periculo; quodque post revocatum edictum Nannetense, antequam priscum in materia rigorem Gallorum Episcopi remitterent, reapse cessaverat. Enimvero etiam hodie verissimum est ab hominum temeritate periculum; si passim sacra biblia, idiomatis vulgaribus reddita, permittantur. Quæ ipsa non modo hæreticorum, sed et catholicorum temeritas Patres Tridentinos movit; quamque legis suæ ferendæ motivum nuntiant, sine ulla ad hæreticos restrictione, dicentes : *Plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri.* Specialis itaque circumstantiarum ratio illustrissimos Galliæ Præsules adduxerit; ut vel de expresso vel de tacito s. Pontificis assensu legem ecclesiæ pro sua patria relaxarent; non repugno : at vero nihil est; quod probet hominum temeritatem generatim in ecclesia repressam esse, ecclesiamque adeo suam, de bibliis vulgaribus, caute et singularibus personis permittendis, legem mutasse.

Porro in fine hujus, ad regulam IV, observationis olim lege-

bantur sequentia verba : « Ac insuper (ablata scilicet facultas » concedendæ licentiæ legendi) summaria et compendia etiam his- » torica eorumdem bibliorum seu librorum sacræ scripturæ, quo- » cumque vulgari idiomate conscripta : quod idem inviolate servan- » dum est [1]. » Sed hæc pericopa jam dudum sublata fuit, recedente, quam primum liceret, ecclesia a rigore, ad tempus necessario.

Notandum hic insuper venit; promiscue etiam permitti, saltem ex usu, epistolas, evangelia, psalmos et similia, quæ passim approbatis libris precum, idiomate vulgari, inseri solent.

Post unum et medium seculum, a præfata Clementis VIII monitione, Benedictus XIV nihil quidquam principio concedens protestantico; sed quantum liceret, iis qui capaces erant, salutares scripturæ fontes aperiens, approbavit sequens s. congregationis indicis decretum : « Quod si hujusmodi bibliorum versiones, vul- » gari lingua, fuerint ab apostolica Sede approbatæ [2] aut editæ » cum annotationibus desumptis ex sanctis ecclesiæ Patribus, vel » ex doctis catholicisque viris conceduntur. » Quibus cautelis id intendit Pontifex, ait cl. Zaccaria [3], ut præcipua lectionis incommoda, tum ex versionum infidelitate, tum ex ignorantia oriunda præcaverentur.

Quid autem circa moderamen hoc Benedictinum usus Belgii habeat, vide infra C. VI, sect. IV.

[1] Ita in indice Clem. VIII. (In bibl. Lovan. in parte poster. indicis Magdaleni Capiferrei.)

[2] Eadem non semel deinceps eidem moderamini expresse apposita fuit conditio : « Revocanda iterum esse in omnium memoriam, ait monitum s. con- » gregationis indicis, diei 23 jan. 1836, quæ alias decreta sunt : vernaculas » nimirum, bibliorum versiones non esse permittendas, nisi quæ fuerint ab » *apostolica sede* approbatæ, aut cum adnotationibus editæ.... » Hæc plane conformia sunt litteris encycl. Pii VIII, datis 24 maji 1829, et Greg XVI datis anno 1844, quarum initium : *Inter præcipuas*, ad vocem *Ceterum*. Quæ cum ita sint; concedere non possum in sententiam ill. d. Malou ; qui pereruditi operis sui, t. I, p. 76, opinatur, eam approbationem Episcopis quoque competere et universitatibus catholicis. Etenim nimis clara videntur decretorum verba : *ab apostolica sede approbata et nisi quæ fuerint ab apostolica sede approbatæ*. Nec in ordine ad specialem hanc approbationem valere quidquam videtur jus approbationis, sive a concilio Trid., sive ex usu synodo Trid. coæva sive etiam Sixti V et Clem. VIII revocationibus posteriori, ad alios effectus quæsitum. Si alias quasque legitimas approbationes admissas voluisset Ben. XIV, non ad exclusionem earumdem, *apostolicam approbationem* postulasset. Ceterum quoad hanc Episcoporum academiarumque libros censendi potestatem confer. quæ c. II, s. III, dicta fuere.

[3] *Storia polem.* l. II, diss. III, p. 2, c. I, n. ult.

Quæri tamen, hoc loco, potest; an vi hujusce moderaminis, legi passim possint versiones paraphrasticæ, a scriptoribus catholicis confectæ, non tamen a s. Sede approbatæ, nec catholicorum scriptorum annotationibus illustratæ. Ad quam quæstionem, salvo prudentiorum judicio, cum nullibi eam quæstionem tractatam reperierim, respondeo : affirmative; cum voces paraphrastice intercalatæ, veræ sint, ex ss. Patribus catholicisque scriptoribus derivatæ annotationes; quæ immo in ea, in qua prodeunt forma, legentis intellectum magis juvant et ab errore felicius præservant; quam annotationes forma ordinaria adhibitæ.

199 Docuimus supra, c. III. n. 120 et seqq. lectionem scripturæ s. a Christo Domino permissam fuisse liberæ dispensationi ecclesiæ suæ; ut pro eo, quod variæ suaderent rerum circumstantiæ, præcipere illam possit, aut prohibere aut sub certis tantum indulgere conditionibus. Nunc porro indagandum superest; an ea, Tridentini concilii tempore, fuerint rerum adjuncta; quæ novam ab ecclesia legem, usus promiscui scripturarum restrictivam, postularent.

Licet autem jam olim sat frequens esset librorum sacrorum abusus; quum, ut s. Augustinus notabat, a scripturis occasione accepta, fere omnes proficiscerentur hæretici; tamen quia periculum minus erat commune et quia defectu aliorum librorum, necessarium erat, ut litterati scripturarum lectione plenius in religionis scientia instruerentur; per plura secula nullum prodiit generale ecclesiæ statutum, quo ejusmodi lectio arctaretur; sed hoc Episcoporum parochorumque, a quorum nutu quique pendebant, quorumque erat homiliis scripturam, pro suorum captu, interpretari, linquebatur prudentiæ.

200 At vero seculo XII. pro simplicitate prisca alius omnino spiritus invaluit, populisque afflatus, in ingens omnimodæ, in volvendis et interpretandis s. scripturis, independentiæ monstrum excrevit.

Primum Waldenses libros sanctos vernacule populis tradiderunt, totam ecclesiasticæ hierarchiæ, sublata clericorum laicorumque, seu ecclesiæ docentis discentisque distinctione, faciem mutantes. Quam ergo ecclesiæ primoribus subtrahebant docendi potestatem, omnibus, etiam indoctis quibuslibet, communem fecerunt [1]; practice stabilientes, de individuæ rationis in fide independentia, principium; quod per varia secula, sub Albigensibus, Wicleffitis, Hussitis, magis magisque evolutum fuit, tandem dogmatice a Luthero proponendum. Lutherus quidem inconsequens nimium, proprias

[1] Errores Waldensium, v. ap. Nat. Alexandrum in sec XI et XII, c. IV, a. III, § XII.

suis sequacibus opiniones imposuit, principii ipse sui sequelas metuens; sed eas hodie intrepidi deducunt ex protestantismo rationalistæ Germani [1]; quorum deplorandos, quos subinde in scriptis periodicis legimus excessus, nulla comprimere valet potestas, neque ulla moderari consideratio.

Hoc privatæ rationis spiritu ingravescente, multiplicatisque adeo verbi divini abusibus, præsertim post inventam perfectamque artem typographicam, non uno loco, particularibus edictis, bibliorum usus fuit restrigendus; eum scriptores doctoresque improbarunt, et quidem in Hispaniis clarissimi Albertus et Isabella, auctore Paulo III. penitus sustulerunt [2].

201 Interim propagatis feliciter, arte typographica mediante, litteris, crescebat quoque periculum fidelium; quorum simplicitati imponebatur per infideles, et studio corruptas versiones perque falsas et mentitas approbationes [3]. Quibus adeo fidelibus succurrendum lege arbitrati sunt Patres, a concilio Tridentino ad indicem delecti [4]. Cum tamen ipsis durum nimis videretur, etiam simplices fideles ex integro privare solatio sanctorum librorum, id quod card. Paciecus in congregatione, sessioni IV^ae^ prævia, exemplo Hispaniarum, decernendum proposuerat; hanc iniere viam; ut linguis antiquis expressa biblia non subtraherentur iis, qui eas linguas callerent, fidelibus; pro lectione vero librorum sanctorum, linguis modernis redditorum, eas præscriberent cautelas, quæ discrimen ab illitterata multitudine ita propellerent; ut tamen etiam qui profectum haurire ex libris sacris possent, non arcerentur. Quo moderamine id assecuti sunt Patres; ut periculum præsumptionis aliorumque

[1] V. Harney, c. XV; P. Perrone, *tr. de locis theol.* n. 320 seqq., ill. d. Malou, t. I, p. 1 et seqq. et Balmes. *Le protestantisme comparé au cath.*, c. IV, éd. de Louv. p. 35.

[2] V. Harney, c. XV et XVI.

[3] Cfr. P. Perr., n. 320 ubi ex Hieronymo Emsero in sola versione Lutheri, 1400 notantur errores hæretici aut mendacia occultata. Harum fraudum exemplum sumas licet in eo, quod, cum sacerdos et monachus continentiæ legem sponte assumpsisset sua, pro libidinis suæ necessitate, illud (1 ad Cor. IX) *mulierem sororem circumducendi*, quod apostoli de muliere victus et amictus ministra intelligebat, vertat per : eine schwester zum weib (sororem seu fidelem in uxorem). Item quum illud, ad Rom. 3. 28. *justificari hominem per fidem sine operibus legis*, pro sui exigentia dogmatis, vertit addendo : « Per solam fidem. » Cfr. *Journal hist.*, t. VIII, p. 180 et 201. Quoad bibliorum vernaculorum, quæ hodie quaquaversum societas biblica dispergit falsificationem, V. ill. d. Malou, c. IX.

[4] Cfr. Greg. XVI litteras encycl. an 1844. *Inter præcipuas*, ad vocem : *ceterum* (*Journal hist. et litt.*, t. XI, p. 88.)

damnorum amoveretur a simplicioribus; quibus id vere, ea nominatim epocha, imminuisse latius et erudite demonstrat ill. d. Malou t. II. p. 280 et seqq. et 355.

202 Omnis igitur hujusce Tridentinæ dispositionis ratio historica exprimitur in ipsa regula 4ª, his verbis : « Cum experimento ma» nifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua passim sine discrimine » permittantur; plus inde, ob hominum temeritatem detrimenti, » quam utilitatis oriri..... » Causa detrimenti princeps non est in ipsarum scripturarum, variis de causis, [1] obscuritate; nec in maxima ejusdem, pro conscriptionis suæ tempore, narrandi ac dicendi simplicitate; sed in ipsa temeritate hominum; qui, inde occasione accepta, in præsumptionem efferuntur; sibique præfidentes, in varia inciderunt errata, jam inde a primis ecclesiæ seculis. Unde et plures ss. Patres funestos illos lectionis scripturarum effectus, scriptis suis notatos, reliquerunt [2]. Hi tamen funesti lectionis effectus, quamquam variis locis temporibusque a scriptoribus ecclesiasticis indicati, antiquitus minus erant communes; tum quod pauci scripturas legere scirent; tum quod paucæ essent scripturæ versiones eæque a viris orthodoxis fidelius e textu expressæ; tum etiam quod major esset fidelium simplicitas et ab ecclesiæ ministris dependentia. Verum testantur [3] documenta publica; quam longe lateque malum invaluerit, postquam Waldenses scripturam vulgarem manibus omnium tradiderant, atque increverat spiritus præsumptionis ac temeritatis [4]; qui novarum hæresium character erat præcipuus; ideoque ab ecclesia novo hoc freno fuit cohibendus. Novam ergo legem nova provocarunt temporum adjuncta, a temporibus ss. Patrum prorsus diversa.

203 Ex dictis merito cum indignatione repellimus calumniam eorum, qui incusant ecclesiam Rom.; quasi universim scripturas vulgares proscribat librosque sanctos populis eripiat, vix unis eos concedens clericis et monachis; quasi catholici, ut ex Stapletonio probare nititur Jac. Laurentius [5], non nisi necessitate coacti, biblia permittant : linguis namque antiquis ea legere prohibetur nemo; versionibus vernaculis ubi jam dissimulari non poterat periculum plurium, non prohibitio adjecta; sed, prudenti consilio, adhibita

[1] Eas enumeratas reperies apud ill. d. Malou, t. I, p. 202 et seqq.

[2] Cfr. ill. d. Malou, c. VI, art. II.

[3] Apud Harney, c. XV et XVI passim.

[4] Hanc spiritus independentiam et, quæ inde pullularunt, mala accurate delineata vide ap. ill. d. Malou, t. I, p. 345 et 353 et seqq. vide et *Confer. sur les bibles*, p. 18 et seqq.

[5] *Diss. theol. de libris gentilium.... permittendis....* introd. p. 2.

cautela necessaria : ut fidenter quis calumniæ sensum vertere possit ac dicere : ecclesia catholica, non nisi necessitate coacta, bibliorum prohibet lectionem [1].

204 Nec finem suum assecuti fuissent Patres deputati, si solum requisiissent legitimam versionum approbationem; cum, versionum probatarum defectu, penitus fuisset simplicioribus occlusa scriptura, nisi sua statim auctoritate probasset ecclesia versiones minime probandas. Prudentius ergo ne quis damnum caperet, ubi lucrum quærebat; provisum a Patribus fuit; ut ab iis unusquisque penderet animæ suæ rectoribus, quibus et status ejus propior est notitia, ejusque et a ruina præservandi, et ad perfectionem omni via promovendi strictior incumbit obligatio. Verum est; qui linguas sacras callent, generalibus regula IV terminis comprehensi, etiam a lectione scripturæ, lingua vulgari redditæ, arcebantur; quamvis respectu ipsorum jam non tanta essent amovenda incommoda. Attamen et pro illis, si non omnia, certe plura militabant regulæ IV ferendæ motiva; deceptionis, nempe, discrimen, minus quidem propinquum, verum tamen, ex eo quod versiones non essent satis fideles, immo et plerumque de hæretico fermento suspectæ. Præterea odiosa hæc inter latine et græce callentes et non callentes distinctio, libros passim periculosos commercio invexisset et privatorum familiis. Aliunde, siquidem litterati verbum Dei limpidius e fonte latino poterant haurire; nulla erat eisdem vernaculos fontes aperiendi necessitas.

Provide igitur regula 4ª edicitur iis tantum concedenda licentia quos Episcopo, per consilium parochi aut confessarii constiterit « ex hujusmodi lectione, non damnum, sed fidei atque pietatis » augmentum capere posse. » Quod quidem augmentum, si iis quis legat animi dispositionibus, quæ omne periculum procul amoveant; dicemus cum s. Chrysostomo semper adesse; dum « fieri non potest ut quis sine fructu discedat, qui assidua atten- » taque scripturarum lectione fruatur [2]. » Quia tamen hæ animi dispositiones passim non sunt obviæ; non immerito spem fructus, qui cum præfatis dispositionibus conjungi solet, expresse requirit ecclesia, ut legendi licentiam faciat. Alioquin ipsa a communi fidelium consuetudine exemptio cum licentia legentis vanitatem provocare et publice dogmatizandi pruriginem fovere de se nata est; culpa utique ipsius hominis, non vitio scripturarum.

Omnis adeo Tridentinæ legis dispositio stricte dici potest in-

[1] Confer. Harney, c. XVII, præsertim, n. 20, 35. et 40. P. Perrone, n. 314 et ill. d. Malou, t I, p. 37.

[2] T. 2 conc. 3 hom. de Lazaro.

ducta, ad assecurandam observantiam legis naturalis; a qua, per lectionem, transgredienda, quisquis est immunis, hoc ipso legendi licentiam obtinere poterit a spirituali superiore suo; cujus merito discretioni reservatur, de hujusmodi dispositione cognoscere.

Neque dictis obstat; quod Ben. XIV scripturas vernaculas a s. Sede probatas, aut a catholicis viris dilucidatas, promiscue indulserit : etenim et remissior jam tum hæreticæ rebellionis spiritus, et solidior plebium instructio novatorumque fraudes edocta catholicorum simplicitas, et major versionum quæ probari, commentariorumque, quæ commendari possent, copia fidei morumque periculum plurimorum respectu jam amoverant.

Ceterum si qui etiam nunc ob apparentes in scripturis antilogias fidei, aut ex lectione cantici.... morum discrimini, ob specialem suam temeritatem, simplicitatem aut fragilitatem exponantur; a legendis versionibus etiam debite probatis aut dilucidatis abstinere debent, ipso vetante naturæ jure; cujus observantiæ, cessante generali ecclesiæ lege, jam particularium superiorum est, oportune prospicere.

205 Objiciunt quidem Dupinius aliique; hanc indicis, quem Tridentinum dicimus, regulam in plerisque orbis catholici regionibus passam fuisse repulsam; nominatim in Gallia, Belgio et Germania.

R. 1. Contrarium, de nominatis etiam regionibus, probatum vide apud Harney, c. VI, XVII, XVIII et XIX; apud Zaccariam l. 2., diss. III, p. 2, c. 1, n. 6 et seqq. et ap. ill. d. Malou, t. I, p. 43.

R. 2. Ceterum pluribus locis, quibus non recepta disciplina Tridentina aut non conservata in ipsis terminis synodicis, æquivalentes tamen inductæ fuerunt et etiamnum servantur cautelæ [1]; ut nihil exinde legis Tridentinæ laudi decedat.

R. 3. Accidit ut leges, de se saluberrimæ, propter circumstantias temporum, populorumve morositatem, tantas practice difficultates habeant; ut pluribus locis ab earum observantia premenda prudenter abstineatur. Atque hinc est, quod diversa, variis locis, vigeat disciplina : alibi, scilicet strictissime advigilant Episcopi, ut servetur regula quarta; alibi vero remissius agendum censent, vel quod magis remotum sit detrimenti periculum, vel quod contra ipsas hæreticorum fraudes e fideli scripturæ versione potentius ac necessarium habeatur præsidium [2].

[1] Sic de Anglia et Hibernia testabatur Harney (c. XIX, n. 7), non ibidem biblia permissa fuisse vernacula, nisi accedente sacerdotum judicio.

[2] Utramque illam et cessantis quasi periculi et cujusdam necessitatis rationem latius deductam vide ap. ill. d. Malou, t. I, p. 68, et apud Harney, c. XIX, n. 5.

206 Regulis Tridentinis 4° libri, vulgari idiomate, de controversiis, inter catholicos et hæreticos nostri temporis, agitatis disserentes, bibliis, vulgari lingua redditis, æquiparantur (reg. VI.)

Cujus quidem legis, ait cl. Zaccaria [1] hic erat scopus; ut quum plerumque hæretici idiomate latino, paucis intellecto, religionem oppugnarent, eadem refutarentur lingua, nec indoctorum animi importunis disputationibus turbarentur. At vero brevi hæretici, apostatæ aliique religionis osores passim, linguis modernis, ecclesiam adorti sunt, erroresque suos populis afflare sunt adnisi : quapropter Tridentinæ dispositioni nequaquam contrarium; sed imprimis consonum fore arbitrati sunt summi viri, Bossuet, Frayssinous, Wiseman, Milner....; si, linguis pariter modernis, apologeticos de catholicorum heterodoxorumque controversiis ederent libros; quos etiam faventibus ubique Episcopis studiose divulgari conspicimus. Et hujus quidem rei faciendæ necessitatem jam pridem notabat em. Card. Pallavicinus, ex aliorum, quam suam faciebat, sententia, scribens : « Dum hæretici sua falsa dogmata, » sermone patrio, evulgabant; oportere antidotum affundere iis » fluentis, quibus fuerat diffisum venenum [2]. »

Docet tamen, loco cit., cl. Zaccaria; legem in suo permanere vigore, nec legi etiam hodie libros ejusmodi licite posse, nisi *servetur, quod de Bibliis, vulgari lingua, scriptis statutum est.* (Reg. VI.) Videtur igitur varia in hoc puncto esse regionum consuetudo; ut et varius esset, pro variis regionibus, legis effectus. In Belgio nostro generalis usus habet; ut hujusmodi libri passim, non rogata licentia, legantur : neque enim umquam ejusmodi licentiam petendam esse, aut petitam fuisse a quocumque audivi. Usus vero ille, utut a littera legis, quam potest, remotissimus, nequaquam, si res comminus inspiciantur, ita est abnormis. Quis enim, putas in Belgio, ubi omnimodis sacrosanctæ religionis hostibus permixti vivimus, ubi per millena leviora scripta ad omnium aures perferuntur, quæ adversum ecclesiæ doctrinam impii moliuntur, legis, juxta litteram intellectæ ac servatæ, futurus esset exitus? Numquid expedit viros quosque probos, qui scientia utcumque supra vulgus eminent, solide in religione erudiri; ut continuo parati sint omni poscenti rationem reddere de ea, quæ in ipsis est spe [3] et docte repellere, quæ indies auribus simplicium ingeruntur? Numquid adeo cavendum, ne petendæ licentiæ ambagibus absterreantur timorati, et

[1] *Storia polem.* l. II, diss. III, p. 2. c. 1, n. 8.
[2] *Hist. conc. Trid.* l. VI, c. XII, n. ult.
[3] I Petr. c. III. 15.

lectioni salutari valedicant, aliis otium impensuri libris? Numquid igitur legis finis cessaverit in contrarium, dum vere per diaria, fasciculos.... quæcumque religioni moventur adversa, vulgantur, refutationis vero eorumdem, hac lege servata, subtraheretur medium[1]?

Sunt interim ejusmodi libri, ut piis doctisque consulendi; ita pluribus, qui aut lectis catholicis, etiam acatholica legere præsumerent, aut in ipsis catholicorum scriptis objectionum aut dicteriorum hostilium terriculis perculsi, aut quæstionibus, nimio animorum æstu, agitatis, oculos mentis perstricti, offenderent; dissuadendi; immo et aliquando interdicendi.

Neque oggeratur odiosum omnibus et merito suspectum esse clancularium hunc agendi modum. Respondeo enim, id minime suspectum esse iis, qui noverunt religionem catholicam religionem esse multitudinis; quæ non tam ratiocinio, quam auctoritate ducitur: qua via qui instituti sunt, de propositæ ipsis ab ecclesia doctrinæ veritate securi, judicium proprium, nullo labore, suspendunt, atque ecclesiæ submittunt.

207 5° Libri, qui res lascivas seu obscœnas ex professo tractant, narrant aut docent, omnino prohibentur; antiqui vero ab ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur, ita tamen ut nulla ratione pueris prælegantur[2]. Hæc vero regula communiter intelligitur de libris, qui illicitos amores excitant; ita ut libri, v. g., chirurgici hac lege stringi non videantur.

208 6° Vetantur libri magici et divinatorii; quorum etiam librorum prohibitionem, cum et bonis moribus manifeste sint inimici, et sæpe similium usus in damnum tendat proximorum, cap. I et III, satis superque vindicatam existimo.

209 Tandem sequitur regularum sanctio his verbis: « Quod si » quis libros hæreticorum vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim » vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit » sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. » Qui vero libros, alio nomine, interdictos legerit, aut habuerit; » præter peccati mortalis reatum, quo afficitur; judicio Episcopo- » rum severe puniatur » (reg. 10).

Omnes igitur regularum illarum prohibitiones sub gravi, si materia ferat, obligare censendæ sunt; quædam etiam annexam sibi

[1] Non idem dicendum continuo est de aliis libris prohibitis: qui namque ejusmodi legere indigent et pauciores sunt, nec istiusmodi remoris solent irretiri.

[2] V. supra c. I. et III passim. Intellectus vocum: *ex professo*, declarabitur c. VI. sect. 5.

habent excommunicationem sententiæ latæ; sed ex hoc capite non reservatam. Ad has poenas respiciunt modernæ prohibitiones, cum dicunt : *sub poenis in indice contentis.*

Licet vero poena, quatenus in decreto expressa jacet, indeterminata sit et incerta; et verum dicat Espenius, cum ait [1] : « Pœnæ » variæ sunt pro varietate librorum prohibitorum; neque juxta » hodiernam Congregationis stylum solet exprimi, quo ex capite » liber proscribatur » : certum est tamen; falli auctorem cum absolute et simpliciter concludit : « Incerta manet pœna quam con» travenientes incurrunt. » Hoc enim esto verum sit; quatenus hæc sanctio poenalis, si sola, spectetur; non tamen si res consideretur in concreto : cum enim decreta s. Congregationis indicis remittant ad pœnas indicis; et aliunde sciatur; quod libri v. g. hæreticorum, etiam non mali, propter falsi dogmatis suspicionem prohibeantur; nullum superest dubium; quin similes libri sub pœna excommunicationis, regula 10, istiusmodi libris apposita, sint vitandi : id quod eo minus potest esse dubium; quod ipsis regulis, etiam antequam edantur decreta, vetita existant, ut latius docebimus, c. VI, n. 254 et seqq. Si vera Espenii assertio esset; dicendum foret; frustra Pontifices et ss. congregationes ad pœnas indicis amandare et revera verbis ludere, cum gravissimam etiam excommunicationis pœnam infligere præ se ferunt. (Cfr. c. VI, § II.) [2].

210 Sequitur, post decem indicis regulas, *Instructio* auctoritate Clementis P. VIII, regulis indicis adjecta; cujus prima pars, inter alias prudentissimas, quæ ipsam librorum prohibitionem concernunt, leges, Episcopis et inquisitoribus facultatem largitur, concedendi viris dignis, ac pietate et doctrina conspicuis, triennalem, vetitos legendi libros, licentiam (§ II) eisdemque simul et publicis universitatibus commendat confectionem indicis librorum, qui per eorum regna atque provincias, hæretica labe infecti, ac bonis moribus contrarii, vagantur (§ III) : id quod jam per ipsum indicem Tridentinum demandatum, et in Belgio, curante Phil. II, perfectum narrabamus, n. 175.

[1] *Jus univ.* p I, t. XXII, c. IV. n. 19.

[2] Aliud exemplum, in quo constet de pœna excommunicationis regulæ 10, poni potest in legente, retinente aut imprimente librum quemcumque; qui adstruit, SS. Apostolos Petrum et Paulum fuisse jurisdictione æquales. Constat ex decreto inquisitionis, quo Inn. X, anno 1647, istam doctrinam omnesque libros eam continentes, hæreseos damnavit et sub pœnis, *contra hujusmodi delinquentes statutis*, libros illos legere.... prohibuit. (Ap. Sotomajor, part. 2, p. 252.) Hodie in decretis generalibus, indici præviis, § II, n. II, legitur clausula generalis, præfatos libros constringens.

Secunda pars, *de correctione librorum* Episcopis et inquisitoribus [1] potestatem facit, quoscumque libros juxta præscriptum hujus indicis (Clementini) expurgandi (§ I); regulas deinde præscribit, quibus in hoc suo correctionis labore præcipue dirigantur. Eæ vero isthuc summatim referri possunt; ut præcidantur quæ religioni, bonis moribus, cultui sacro, potestati, tam ecclesiasticæ quam civili, adversa reperiuntur (§ II) [2]: « in libris tamen catholicorum » veterum, ait § IV (quia jam non tantum afferunt periculi) nihil » mutare fas sit; nisi ubi fraude hæreticorum, aut typographi in- » curia manifestus error irrepserit. Si quid autem majoris mo- » menti, et animadversione dignum occurrerit; liceat in novis » editionibus, vel ad margines, vel in scholiis adnotare; ea in » primis adhibita diligentia; an ex doctrina locisque collatis, ejus- » dem auctoris sententia difficilior illustrari; ac mens ejus planius » explicari possit. » Cfr. supra n. 146 [3].

In 3ia demum *Instructionis Clem.* parte, *de impressione librorum*, plura præscribuntur perutilia; quæ auctores et typographos, ipsumque impressionis modum respiciunt.

Præterea modernam indicis librorum prohibitorum œconomiam

[1] Ubi inquisitores nulli sunt, *solis Episcopis* a Clem. VIII expresse reservatur hæc facultas. Quapropter, non nisi dependenter ab Episcopis doctores ad certorum librorum expurgationem (quæ academiis catholicis per regulam 2 et 3 Tridentinas provincia demandata est) accingere se debent, et sine Episcoporum consensu irritum coram lege est, quidquid illi de libris vetitis, qui possunt expurgari, decreverint. Neque id ex sola Clem. VIII instructione colligitur. Ipsæ regulæ Tridentinæ secunda et tertia; ubi Episcoporum consensum accessisse ponunt libros *permitti* declarant; ubi vero illius consensus non meminere, tantum dicunt *permitti posse*, scil. ab Episcopis : in quo clare innuunt; facultates theologicas id proprio jure haud posse; et certe id faciendi potestatem eis nequaquam conferunt. (Cfr. supra c. II, § III.)

[2] Hic necessario adnotandum duco; non omnes libros, in quibus quædam occurrunt, quæ per regulas expurgationis delenda præscribuntur; idcirco purgationi esse obnoxios : etenim istæ expurgationis regulæ nullos libros prohibent aut expurgandos assignant; sed quid in libris, expurgationi obnoxiis, delendum sit, indicant. Contrarium eruere quis posset ex iis quæ tradit S. Alphonsus l. VII, c. II, n. 287, post Salmanticenses (de *cens.* c. IV, n. 73.) dicens : « ut autem agnoscatur, quinam libri expurgatione indigeant, dantur regulæ in *Expurgatorio Romano.* » loco dicendi : « ut agnoscatur quid in libris » expurgandis deleri debeat, dantur regulæ in *Expurgatorio Romano.* » Hoc vero Expurgatorium Romanum, saltem hodie, nullam, præ indice, vim habere, liquebit ex iis, quæ dicentur n. 294.

[3] Verbum hic dicendum de iis, qui in lucem missi fuere, indicibus purgatoriis : quia vero ad dandam distinctam eorumdem notitiam paullo longius excurrendum foret, remittimus ad notam G in fine operis.

moderantur *Observationes* Clem. Papæ VIII. jussu factæ circa regulam nonam; de Thalmudicis, cabalisticis aliisque nefariis Hebræorum libris, nunc omnino et sine ulla restrictione damnatis; deque libro Magnasoor, sola Hebraica lingua tolerando. Porro *Observationes* istæ passim etiam circumferuntur, ipsi indici præviæ.

Memorandæ præterea *Observationes*, ad regulam decimam, Al. Papæ VII jussu additæ, de non transmittendis alio libris imprimendis, nisi prævie censuræ ordinarii fuerint subjecti; et de dotibus eorum, quibus librorum censura demandatur.

211 Sequuntur modo decreta generalia de libris prohibitis, nec in indice nominatim expressis. Cum scilicet, ut in eorumdem decretorum titulo legitur, non omnes libri prohibiti « Singulatim describi in indice, propter eorum ingentem numerum possint; necessarium visum est; hujusmodi libros ad certa quædam capita revocare, ac per materias, de quibus agunt, eorum veluti indicem conficere; ut, si quod circa librum aliquem in indice non descriptum, aut in regulis ejusdem indicis non comprehensum, exoritur dubium; intelligi possit; utrum inter prohibitos sit computandus.»

Quocirca non immerito notat Zaccaria, quantum decipiantur; qui, non consultis regulis, decretisque his generalibus, librum, quem non in ipso indice descriptum inveniunt, illico ab omni censura immunem pronuntiant [1].

Porro hæc decreta, primum a Ricchinio, ex auctoritate Ben. XIV, adjecta, et a subsequentibus etiam Pontificibus confirmata, partim ipsos Tridentini Patres deputatos; partim summos Pontifices; partim ipsius congregationis indicis Cardinales auctores habent. Eorum vero auctoritas et authentica origo probatur ex mandato Leonis XII quod hodie in fronte indicis est conspicuum; in quo Pontifex decretis generalibus eamdem, quam regulis, Instructioni, Observationibusque, tribuit originem et auctoritatem : non tamen cum regulis eamdem sanctionem habent; nisi, ex intimis earum visceribus efformata, idem quid cum illis statuant.

Generatim iis decretis recensentur plurimi libri aliaque opera, ab hæreticis scripta vel edita, aut ad eos sive ad infideles pertinentia; libri quoque in quorumdam errorum patrocinium aut certarum factionum subsidium compositi; alii pertinentes ad certa quædam argumenta, citra necessitatem, nimio animorum æstu, quo pax Christiana lædebatur, agitata; ita ut, nisi alto utrique parti, præscripto silentio, animorum consensio obtineri non posset [2]. Proscribuntur

[1] Lib. I. ad an. 1758 in nota.

[2] Hoc quidem prohibitionis motivum manifestius apparet. Ib. § II, n. 4.

demum quædam imagines ac prætensæ indulgentiæ; quædam etiam ad ritus sacros spectantia.

212 Quæ post decreta generalia indici hodierno prævia leguntur, *Mandatum* Leonis XII et Monitum s. ind. congregationis, nuda sunt antiquarum dispositionum renovatio.

Hæc omnia statuta qui maturo sanoque perpenderit judicio facile deprehenderit; quam æqua sint et ad bonum commune necessaria : non mirum igitur quod ea tot insulsas a rectæ fidei omnisque morum honestatis osoribus tulerint oppugnationes.

OBJECTIONES.

213 Exposita disciplina recentiori Ecclesiæ Romanæ circa libros suspectos ac perversos, lustrandæ supersunt generales quædam quæ adversus illam moventur, difficultates.

Objiciunt autem contra prohibitiones Romanas, præsertim hæretici, ratione damni, quod religioni moribusque a Romanis inferri contendunt :

1° Ecclesia Romana proscribit libros hæreticorum; tametsi multa, ipso catholicorum judicio, in iis vera sint, optimeque deducta; ex quibus adeo proficere omnes possent;

2° Quin et scripta damnant, quæ innoxia ipsi habent, *in odium*, ut aiunt, *auctorum;* in quo manifestum est lividi animi indicium.

3° In profectum cedit veritati; quod legatur utraque rei controversæ pagina (le pour et le contre); etenim ex hac contrariorum collatione illucescit veritas.

4° In super quomodo sub severis illis prohibitionibus, veritati via patebit ad supremum principem; qui et ipse, homo cum sit, non semper sibi satis est sapiens : si hodie, ait ap. Francum (*Disq. acad.* n. 166.) Marcus Ant. Dedominis, altera ederetur ad Galatas epistola, Petri pendens errata, non eam origo divina a combustione servaret.

5° Sed quid mirum? Nedum curia Romana, in bonum utique suum, doceri desideret, aut saltem patiatur;

6° Omne hoc prohibitionis librorum negotium mera est pontificiorum, sibi consulentium, industria : quia, nempe, feliciter eos expugnant, qui undecumque iis imminent adversarii; consilium iniere examini subducendi libros, a quibus sibi timendum sentiunt. Applicandum hic quod Arnobius ethnicis, libros Christianorum exu-

declarante ipsa S. Congregatione; se nihil « statuere de meritis causæ vel ulli » auctori, aut operi ignominiam aliquam, vel notam malæ doctrinæ inferre » Cfr. supra c. III, quæst. VI.

rentibus, aiebat (*Adv. gent.* l. III.) « Supprimere libros non est deos » defendere; sed veritatis testimonium vereri. »

7° Immo hoc ipsum, ait Dedominis (§ 99 *Præf. l. de rep. eccl.*) cui et concinit Richerius (t. II *Hist. conc. gener.* p. II p. 245) hoc ipsum vehementer nocet; dum celatis periculis, ignorantur et defensionis media.

8° Prohibitionum Romanarum, ait Francus, [1] unicus finis est » stabilitio atque conservatio majestatis pontificiæ et dogmatum » papalium. » Hinc quidquid contrarium est dogmatis pontificis aut dominationi Romanæ, quidquid auctoritatem principum contra prælatorum usurpationes vindicat, aut conciliorum Episcoporumque potestatem a vexis curiæ pontificiæ, tribunaliumque Romanorum defendit; quidquid turpes pontificum mores prodit aut cleri tam regularis, quam secularis errata, ad rogum damnatur vel scalpellum subit purgatorium.

9° Regulas quidem habent contra libros, spurcitiarum labe fœdatos; sed hoc, inquiunt, ad fucum populo faciendum : nam, cum scripta etiam turpissima a suis fuerint edita, qualia sunt opera Sanchezii, Dellacasa.... frustra in indice librorum prohib. eadem quæsiveris.

214 R. ad 1 Hæretici vera habent, sed simul habent multa falsa. Hæc sola proscribi quilibet intelligit; propter hæc liber, alioquin, utilis, proscribi omnino debet; quia inde verum nascitur fidei moribusve periculum. Quæ igitur in eorum scriptis reperitur veritas, hauriatur ex fontibus limpidis. Paucorum hæc est prudentia et scientia, ut verum a falso, et proficuum a nocivo discriminent. Pauciorum ea est animi fortitudo; ut discretum seligant, reclamantibus licet passionibus; plerisque immo, ut ait s. Hier. [2], pia præeligenda rusticitas quam docta blasphemia : etenim « melius est aliquid nescire, quam cum periculo discere [3]. » Doctrina mala, aiebat vere Gerson, eo pejor est, quo plus boni, continet : quia scilicet, eo certius est deceptionis illicium.

[1] N. 166 et seq. Quam eamdem calumniam, licet sub variis continuo formis, ad tædium usque eo libro repetit ac probare in vanum attentat, præsertim nis 37, 81, 95, 108. seqq. ex quibus et nos quædam latius hic evolvimus. Mire illi concinit Pappus, de librorum expurgatione, Romanis usitata, dicens: « Tota ipsorum (catholicorum) expurgandi ratio in eo consistit; ut ne adversus » prava antichristi Romani dogmata turpemque satellitum ipsius et assecla» rum vitam ullum uspiam testimonium, aut testimonii vestigium supersit.» *Præf in ind. expurg.*

[2] Ep. ad Tranquill. 76.

[3] Idem, in *reg. monach.* t. IX, ed. Col. p. 198.

215 R. ad 2 Recole quæ dicta sunt supra, s. III, n. 141.

216 R. ad 3 Rationis, nimium sibi præfidentis, hoc est vaniloquium : ab exordio namque generis nostri ad hunc usque diem, in omni disciplinarum genere, præsertim vero in religionis morumque, quæ ad omnes omnino spectat, doctrina, via auctoritatis et magisterii, ut prima, sic et longe fuit præcipua, quia secus potior hominum pars, examinis intrinseci veritatum haud capax, scepticismo obvolveretur. Quid igitur? Cum veritas ab extrinseco certa probatur [1]; opus est aut expedit torquere rudium hominum cerebra subtilitatum quarumcumque non minus ardua, quam periculosa discussione? An forte ut quis credat existentiam superni numinis, necesse est, ut per omnes atheorum cavillationes deducatur? Aut ut legis civilis præscriptis se submittat quis; necesse est, ut obscurissimam potestatis civilis originem, et intricatas, de legitimo ejusdem usu, quæstiones excusserit?

Alter tamen sentit Romana ecclesia de viris doctis et solidis; quibus, ut scientificam habeant religionis cognitionem, utque ex oppositione veri, falsique proficiant; legem suam in dies relaxare provida non desinit; ut vestigent et discutiant utriusque partis argumenta; sublesta dispellant; solida seligant; et infirmiores in fide confirment.

Urgebunt tamen et dicent : cum veritas pro se habeat certa rationis momenta, et characterem nativum sibi, quem error induere non potest; nedum ex erroris expositione veritas obscuretur, contra non magis splendescere non potest : in damnum igitur cedit veritatis suppressio erroris. R. Pauci sunt, quibus otium suppetat; quo, post lectam unam controversiæ paginam, et alteram meditabundi decurrant; pauciores, quibus hæc sit voluntas; paucissimi quibus ea sit instructio; ut subtiliora de religione ratiocinia intelligant. — Facilius sæpe capitur et retinetur dicterium aliquod vel facetiosa in religionem calumnia, quam solida argumenta.

217 R. ad 4. Si vel « Frater tuus peccaverit, ait Christus do» minus, [2] vade et corripe eum inter te et ipsum solum.... si autem » te non audierit adhibe tecum unum vel duos. » Quid igitur? Si supremus sive civilis, sive ecclesiasticæ societatis Princeps deliquerit; erit publice denuntiandus? Sicut magis modestiæ consona;

[1] Genuinam apud Romano-Catholicos perseverare Christi doctrinam et ecclesiam, adeoque audienda, quæ Roma prodeunt disciplinæ statuta, non hujus loci est probare. Abludunt continuo protestantes; quum, oportune importune, quæstionem de vera ecclesia in medium adducunt; quasi vero hæc suo loco non penitus a nobis conficiatur.

[2] M. c. XVIII.

ita et magis tuta magisque simul efficacia sunt, quæ in similibus rerum adjunctis, Christiana prudentia suggerit media. Negamus igitur opus esse scriptis, in vulgus sparsis; ut veritas ad supremum Principem perveniat; negamus immo hanc esse viam, qua ad illum perveniat, ordinariam. Negamus proin eum legum ecclesiæ, circa perversos libros, scopum esse; ut hunc veritati aditum præcludat. Audemus porro et dicimus : si qua lex particularis, per abusum, hujus, circa libros, potestatis prætextu, eum in finem ferretur; lex foret injusta ac nemini adeo observanda.

At, inquient, fieri potest, ut omnis ad Principem via terrore obsessa sit; Princeps autem auctoritatis cujuscumque, tam sacræ quam profanæ monita spernat, omnique prorsus voci amicæ et secretæ sit inaccessus.

R. Nego supponi posse quod per octodecim secula ne quidem semel factum est; ut hujusmodi hypothesis prætextu, quæ aliunde salutares ac necessariæ probantur, leges conculcentur. Ceterum fingatur et hæc, iniquissima, quæ fingi umquam possit, hypothesis. Quid inde? Numquid, si nulla esset circa libros lex, aut etiam potestas; qui tyrannice imperat, idem facere poterit? Non itaque ex lege aut potestate; sed ex usurpatione et potestatis abusu malum oritur. Utique nec leve malum foret; sed tale, cui, quantum ad ecclesiam spectaret, mederi solus ille posse videtur qui pollicitus est cum ecclesia sua permanere « Omnibus diebus, usque ad con- » summationem seculi. » (Matth. ult.)

Has quidem summas rerum angustias allegabant dd. Protestantes antequam concilium Trid. celebraretur; ast assertioni eorum non favent, quas, ut hodie, etiam tum conspicuas videre licebat ss. Pontificum relationes sanctas atque intimas cum Cardinalibus virtute eminentibus[1]; cum Episcopis zelo et libertate apostolica illustribus : non favet cultus ab iisdem Pontificibus singulariter semper impensus, viris sanctitate, per orbem, insignibus; quorum beneficentia et intrepida, ad omne bonum, mens, ab ipsis religionis catholicæ hostibus celebratur : non favet super omnia, jam a trecentis, et amplius, annis, ecclesia Romana, præ quacumque secta et nominatim, præ reformatorum cœtu, ad hunc diem per orbem, quod sincerus nemo negaverit, eminenter conspicua; ut, si constare sibi velint, fateri jam cogantur ipsa facti evidentia, excidisse jam diu divina Christi promissa.

Quod vero objicit Ant. Dedominis, injuriosæ sunt facetiæ; quæ eodem, quo effutiuntur, negatur jure. Ceterum fuerit olim et Judas

[1] Cfr. *Vogage du R. P. Degeramb, de la Trappe à Rome*, lettre 24me.

in collegio ipso apostolico, numquid eo minus Apostolorum sanctus erat cœtus, sub capite Christo; a quo omnis in illum sanctitas et potestas derivabatur? Sit igitur in ecclesia vel in ipsa hierarchia sacra duodecimus quisque sacrilegus manifestus; quid inde, quæso, detrimenti ipse ordo hierarchicus patietur? Sit et Petrus negator; an minus Apostolus?

218 R. Ad 5. Nego: nempe, secus atque apud protestantes accidit, qui, ex suo principio, gratiæ numquam resistentes, omnem cujus capaces sunt, continuo attingunt perfectionem, hoc alte menti ecclesiæ Romano-catholicæ insitum ab initio fuit, semperque mansit: quidquid divinitus sibi concessum fuit, quam religiosissime custodiendum esse et observandum; quidquid vero contra ab hominibus est, perficiendum continuo; corruptam esse et valde imbecillem naturam humanam; ac proin, quæ ab illa emanant, semper imperfecta esse, sæpe mala aut etiam pessima; et adeo sæpe resecanda et corrigenda; semper perficienda et polienda [1]. Hoc probat indefessa ecclesiæ sollicitudo, in conservando deposito fidei, sacramentorum et sacræ jurisdictionis suæ; quibus, utpote divinæ liberalitatis muneribus, gloriatur; quæ et semper ad primitivæ formæ rationem retinere, qua conciliis, qua statutis laborat. At oppositus omnino ecclesiæ agendi modus est, ubi de moribus hominum agitur; hic enim hortatur, excitat, obsecrat, urget consiliis, præceptisque suis; ut ad meliora quique contendant; ipsam disciplinam suam et sacræ potestatis usum ad rerum adjuncta accommodare et perficere semper studuit: huc tot statuta summorum ecclesiæ Pontificum et Episcoporum; huc tot synodi, non modo particulares sed et generales, a summis Pontificibus vel proprio motu vel e consilio sanctorum virorum coactæ, ad quas evocabatur quisquis in orbe doctrinæ et virtutis laude florebat; in quibus nec summis parcebatur nec infimis; sed sancta libertate omnibus sua proscribebantur officia. Relegantur acta tot conciliorum pseudo-reformationi præviorum; recolantur barbaræ, ad medii ævi exordium, Europæ, sub illius finem castigati mores; recolantur et ingentes labores a sanctis Pontificibus Greg. VII. Inn. III, aliisque suscepti; ut pristino decori restitueretur, qui a tempore dilapsus erat, ordo ecclesiasticus; recolantur quæ jam ante Lutherum omni ordini salutares correctiones inductæ, quæque etiam imminente jam pseudo-reformatione, adhuc indies parabantur suscipiebantur salubres reformationes [2]; et dicatur, quæso, an ecclesia Romana

[1] *Revue cathol.* Liége, t. I. p. 22. et seqq. prælibata ex cl. Möhler.

[2] In prima concilii Trid. sessione a Patribus quæsitum fuit: « placet ne » vobis... ad reformationem cleri et populi Christiani.... declarare sacrum

illuminari et reformari per quæcùmque a Deo ordinata media detrectet. Immo nedum ecclesia Romana illuminari aut corrigi aspernetur; vel ab ipsis hostibus suis consilium accipere, non fuit dedignata; quoties id ad verum et bonum conducere potuit.[1] Conferantur pseudo-reformatorum in ecclesiam Romanam accusationes, cum sapientissimis, quæ in Tridentino sancita sunt, decretis; et mirabitur quis benignitatem sanctæ matris ecclesiæ; quantum

» Tridentinum et generale concilium incipere et inceptum esse? » Numquid non omnes responderunt : placet? Numquid non, ipso Paulo III jubente, conscriptum et exhibitum fuit *Concilium delectorum Cardinalium et aliorum prælatorum de emendanda ecclesia?* Et, antequam surgerent recentes reformatores, nonne, in conc. Lat. v, sess. 1. « Lectum est diploma indictionis » concilii ad... ecclesiæ reformationem » ? Numquid non ejusdem concilii sess. VI. Leo X... deputationem eligi curavit prælatorum, ad reformationem generalem etiam curiæ Romanæ; et in sequentibus sess, plurima sancita fuerunt saluberrimæ reformationis decreta? V. ipsum Nat. Alex., qui si numquam, certe non hic in negotio concilii, contra schisma Gallorum, a prælatis, pene Italis, ut ait celebrati, censebitur nimium favisse curiæ Romanæ (in sec. XV et XVI, diss. XI, art. 5.) Nec dissentit ipse d. Guizot in opere : ***Hist. génér. de la civilis. en Europe*** ecclesiam medii ævi nobis exhibens, totam propriæ intentiam reformationi : « occupée de se réformer elle-même. » Leçon 6e.

[1] In ipsa, qua in versamur materia, videre est; plus vice simplici Pontifices detulisse reformatorum querelis. Confer *Instr.* Clem. VIII et const. Ben. XIV, *sollicita*, in quibus non una obvia est ordinatio, votis concessa hæreticorum; qui aliqua, verum est, æquitatis specie nitebantur; non tamen jure expostulabant; præsertim cum eædem illæ, quoad substantiam, regulæ, licet alia sub forma in ecclesia Romana antea fuerant servatæ; ut protestatur Ben. XVI ibidem, § 2. Inferebant v. g. quod per expurgationem librorum deciperentur emptores, qui inscii opus mutilum sibi comparabant; quodque ss. Patrum opera sectione læderentur. Ecclesia igitur, quamquam in ordine ad bonum subditorum, vel ipsa Patrum scripta suæ subjecta nosset dispensationi; ut primum licuit, maturiori consilio, suam moderari disciplinam, etiam leviusculis illis fecit satis postulationibus : statuit, scil. ut, in fronte libri, correctionis factæ mentio fieret; Patrum vero opera, non resectione sed adjectis ad calcem notis, ubi opus esset, emendarentur. V. *Instr.* Clem. VIII *de corr. et impress. librorum* vel supra n. 150 et 155. Cfr. etiam, n. 188 et 189 monita Ben. XIV cum objectionibus, quas ibidem et c. I, ex adversariis hujusce disciplinæ delibavimus.

Neque hoc novum aut momentaneum in ecclesia est; quasi ad fucum faciendum, ad tempus, introductum : nam et ipsi Apostoli, murmurantibus Græcis adversus Hebræos, quod despicerentur in ministerio viduæ eorum; a discolis occasione accepta, diaconos in ministros ordinarunt ecclesiæ (Act. VI, 1). Qui igitur tum spiritus erat nascentis, et nunc spiritus est adultæ et florentis; ut, undecumque occasione accepta, ad sui perfectionem proficiat.

licebat, dignantis sese accommodare ipsis, quæ vel minimam veritatis speciem præ se ferebant, hæreticorum querelis. Forte sine Luthero et Calvino, numquam, aut saltem non nisi longo post tempore, ad eam pertigisset, ecclesia disciplinæ perfectionem; ad quam dudum aspirabat; quemadmodum et sine Nerone et Maximiliano numquam tam gloriosis gavisa fuisset martyribus. Insistentibus namque hostibus, omnium conspirant consilia, tenduntur nervi, conferuntur labores.

Permittere tamen numquam Ecclesia aut debuit, aut potuit; ut privatus quisque, proprio suo nomine, in contemptum auctoritatis ecclesiasticæ, qualemcumque auspicaretur reformationem : hoc enim, nedum in ædificationem corporis Christi, in certum contra ejusdem vergeret destructionem.

Eo etiam plurimæ patent exceptioni reformationes ejusmodi privatæ; quod reformare plerumque gestitent, qui reformatione primi ipsi indigent [1]; quodque, contra laudatam Christi promissionem, a vera doctrina defecisse ecclesiam prætendentes, ipsi, nullis probatis missionis divinæ documentis, novum fundamentum ponere præsumant, præter id quod a Christo positum est [2]; solam, nempe, scripturam, privato cuique, ad libitum permissam, discussam, admissam, rejectam, intellectam; verius, ipsam privati cujusque rationem.

219 R. ad 6. Nego Franci assertum.

Ad probationem, distinguo : ecclesia quædam subtrahit examini leviori et temerario, præcipue simplicium et incapacium, C. omnia subtrahit aut omnibus, etiam capacibus N. et ad rationem, iterum dist. quia timendum censet; subjective, iis qui legunt, maxime simplicioribus; C. : objective seu religioni vel propriæ suæ existentiæ; nego : etenim ecclesia, divinis stabilita promissis, de sui religionisque, ad consummationem usque seculi, existentia longe est securissima : octodecim seculorum, quibus a gentilium philosophis, a persecutorum crudelitate, ab hæreticorum subtilitate et fallacia, a barbarorum ruditate, a corruptionis et incredulitatis machinationibus omnigenas perpessa est impugnationes, experientia nos docuit;

[1] V. Audin, *Histoire de Luther* et *Histoire de Calvin;* Lessium, *Quæ fides et religio sit capescenda*, c. IX, § 5.

[2] Hujus vero unitatis tam corporis quam fidei fundamentum tam immobile voluit Deus; ut, in bonum ecclesiæ, ipsos spiritus prophetarum prophetis subjectos fecerit et doni linguarum usum ecclesiæ subdiderit arbitrio; nisi forte d. Paulum læsæ majestatis divinæ reum agant protestantes; quod (I ad Cor. c. XIV) ipsis supernaturalibus Dei donis modum posuerit.

nihil nec doctrinæ illius nec sūæ ipsius existentiæ timendum illi esse [1] : sed eadem quoque experientia edocti sumus, multum timendum esse fidelibus, ne erroribus circumveniantur; præcipue quidem simplicioribus; attamen etiam doctis, præsertim, si suo nimium confidant ingenio : nec modo personis singularibus; sed et integris provinciis et regnis. Ideo prudentiæ et officii fuit ecclesiæ fideles laqueis subtrahere, ut sapienter monet Gauchat [2].

Et quidni? Numquid de artibus et scientiis judicant earum rerum periti? Quis sutor cum sit, intricatas de lege civili quæstiones dirimere sanus præsumat? De sola igitur religionis, quæ tam sublimis est, scientia judicium sibi sumant omnes, docti juxta et indocti? Fateor, religionis cognitio ad omnes pertinet; et hoc, nedum quoad ipsa ejusdem prima elementa; sed qua secure ad eam pertingere possint, etiam quoad remotiorum et abstrusarum fidei veritatum cognitionem. Harum etiam notitiam, quia non salutaris esse non potest, ecclesia, pro fidelium capacitate, quam latissime propagare numquam desiit. At non omnium ea doctrina atque prudentia est; ut iis, quæ adversus religionem torquentur, cavillis turbari se non sinant : turbatione orta sæpe ulterioris examinis occasio, voluntas aut capacitas deest; et sic plurium exponitur aut misere perit fides. Provide idcirco, quod prudentia generatim vitandum dictat, ecclesia positivo præcepto vitandum statuit; nisi cessante periculo, ipsius postulatus fuerit assensus.

Ecclesia tamen, certa, nihil detrimenti capere posse veritatem ex collatione erroris, numquam omisit, pro tempore et loco, per doctores suos illa qualiacumque, quæ religioni adversa ferebantur, argumenta, fidelibus ejusmodi doctrinæ capacibus, ad solidiorem eorumdem in fide instructionem, exponere, et adnotatis responsionibus refutare : qua præcautione adhibita, non timendum censuit, si illa omni vi sua candide proponeret : id quod a doctoribus catholicis sincere factum fuisse, patet ex iis, quæ nobis ss. Patres conservarunt ex Marcione, Ario, Celso, Juliano... non minus stringentia, quam quidquid recentius hæretici aut increduli contra religionem catholicam congesserunt [3].

Ad textum Arnobii, N. paritatem et consequentiam : etenim pagani comburebant, quos non noverant, vel quos refutare non poterant libros; catholici, argumentis supernaturalibus de veritate

[1] Cfr. Aug. Nicolas, *Études philos.* III[e] p. ch. VIII, ubi hoc doctrinæ cath. punctum, pro ævi nostri circumstantiis, præclare tractat.

[2] *Lettres crit.*, t. IV, lettre 41, p. 189.

[3] V. Bergier, art. *Livres défendus*. V. *si en défendant*.

suæ religionis merito persuasi; supprimunt scripta falsa et erronea, quorum centies refutarunt vitilitigationes.

220 R. ad 7. Nego; cum ex dictis ecclesia Romana nec sibi nec fidelibus magis instructis pericula subducat; nec scientiam nec media defensionis subtrahat.

221 R. ad 8. Non hujus loci est, singulatim ecclesiæ catholicæ dogmata ab impacta novitatis accusatione purgare; id abunde suis locis præstant, qui scientiam dogmaticam ex instituto tractant.

Quod vero supremam atque independentem ecclesiæ potestatem spectat, adversariorum foret, probare; quod illa principum potestati præjudicet; aut quod ecclesia in horum jura involet. Probent insuper quod Romani Pontificis suprema, qualem in totam exercet ecclesiam, jurisdictio, non aliud sit quam arbitraria, in concilia et Episcopos usurpatio. Nos certe ex ipsis, quibus ecclesiam suam divinus Salvator fundavit, verbis hanc ab omni principum civilium potestate immunitatem ostendimus [1]; et ex ipsa primatus in ea divinitus constituti notione, summi Pontificis supremam derivamus potestatem, quæ nulli possit sibi subjecto et obnoxio juri repugnare [2]. Hæc sane ubi probata existunt; non est quod accusemur damnare eos, qui sacram hanc potestatem eversuri tendunt, libros; quum præ ceteris perniciosius sacræ doctrinæ depositum eos labefactare, minime sit dubitandum.

Quid vero crimini detur, occultare vitia, quæ ipsos aliquando clericorum gradus, et sacra subinde religionum penetralia maculârunt? Plurima quidem fuisse in hoc genere ab ecclesiæ hostibus conficta, aut saltem præter modum exaggerata, recentiores de historia medii ævi labores [3] comprobarunt. Sed et si qua vera depre-

[1] V. Laur. Veith. *Richer. system. confut*, s. 2, c. II, § 56 et seq. et Fr. Ant. Zaccariam in *Antifebronio*, t. I, diss. I et in *Antifebronio vindicat*, p. 1 diss. II, c. I.

[2] Cfr. Joannis Devoti, *Instit. canon.*, l. I, passim, præsertim, tit. III, n. 17 et 18 et quos ibidem producit auctores, minime suspectos.

[3] Cfr. præter auctores citatos capite I, n. 90, cl. Muzzarelli opusc. *Abus dans l'église*, ubi prudenter monet : quemadmodum *necesse est, ut veniant scandala* (Matth. XVIII. 7), et quemadmodum oportet *et hæreses esse* (I ad Cor. XI. 19); ita et abusus esse et necessario esse *in ecclesia*, non vero *ecclesiæ* vel *ab ecclesia*; cujus hoc semper officium est; eos qui nascuntur, abusus coercere. Sint vero abusus isti modo plures, modo pauciores, modo leviores, modo graviores; siquidem ipsius ecclesiæ non sint, ecclesiam proprie non deturpant; ut propter eos schisma facere aut rebellionis levare vexillum, ulli umquam fas esse possit. Ceterum ipsemet Erasmus, certe antiquæ ecclesiæ non inquus æstimator, instituta veterem Christi ecclesiam inter ac moder-

hendantur, merito a simplicibus absconduntur; quibus magis foret scandalo, videre personarum infirmitates; quam ædificationi contueri ipsius religionis semper puræ et sanctæ majestatem, divinæque super ecclesiam providentiæ actionem; quod jam non visibilem, ut in prævaricatione Petri et Judæ, Christi præsentiam apprehendant. Defungantur adversarii nostri impiorum Cham et Chanaan, in infideles, si quando existant, superiores malitia : probi Japheti vestigiis inhærere semper piorum pars erit fidelium; quoties eos, quos sibi præpositos verentur, humani quid pati conspexerint.

222 R. ad 9. Per hoc ipsum quod libri obscœni regulis generalibus comprehendantur, ab omnibus prohibiti et vitandi sunt habendi [1].

Ceterum minus efferbuerit, seculis elapsis, zelus hisce libris, indici nominatim inserendis, quam libris religioni et ecclesiæ adversis; quid mirum? Tunc enim et rariores illi mittebantur in lucem et emissi minus quærebantur studiose : hodie, ubi veram advertere dolemus insaniem, ejusmodi scriptis tum evulgandis, tum lectitandis; frequentius quoque videre licet, ea syllabatim referri in indicem ab ecclesia; quæ suam semper actionem temporum novit adjunctis accommodare. Et hæc quidem ratio, ea temporum, quibus index una cum regulis concinnatus fuit, adjunctis desumpta, probatur ex Pii IV bulla, indicis confirmatoria, *Dominici gregis;* in qua occasionem indicis adferens, unice memorat libros ab hæreticis editos; qui vel doctrinæ, vel moribus et pietati præjudicium inferebant; quia scilicet nondum tunc inter catholicos invaluerat, quæ nunc cernitur, populorum mores depravandi libido; melius dixerim, turpe opificium.

Opus Sanchezii et similia non magis debent obscœna dici, quam scripta de arte medica et chirurgica. (Vide supra, c. III, n. 117.)

Amorosa poemata Dellacasa, fœtus delirii juvenilis, reprehensione digna sunt; at censuræ nominatim non subjecta propter allatas modo rationes, præsertim cum integra, quæ subsecuta est, auctoris vita moresque puri juventutis scripta damnando retractarent; ipsa vero jam oblivione deleta, per censuram, fuissent in plurium offensionem resuscitanda [2].

223 Obj. 2. Ex abusibus potestatis hujusmodi in ecclesia Ro-

nam collatione, ostendit non esse quod huic suam exprobrent minoritatem adversarii. V. apud Balmes, *le protest. comp.* in append. note 5e.

[1] Hanc doctrinam indubitatam latius evolutam et stabilitam vide infra, c. V, n. 254 et seqq.

[2] Feller. *Dict. hist.* art. *Case.*

mana. In primitiva ecclesia, ait Junius [1] a sanctis Episcopis observatum fuit ut damnosa scripta 1. « non clanculum, sed palam; non » fraude sed veritate; non arte sed virtute spiritus oppugnarent » atque debellarent; neque violentis interdictis, sed æqua commu- » nicatione, sermonibus, disputationibus, scriptis denique (si forte » nullus erat communicationum fructus) subruerent. »

2. Hanc porro agendi rationem, inquit, « Christus imperavit, » natura docet; charitas postulat; ordo ecclesiæ exhibet, et Apos- » toli sanctissime prosecuti sunt... non ignorabant aliter fora agere » in causis civilibus, aliter ecclesias in spirituali divinoque argu- » mento; illic enim rationem præesse, hic fidem. »

3. « In quam (fidem) Petrus, Paulus et omnes Apostoli negant, » dominatum ad se pertinere »; quam tamen dominationem, seculis istis, sibi usurpavit ecclesia Romana.

4. Ex quo tempore totum hoc negotium arbitrarie, pro cujusque Pontificis aut Episcopi lubitu, expeditur. Cujus rei unum juverit producere documentum : Clem. VIII omnino damnavit libros Hebræorum; quos Leo X, probata Reuchlini (alias Capnionis) et Galatini sententia, simpliciter permittendos censuerat; Pius autem IV, sub certis limitationibus indulserat [2].

5. Manifesta etiam cum auctorum injuria et evidenter sine causa hanc librorum carnificinam exercent Romani : etenim inauditis auctoribus, et ne indicata quidem suffixionis ratione, in indicem mittuntur scripta, tanta cum severitate, ut nec ipsa Card. Bellarmini opera fuerint præservata : immo et s. Thomæ Aquinatis scripta ab Episcopo Parisiensi et s. Francisci Borgiæ pia quædam opuscula ab inquisitione Hispanica proscripta fuerint.

6. Hinc et apud ipsos Pontificios nulla est istiusmodi prohibitionum religio : cum enim Joannis Capnionis *Speculum oculare*, olim a Leone X, susceptum et damnari vetitum; post monachorum inquisitorum in illud animadversiones, Paulus IV, et ex eo Tridentinus, ut aiunt, index prohibuissent; censores Duacenses, et ex illis auctores indicis expurgatorii Philippi II, re suo tribunali submissa, et Paulum IV, et ipsum œcumenicum concilium erroris taxarunt, librum illum sua, privatorum theologorum, auctoritate permittentes [3]. In indice etiam expurgatorio Phil. II Bertrami librum,

[1] P. 5. *Præf. ad ind. expurg.*

[2] Jac. Laurentius, *Dissert. hist. de libris gentilium... permittendis*, s. 2. n. 3, 8 et 9.

[3] Ita Pappus, l. c. et Jac. Laur. l. c.

De corp. et sang. domini, indice Tridentino prohibitum, censores catholicæ majestatis indulgent [1].

224 R. ad 1. Idem adhuc hodie in ecclesia Romana, mansuetudinis spiritus perseverat, qui fuit ab initio. Quia vero ad reformationis suæ tempora pedem continuo referunt adversarii; recolamus, quis fuerit spiritus Pontificum Romanorum, etiam postquam millenis injuriis et calumniis divexata fuerat ecclesia Christi, omnes undique convocantium ad concilium Tridentinum; quis spiritus Patrum Tridentinorum; cum sæpius dissidentes ad concilium evocarunt; amplissimaque eisdem procurarunt libri commeatus diplomata (sauf-conduits); quis eos egerit spiritus in negotiis agendis et decidendis, et in habenda querelarum, quæ a dissidentibus proferebantur, quotiescumque licuit, ratione, ut passim videre est apud Pallavicinum et in ipsis concilii Tridentini actis [2].

Numquid frustra exhaustis, quæ salva fidei morumque doctrina tentari poterant, mediis, debuit ecclesia cedere factioni, audire renuenti? An hic erat spiritus primitivæ ecclesiæ; ut resistentem et pervicacem Arium, Nestorium aliosque impunitos dimitteret; et eorum, cum de perniciosis constabat erroribus, opera et doctrinam, canceris instar sineret proserpere? Quem igitur ecclesia primitiva exhibuit spiritum mansuetudinis, eumdem et ecclesia moderna pro circumstantiis, exhibere novit; et si quem edictis suis, ne malum dissimulatione crescat, zelum præfert, abs primævæ ecclesiæ moribus non discedit.

An forte adversariis nostris recentius divisus est Christus; ut moderna ecclesia mansuetudinem Christi solam imitari debeat; numquam vero exemplo divini magistri sui, ira uti aut flagello, ad ejiciendum qui templum Dei violaverint, [3] et cum eodem hypocritis exprobare « vos ex patre diabolo estis » [4]; aut cum Apostolo, anathema dicere, si quis evangelizaverit præter veram Christi doctrinam [5]; ac præcipere, ut vitetur consortium hominum subversorum et cum ejusmodi nec cibum sumere [6]?

225 R. ad 2. Dist. via mansuetudinis sequenda, quando nihil

[1] Confer. ind. exp Phil. II ad V. *Capnio* et *Bertramus*. Garrit etiam Francus, *Disq.* n. 187, a multis, religioni pontificiæ addictis, prohibitiones et expurgationes parum curari.

[2] V. conc. Trid. sess. XIII, XV et XVIII.

[3] J. c. 2, 15.

[4] Ib. VIII, 44.

[5] Ad. Gal. 1, 8.

[6] I ad Cor. v. 11.

obstat C. : secus, v. g. cum pars dissidens renuit audire vel alia quacumque ratione nullus vel parcior speratur fructus, N. Utra autem in casu particulari semita sit tenenda, an mansuetudinis, an justæ severitatis, ad judicem spectat, pro sapientia sua, discernere. Si imprudens erret, Deo judici reddet rationem.

Porro aliter agunt fora civilia, quæ illico ad pœnas corporis afflictivas procedunt; aliter fora ecclesiastica, quæ cum ipsius delinquentis emendationem respiciant, ægre ad pœnas recursum habent.

Ceterum in his quæstionibus factorum personalium, nullibi fides, sed in utroque foro ratio præsideat, necesse est; quæ tamen in foro ecclesiæ magis a fide et charitate movetur, in foro autem civili, quasi a sola justitia.

226 R. ad 3. Neque ecclesia in fidem dominatur : quod dicunt, non probant adversarii. Immo nec in disciplina dominatur ecclesia; ut pro arbitrio regat suo : solummodo in ædificationem corporis Christi exserit potestatem suam, tum legislativam; tum etiam, cum necessitas cogit, vindicativam : in quo quidem exemplo ducitur Apostolorum; quorum Paulus incestuosum Corinthium Christianorum communione privavit[1], et Hymenæum atque Alexandrum tradidit satanæ in interitum carnis, ut discerent non blasphemare[2]; Joannes vero et ave dicere vetabat ei, qui falsam afferret doctrinam[3].

227 R. ad 4. Jam satis superque dictum est; totam hanc rem disciplinarem esse; ac pendere adeo a temporum locorumque adjunctis; ut quæ hodie prohiberi minime debent; cras, mutatis circumstantiis, vetari expediat; præsertim, si forte tristis docuerit experientia, non sine damno, quosdam toleratos fuisse libros.

228 R. ad 5. Respondet Card. De Lugo[4] « Immerito sæpe auctores conqueruntur, quod nec citati nec auditi condemnentur : hoc enim necessarium esset; quando causa ageretur contra auctores, ut reos : secus vero est; quando agitur solum de bono subditorum procurando; licet inde indirecte auctoris nota aliqua subsequatur. Nam et pater-familias punire non potest filium alienum, nec eum corripere; potest tamen filios proprios ab ejus consuetudine separare. » Hanc vero notam sibi ipsis adscribendam habent, ex eo, quod neglexerint censuram præviam operis imprimendi.

[1] I ad Cor. v. 5.

[2] I ad Tim. c. 1, v. 20.

[3] Ep. III, v. 10. Cfr. ill. de Boulogne, *Instruction past. sur l'impress. des mauvais livres*, p. 32 et seq.

[4] *De fide*, disp. 21, s. 2, n. 26.

Eadem illa Cardinalis De Lugo adnotatione manifestum efficitur; injuria etiam conqueri auctores; quod nulla ipsis declaretur suffixionis causa. Nulla enim ipsis infertur actio: etiam tunc, quando liber non modo prohibetur sed et proscribitur; solis lectoribus cautela adhibetur[1]. Recte vero hæc compendiosa silentii via eligitur; ne, quemadmodum ait Papebrochius [2], litium infinitarum occasio præbeatur.

Verum quidem est; etiam per modum pœnæ libri prohibentur; attamen hic, alter proscriptionum finis, priori fere supervenit, neque in ulla prohibitionis sententia invenitur solus; nisi forte ubi scriptoris malitia nulla quiverit tergiversatione occultari.

Est autem et alia ratio, quæ vetat improbare « Librorum prohi- » bitiones, inauditis auctoribus factas; quum præsertim credendum » sit, ait Ben. XIV, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinæ suæ » defensione potuisset auctor afferre, id minime a censoribus aut » judicibus ignoratum neglectumve fuisse.

« Nihilo tamen minus, pergit Pontifex, quod sæpe alias, summa » æquitatis et prudentiæ ratione, ab eadem Congregatione (indicis) » factum fuisse constat; hoc etiam in posterum ab ea servari mag- » nopere optamus; ut, quando res sit de auctore catholico, aliqua » nominis et meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis de- » mendis, in publicum prodesse posse dignoscatur; vel auctorem » ipsum, suam causam tueri volentem, audiat; vel unum ex con- » sultoribus designet, qui, ex officio, operis patrocinium defensio- » nemque suscipiat[3]. » Ibidem n. 9 statuit Pontifex, ut ea habeatur auctoribus, quorum spectata fides sit, humanitas; qua dextere insinuetur, quid delendum sit vel corrigendum, ut supprimi proscriptionis decretum possit.

Quam vero objiciunt, inauditam severitatem, refutant quæ supra n. 188, ex Ben. XIV, constit. *sollicita*, delibavimus, censoribus et relatoribus nec non ipsis consultoribus ac judicibus enixe commendata; refutatque integra quam exhibuimus indicis moderni œco-

[1] Merito igitur etiam hic a s. congregatione emendatus fuit Theoph. Raynaudus, qui in suo *Erotematum* libro, n. 504, edicebat: « Nec sufficit ipsos » inter se censores aut judices causam condemnationis proponere; sed ipsi » quoque auctori, cujus liber damnatur, patefacienda est... ita plane postu- » lat, præter justitiam, charitas; quæ spectare debet fratris ab errore libe- » rationem. » Aberrat auctor ipso prohibitionum fine; quasi hic necessario sciptoris vindicta, aut emendatio sit; cum tamen pene de fidelium salute agatur.

[2] *Responsionum*, t. II, p. 469.

[3] In const. *Sollicita*, n. 10.

nomia; cujus æquissimis sanctionibus, ad edita in dies opera, nude applicant ss. congregationes.

Ceterum sicut lectorum interest; ut quidquid vere offensivum in libris occurrit, ab eorum amoveatur oculis; ita quoque scriptorum refert; ut nominatim ante primam operum editionem, quam severissime, si minus vere scripta sint, castigentur; ne sero doleant scandalo fuisse, jamque frustra laborent emendare, quod per latum orbem est dispersum; utque eo avidius expetantur et religiosius conserventur libri, quo fideliores agnoscuntur veri bonique præcones.

Quoad card. Bellarmini opera, quæ indici fuissent inserta, respondeo : nullum opus piissimi et eruditissimi Cardinalis reperiri neque in indice hodierno, neque in indice Al. VII, neque illo Clem. VIII aut decretis, quæ, a Clem. VIII et Al. VII condita, prostant apud Sotomajor [1].

Respondet tamen s. Alphonsus de Liguori [2], « Jure merito opus-« culum quoddam Bellarmini traditur fuisse vetitum.» Nec mirum cuipiam videatur, quod sanctorum eruditissimorumque virorum opera subinde prohiberi debeant aut expurgari : si enim magnus ille olim fatebatur Augustinus, errare se posse; quis ab errore se glorietur immunem? Si error est in libro cujuspiam, quis ecclesiæ jure succenseat catholicæ; quod cautelam adhibeat, ne sub, magni nominis umbra, proserpat error? Præterea non uno titulo prohiberi posse opera, etiam in se non mala, pandimus supra, c. III, passim; et liquet apud Sotomajor, in prolegomenis. p. xxx, adnot. 1.

Scribit quidem Fuligatus [3], Sixtum V. circumventum fuisse; quasi in tomo 1 *Controversiarum* l. v. de *Pontifice*, Bellarminus potestati Pontificiæ detraxisset; ita ut ejus opera, donec recensita fuissent, indici insererentur : verum non indici, sed propositæ ad ampliorem inquisitionem et discussionem futuri indicis delineationi *Controversiarum* tomum 1, agentibus Bellarmini detractoribus, a Sixto V insertum fuisse, docet nos ipsa indicis historia [4]. Sixtus enim V indicem non edidit; utpote opere infecto, vita defunctus.

Quod vero spectat ad prohibitiones a judicibus inferioribus factas; concesso etiam, quod aliquando acciderit; ut judices subalterni sua abuterentur potestate; numquid idcirco vel deneganda

[1] *Index libr. prohib. et expurg.* parte 2da.

[2] In *diss. de libris proh.*, c. IV. n. 24.

[3] *Vie du card. Bellarmin*, trad. par Pierre Morin, c. XI.

[4] Cfr. Zaccaria ad ann. 1592; hic supra, n. 177; Gosselin. *Pouvoir du Pape au moyen âge*, éd. de Louvain, t. II, p 446 (3).

ipsius ecclesiæ potestas ; vel etiam magistratus inferiores judicandi potestate privandi? Si propter similem abusum in ordine civili sic statuendum esset; actum quantocius foret de omnis auctoritatis existentia. Opera igitur s. Thomæ Aquin. arbitrarie damnata sunto; quid hoc ad ecclesiam? Opuscula autem s. Francisci Borgiæ ab inquisitione Hisp. non ipsa prohibita fuere, sed qua collecta cum opusculis levioris notæ alterius cujusdam scriptoris; ut ipse supremus fidei inquisitor declaravit [1].

229 R. ad 6. Citatis pluribus hujuscemodi exemplis prohibitionum Romanarum ab aliis etiam supremis inquisitionis tribunalibus rescissarum, respondet Catalanus : « Ridenda est hæc objectio; nec audienda Hispanica aut. Lusitanica inquisitio; ubi, nempe auderet Romanarum congregationum judicia rescindere : quis enim inquisitioni Hispanicæ aut Lusitanicæ tantam potuit conferre auctoritatem; ut valeret judicia Romana rescindere [2]? » Facta utique non improbant jus; quod integrum maneret; esto plures illud negligerent aut contemnerent, aut etiam recalcitrantes aperte impugnarent. Certe qui nobis objiciuntur doctores Duaceni, censoresque Antverpienses, non destructam volebant, quam ipsi exercebant potestatem. Solum in ejusdem usu, nisi forte specialis intercesserit dispensatio, limites suos prætergressi sunt; dum quod erat altius reservatum, sibi sumpserunt judicandum : in quo tamen ipso errore suo legem agnoscere egregie professi sunt; dum, ob mutata rerum adjuncta, hanc sibi interpretationem licitam esse, pluribus stabilire conati sunt argumentis.

[1] *Vie de S. François de Borgia*, éd. de Louvain, p. 312 et 330.
[2] *De Secretario. s. congr. indicis*, l. I. c. IX. n. 6. et 7.

CAPUT V.

DE INDICIS ROMANI OBLIGATIONE IN BELGIO.

230 In vanum huc usque, magnam partem, enarratum dimicatumque fuit; si, quod Bern. Zeg. Vanespen, [1] Judocus Leplat [2] aliique, illorum decepti sophismatis, aut devincti vexillis, contendunt, admittendum est; e regulis, scilicet, indicis Tridentini quatuor tantum in Belgio promulgatas admissasque fuisse; secundam, videlicet, quintam, septimam et octavam; quæ solæ, indici expurgatorio Philippi II. præviæ conspiciuntur. Necessarium igitur esse duxi, præsenti capite, per quasdam assertiones, vanissimum hoc obstruere effugium. Cum autem actualis regularum indicis obligatio variis modis (cfr. in seqq. assertiones, 1, 2, 3 et 6) induci potuerit; de singulis distincte est agendum; ut suus quibusque indicis partibus, suus et quibusque regni tractibus promulgationis modus, plerumque tamen non solus aut ab aliis segregatus, valeat applicari.

Porro ne, stabilita omnium, quæ Tridentinæ audiunt, regularum obligatione, adversus posteriores indicis leges difficultas ulla moveri possit; omnes legum indicis partes, iisdem assertionibus nostris complectamur, necesse est.

231 Porro prænotandum hic est, quod aiunt editores cursus completi [3]: « In decretis, quibus s. Pontifex librum proscribit, duo sunt » valde distincta : unum quod ad dogma seu doctrinam; alterum » quod ad disciplinam attinet. Primum liber condemnatur, ut conti» nens doctrinam falsam vel periculum creans moribus » et sic doctrinale est quod decreto, per modum facti dogmatici, continetur; neque ulla eget promulgatione : perinde est qua demum via veritas innotescat; quippe qua non minus stringeretur, qui privato eam studio aut industria singulari cognosceret. Secundo vero prohibetur

[1] *Jus universum*, p. 1. tit. XXII. c. V n. 8, edit Lov. 1753. (Fatentur hujus editionis auctores, in præf., totum hoc caput, ut et cetera interclusa duplici delineatæ mamis signo, ex supplemento an. 1729, in lucem misso, commodi ergo, suis juris universi locis, præsenti editione derivata fuisse. In editionibus anterioribus ergo caput hoc desideratur, et quærendum est in suppl.

[2] Libro, cui titulum fecit, *Vindiciæ assertorum in præfatione, codici concilii Trid. anni* 1779, *præmissa.* Ediderat nempe, an. 1779 codicem concilii Trid. in cujus præfatione docuerat; quatuor tantum ex decem regulis obligare in Belgio : at desuper tam privatim, quam publice in scholis exagitatus, præfatam conscripsit lucubrationem, qua malæ causæ pejus fuit consultum.

[3] Tom. XIII, col. 1017 1°.

positive lectio alicujus libri, pœnis etiam quandoque in lectorem aut detentorem adjectis : et hæc sunt disciplinaria, quæ neminem ligant; nisi debite promulgentur. De his igitur præcise, præsenti cap., quæstio moveri intelligitur. Quod vero dicimus de decretis s. Pontificis, idem servata proportione, de decretis ss. congregationum dicendum : licet enim hæc per se non sint dogmatica, hoc sensu, quod doctrinam aliquam tenendam aut rejiciendam decretoria sententia proponant; sunt tamen aliquando dogmatica seu potius doctrinalia, hoc sensu, quod sint declarationes versatissimorum doctorum de doctrina, quæ libro continetur, et de periculo, quod liber creat fidei aut moribus.

232 ASSERTIO I. a) Regulæ indicis Tridentini; b) additamenta Clementis VIII; c) observationes Al. VII; et d) decreta generalia, indici prævia, non debuerunt in provinciis promulgari, ut obligationem in iisdem inducerent.

Prob. quatuor istæ regularum indicis partes, quibus hodie tota indicis œconomia regitur, Romæ promulgatæ fuerunt cum adjectione clausulæ, quæ certe excludit necessitatem promulgationis, in provinciis, faciendæ. Quod sic ostendo : quatuor istæ regularum partes promulgatæ fuerunt sub hac, vel æquivalenti clausula : « Volumus autem, ut præsentium litterarum transsumptis, etiam » impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo » personæ, in dignitate ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem » prorsus tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur ob- » servantia, ac si unicuique forent exhibitæ vel ostensæ [1] : » atqui similis clausulæ insertio penitus excludit omnem promulgationis provincialis necessitatem : ergo nulla ex quatuor istis regularum partibus in provinciis promulgari debuit.

Probo maj. per partes. Quoad 1^am^ *partem, seu regulas Tridentinas.* Pius IV bullam, *Dominici gregis*, indicis conformatoriam, claudebat sequentibus verbis : « Transsumptis quoque earum, quæ manu » alicujus publici notarii scripta subscriptave, et sigillo ac sub- » scriptione alicujus personæ, in dignitate ecclesiastica constitutæ, » munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi mandamus atque

[1] Bullarium Rom. percurrenti palam est; hanc formulam potissimum invaluisse, seculo XV. forte ob frequentem, per occidentis schisma principum populorumque, in amplectendis sedis apostolicæ mandatis, morositatem; cui post inventam artem typographicam simili clausula obviare licuit. Hæc tamen, sec XVI, sub irruptione pseudo-reformationis, alteri, qua per solam Romæ factam promulgationem, omnes arctari declarantur, locum cessit clausulæ; quæ hodie fere sola est in usu. Eam exhibet S. Alphonsus, l. I, tr. de leg, c. I, n. 96.

» decernimus. » Admittit immo ipse Espenius [1]; Pium IV declarasse; quod unumquemque indicis sui « prohibitio post tres menses, a » facta Romæ publicatione et affixione, ita obligabit (sunt ipsius » verba) ac si ipsimet hæ litteræ editæ lectæque fuissent. »

b) Quoad 1am et 2m partem, seu regulas Trid. cum additamentis Clem. VIII, ex bulla, *Sacrosanctum*, indici Clementino prævia, in qua legitur : « Decernentes earumdem præsentium exemplis, etiam » impressis, notarii manu subscriptis, et sigillo prælati alicujus » ecclesiastici obsignatis, eamdem haberi fidem, quæ haberetur » ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. »

c) Quoad 1am 2dam et 3iam partem simul, idem probat bulla Al. VII. *Speculatores;* cujus hæc sunt verba : « Volumus autem ut » earumdem præsentium litterarum transsumptis seu exemplis, » etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et » sigillo personæ, in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, » eadem prorsus fides ubique locorum et gentium adhibeatur, » quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. »

d) Denique quoad 4m partem, seu decreta generalia, indici prævia, simul cum tribus illis, quas in sua indicis editione renovat, partibus, similiter statuit Ben. XIV in brevi, *Quæ ad catholicæ* [2], » Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transsump- » tis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici » subscriptis, et sigillo prælati alicujus, in dignitate ecclesiastica » constituti, obsignatis, eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis » præsentibus haberetur; si forent exhibitæ vel ostensæ. »

233 Probatur minor.

Certum esse puto apud catholicos, (excepto Espenio [3], et forte quidem ipso solo, quis namque eo usque temeritatis deveniat, ut omnes Pontifices, ab hinc quinque seculis, suæ potestatis limites excessisse contendat?) Certum esse puto; quod possit s. Pontifex sua voluntate efficere; ut lex sua ubique terrarum obliget, vi solius, quæ Romæ facta fuit, promulgationis.

Quæstio igitur facti superest; an scilicet, velit Romanus Pontifex, inserta citata clausula, omnes obligare Christi fideles; etiamsi leges suæ in provinciis non promulgentur.

Isthæc autem voluntas, ut efficax sit, non debet esse explicita; sed sufficit implicita et in alio expressa : quod ex simplici terminorum, notione, theologiæ peritis manifestum existimo; dum unicui-

[1] *Tr. de prom. legum*, p. IV c. II, § 2.
[2] Præmittitur indici moderno.
[3] *De promulg. legum*, p. I, c. III, § 7.

que notum est, voluntatem implicitam non minus esse directam atque efficacem, quam explicitam.

His positis, minorem sic probo :

« Certum est, inquit Suarez [1], quoties lex canonica præscribit » modum promulgationis, in ea servandum, illum sufficere vel » esse necessarium; etiamsi ex jure communi vel consuetudine » aliud requiratur. » Quæ verba, licet disjunctive enunciata, copulative tamen intelligenda sunt; ut unicuique attentius ea consideranti, vel contextum conferenti, patebit. Quod autem modus promulgationis, in lege præscriptus, dicatur necessarius; intelligendum est de eo quod *plerumque* fit : aliquando enim jam non promulgationis proprie dictæ, sed et ipsius ulterioris legis, jam promulgatæ, publicationis modus lege determinatur : quod in promulgatione concilii Trid. factum esse, constat ex bulla, *Sicut ad sacrorum.*

Nec minus certum puto; cum Pontifices nullum præscribunt promulgationis modum, illum promulgationis modum ab iisdem intendi atque adeo ad *omnem, quem legibus suis ipsi tribuunt, effectum* sufficere, qui ex jure aut consuetudine usurpari solet. Jus, qua ratione leges Pontificiæ promulgari debeant, generali regula haud sancit : usus vero habet, ut leges Pontificiæ Romæ tantum promulgentur; quod enim in provinciis, non jam divulgentur, sed vere promulgentur, rarissima dudum exceptio est. — Dico : *ad omnem, quem legibus suis ipsi tribuunt, effectum*, ut præscindam, hoc loco, a generali quæstione, de effectu legum pontificiarum, Romæ tantum promulgatarum; quando Pontifices nihil omnino de legum promulgatione statuunt, nihilque etiam de illius effectibus exprimunt.

Pontifices autem, dum promulgationem Romæ faciendam ipsi præscribentes, vel illam pro more faciendam supponentes, constitutiones suas præfata legum clausula muniunt, easdem, etiam citra omnem in provinciis promulgationem, ubique terrarum obligantes volunt, supponunt, atque expresse, licet implicite, declarant. Statuunt enim, supposita tantum præfata Romæ promulgatione, continuo per orbem catholicum in tribunalibus ecclesiasticis, in quibus de præteritis subditorum actibus disjudicandis, ac de pœna transgressoribus infligenda disceptatur, atque adeo omni jure mitiores sententiæ sequendæ sunt, e novis legibus jus esse dicendum; si vero quis judicio non acquieverit, in peremptorium justi judicii argumentum proferri unice debere transsumptum authenticum, cui indubitata fide deferre omnes teneantur. Ergo, dico, volunt Pontifices; ut leges suæ cunctos ubique terrarum fideles obstringant,

[1] *De legibus*, l. IV. c. XV, n. 4.

etiam citra omnem in provinciis promulgationem; cum easdem continuo obligantes, atque earumdem transgressionem continuo in judiciis plectendam manifeste declarent. Secus Pontifices dicendi sunt iniquissimam judicibus exteris sequendam imponere regulam; cum præcipiant punire transgressionem legum, quas ipsi sciunt ordinarie non ligare; cum ordinarie non promulgentur in provinciis; immo nec ordinarie eas ipsi in provinciis promulgari mandent.

Quapropter et in vanum diceretur, hanc clausulam pro foro externo tantum probare. Enimvero forum externum conformari, generatim, debet foro interno; omnisque condemnatio fori externi nititur obligatione et culpa fori interni, saltem legitime præsumpta; licet, per accidens ignorantiæ, contrariæ consuetudinis... exceptio possit doceri. Hic autem generatim forum externum dissentiret ab interno; cum legitime præsumantur leges pontificiæ in provinciis non promulgari. Porro manifesta est injustitia; regula generali, condemnare, qui, legi non subjecti, eidem non parent.

Sed neque ipsius hujus clausulæ et effectus ejus, defectu promulgationis in provinciis factæ, ignorantiam obtendere licet. Sic enim, contra omnium auctorum sententiam, potestas pontificia iis arctaretur vinculis; quæ liberam ac legislatori necessariam cohiberent ejusdem exsertionem. Si igitur vera detur ignorantia, lex qua ignorata, certe nullam obligationem inducet; at vero si alia quacumque, a vera promulgatione, via cum certitudine innotuerit, conscios illico tenebit adstrictos. Merito igitur s. Alphonsus docet [1]; quod præfata clausula nimis diserte ostendat « Mentem Pontificis esse; velle » omnes fideles obstringere ad hujusmodi statuta, independenter » ab eorum publicatione in singulis provinciis. » Citat s. Alphonsus Sylvium et Roncaglia, auctores, qui generatim pro necessitate promulgationis, in provinciis faciendæ, decertant. Horum tamen Roncaglia non quidem de ea, quam nos exhibuimus, formula, sed de altera, quam ibidem exhibet s. Alphonsus, docet : certum esse leges pontificias « absque alia publicatione obligare; si Pontifex in » suis constitutionibus, ut non raro accidere solet, dicat; facta » Romæ solemni publicatione, velle easdem unumquemque arc- » tare, acsi personaliter fuissent intimatæ [2]. » Ea proculdubio sola ratione id docet Roncaglia; quod citata clausula clare Pontificis exprimat voluntatem; at quam eamdem non minus vere altera, quam protulimus, demonstrat clausula.

Verum quidem est; pauci auctores pro harum præcise formu-

[1] L. I, *tr. de leg.*, c. I, n. 96.

[2] Tr. III, *de leg.*, c. IV, q. 3.

larum efficacia possunt citari; quia de his legum pontificiarum formulis distincte vix tractarunt, nondum eliquata, ut videtur, quæ recentius ob seram formularum originem, moveri potuit, quæstione. Neque hoc temere, quasi pro causæ exigentia, dico; sed facto nixus, unicuique, qui auctores, de necessitate promulgationis legum pontificiarum in provinciis, disserentes pervolverit, pervio. Id namque facile perspiciet, auctores, pene omnes, sive illam promulgationem, ut conditionem necessario requisitam, propugnent; sive eamdem explodant; argumentum sibi quærere in Pii IV bulla, *Sicut ad sacrorum;* qua declarat Pontifex; decreta concilii Tridentini, quæ juris positivi tantum essent, in provinciis obligare cepisse, etiam pro foro externo, antequam in provinciis essent promulgata, immo antequam promulgari debuissent aut potuissent; cum tamen Piana hæc constitutio neque pro his, neque pro illis relate ad *hanc generalem suam thesim,* quidquam faciat. Enimvero cum bulla ejusdem concilii confirmatoria, *Benedictus Deus,* ante aliquot menses emissa, utramque, quam diximus, simul haberet formulam, jam ex illius effectu, per bullam, *Sicut ad sacrorum*, definito, nihil *quod hanc thesim eorum generalem*, qua ab citatis clausulis præscinditur, potest induci. Verum si minus de his præcise verborum formulis scripserint doctores, non minus efficaciter pro nobis pugnant. Enimvero quotiescumque summus Pontifex expresse declarat, se velle; ut lex sua, in vim solius, quæ Romæ facta fuit, promulgationis, ubique terrarum effectum suum sortiatur; nequaquam promulgationem in provinciis requiri, præter laudatum Suarezium, docent inter auctores nostrates, Wiggers in 1, 2, q. 96, a 4, n. 90; Billuart, *de leg*, diss. III, art. 2, § 1, v. *Dixi* 2°; Zypæus, *De jurisd. eccl.*, l. I, c. 63, n. 2; Steyaert, *Aphorism.* p. 1, disp. IX, n. 6; Danes, *de lege civ. et eccl.*, n. 37; atque insuper auctores ii omnes, qui *generatim* docent leges pontificias, ad omnes fideles directas, citra promulgationem, in provinciis factam, obligationem inducere, non pauci et minime spernendi: Salmant, tr. XI de leg, n. 87; Devalentia, *Comment. theol.*, tom. 2, disp. VII, q. 5, *de lege hum.*, p. 5; Pyrringh. ad tit. *de constitutionibus,* s. 1, § 4, q. 4; Continuator theologiæ mor. Patritii Sporer, *tr. de leg,* c. I, s. 3, n. 183; Lacroix, l. I, n. 579; Cardenas, *Crisis theol.*, p. 1, disp. IX, c. 20; Sylvius in 1, 2, quæst. 96, a 4, quær. XI, concl. 3; Roncagl. tr. III, *de leg.* c. IV, q. 3; Becanus, tr. de leg., c. VI, q. 6, n. 6; Herincx, de leg. disp. III, n. 109; Lucius Ferr, *Bibl.*, verbo, *lex* a. 2, n. 6; Layman, l. 1, tr. IV, c. 2, n. 4; s. Alphonsus, l. 1, tr. 2, de leg. c. I, aliique innumeri, quos illi citant, omnis nationis theologi et canonistæ.

Neque dicat Espenius, præfatas legum Pontificiarum formas merum esse, quod dicunt, stylum curiæ; qua de causa et a plerisque auctoribus, etiam in thesi generali nobiscum pugnantibus, in praxi tamen fuere neglectæ. Hoc enim, sine ullo dubio, est negandum; cum s. Pontifices eas non ad leges quascumque adhibeant; sed cum delectu ad leges, pro universali ecclesia, latas; præsertim si quæ novi juris sint inductivæ. De scriptorum silentio egimus supra.

234 Nec desunt, quæ idem, de clausulæ nostræ valore, evincant, historica documenta. In epilogo bullæ *Cœnæ* eadem quoque formula sola legitur [1]. Præfata autem bulla, ut ex Zypæo (*de jure novo*, tit. de ordinandis, n. 14), ipse testatur Vanespen [2], numquam in Belgio promulgata fuit; et tamen negaverit nemo; plures ea contentos casus in Belgio servari; quia, ut jam suo tempore scribebat Zypæus [3], bulla *Cœnæ*, per solam Romæ factam promulgationem ligans, mere ad ulteriorem legis, jam obligantis, divulgationem, Episcopis jubebat eamdem quoque in provinciis promulgare.

235 Invictum quoque, pro hujus clausulæ efficacia, argumentum eruitur ex constit. Sixti V, *Inmensa æterni*, [4] pro omnibus, qui auctoritatem verentur earum, quas ibidem Pontifex instituit, cum potestate in universas orbis regiones, congregationum, s. Inquisitionis, s. rituum, interpretationis concilii.... has enim, sub allata solum forma, mundo nuntiandas existimavit Pontifex. Earum tamen auctoritatem, qua fronte recusare quis ausus fuisset, sub hoc specioso, non sufficientis promulgationis defectu, non invenio: atqui si istam constitutionem, utut in aliqua provincia non promulgatam, rejicere non licuit; neque pariter, quæ sub eadem formula prodierunt, variæ indicis leges possunt repudiari.

236 Neque minus certum ex his, qua, diebus nostris, prodiere, documentis, argumentum exsurgit: Clem. XII, 28 april. 1738, constit. *In eminenti*, et Ben. XIV, 18 mart 1751, const. *Providas*, sub præfata hac clausula, promulgaverat sententiam excommunicationis majoris, s. Pontifici reservatæ, ipso facto incurrendam ab iis, qui societati qualicumque *Liberorum Muratorum* nomen darent, aut protectionem præberent, consilium..... [5]: quæ pœnæ, a fel. mem. Leone XII, renovatæ fuerant, bulla 13 mart. 1825. Quoniam vero præfatæ pœnæ vix alicubi in provinciis fuerant promulgatæ;

[1] Apud Lacroix, l. VI, p. 2, n, 2054.
[2] *De promulg. legum*, p. 1, c. III, § 4.
[3] *De jurisd.*, l. I, c. 63, n. 6.
[4] In bullario Cherubin., Luxemb. ed. t. II, p. 622, § 8.
[5] Bull. Ben. XIV, ed. Mechl., t. VIII, p. 416.

dubium emersit circa valorem absolutionis sacramentalis, *in quacumque orbis regione*, impertiendæ hominibus, hujuscemodi societati aggregatis, prius quam eidem absolute renuntiarent. Ad præfatum autem dubium, quæ consulta desuper fuerat, s. Inquisitionis fidei Congregatio, probante Greg. XVI, 27 jun. 1838, respondit : *non valere* [1]. In quacumque igitur orbis regione, sive promulgatæ in ea fuerint, sive non promulgatæ, præfatæ constitutiones; incurruntur gravissimæ pœnæ iisdem contentæ. Ergo et leges indicis, sub eadem formula editæ, esto in provinciis non promulgatæ, fideles pariter ubique ligare credendæ sunt.

237 Verum quidem est, quod ait Espenius [2], bullam *Pœnæ* hic non nisi quoad paucas casus receptam esse. Ne tamen inde arguat auctor; sponte hanc bullæ partem admissam fuisse, neque ea bulla ullatenus ligatos se credidisse Belgas. Perlegat, quæso, ad quem toties provocat, Zypæi locum supra citatum; et discet non ob prætextum promulgationis defectum plures casus bullæ Cœnæ non fuisse in Belgio admissos. Perlegat et ejusdem auctoris nostratis *de jurisd. eccl.*, l. 1, c. 63, numerum 5^m^, et deprehendet concilium etiam Tridentinum, sub memoratis clausulis, a Pio IV, bulla *Benedictus Deus*, promulgatum, citra promulgationem provincialem, in provinciis, eodem Zypæo teste, obligasse. Cur vero, si ita res est, non omnes, sed aliqui casus bullæ Cœnæ in Belgio serventur; plures possunt esse causæ; puta legis non acceptatio, annuente aut connivente, quod hic pene eorumdem objectum deficeret finisque, legislatore, usus contrarius, principio culpabilis, at labente tempore in consuetudinem desinens; ob resistentiam potestatis laicæ, ob abhorrentes nimium populi mores.... recursus Episcoporum ad s. Pontificem, ut suarum diœcesium exemptionem obtinerent, cum legis ad tempus suspensione.... [3]. Ceterum plus probat pro legis obligatione, unus casus, quo eamdem subditi obtemperantes admittunt; quam contra illam centeni, quibus obedientiam detrectarent; præsertim si acceptata lex versetur in materia difficili et odiosa; puta in censuris, reservationibus, librorum prohibitione.... in quibus, nedum libera populorum consuetudine, vix coacte salutares et perquam necessariæ leges inducuntur.

[1] Documenta leguntur in scripto periodico, *Journ. hist.* t. VI, p. 251.

[2] *De promulg. legum*, p. 1, c. III, § 4.

[3] Cfr. Herincx, *de lege hum.*, disp. III, q. X, n. 117; Bened. XIV *de synodo diœc.*, l. IX, c VIII, n. 3 et 4; Suarez *de leg.* l. IV, c. XVI, n. 8; Layman, l. I, tr. IV, c. III, n. 7; et Lucium Ferr. *biblioth. can.* V. *lex*, a. 2, n. 19 et seqq. ubi plurimos citat auctores.

Nec obstat propositioni nostræ quod, *pro promulgationis provincialis generali necessitate*, urgent quidam auctores : magnum, scilicet, incommodum fore ; si privatus quispiam solus in aliqua patria, lege Romæ tantum promulgata, deberet, v. g, jejunare certis diebus, vel certa festa celebrare.

Enimvero stabilivimus, manifestam esse legislatoris voluntatem ; ut leges suæ, in casu discusso, generatim etiam citra ulteriorem promulgationem obligent : hanc voluntatem non destruunt incommoda particularia. — Ceterum cum lex sit regula communitatis, et legislator intendat unanimem subditorum in eumdem scopum concursum ; videtur rationabiliter præsumendus, non velle ; ut subditus, qui certus est, legem quamdam a propria communitate non fore servandam, eam solus observare teneatur, donec consuetudinis tempus fuerit elapsum ; nisi aut culpabiliter per ipsum steterit, quod lex non observetur ; aut, quod theseos nostræ adversarii etiam admittent, legislator, re sibi delata, insteterit, vel reipublicæ multum interfuerit, ut etiam in casu particulari lex observetur.

Interim quamvis non ausim in casu strictam alicui imponere obligationem in conscientia ; putem tamen, *generatim loquendo*, consilio instandum, pro legis observantia ; est enim bonum opus, præ omni alio supererogatorio, oportunum et Deo gratum.

Dixi : *generatim loquendo* aliquando enim ea sunt in casu incommoda ; ut legem servare non liceat. Si v. g. Romæ promulgetur novum festum ; non videtur particularis aliquis illud solus servare posse ; quia in officiis ecclesiasticis conformitas cum ecclesia loci potior est, quam conformitas cum ecclesia universali.

238 Objiciet nobis Espenius [1] diuturnam Belgii, aliarumque ab urbe remotarum regionum consuetudinem, similes clausulas negligendi ; de qua constat ex ipsa auctorum nostratium sententia, qua *indiscriminatim* docent ; nullas, nisi in provincia promulgentur, leges Romanas a Belgis agnosci.

R. I. Admittendum utique videtur quod similis multarum regionum consuetudo, legislatori ecclesiastico non ignota, eodem non expresse resistente, seu pro legis promulgatione aut observantia non instante, legum effectum tolleret aut suspenderet ; dum adminus tolerantia videretur accedere legislatoris [2].

R. II. Quærendum ergo superest de facto ; an scilicet, existat generalis illa ac diuturna in Belgio consuetudo ; quam leviter ad-

[1] Cfr. *de promulg. legum*, p. 1, c. III, § 7.

[2] Cfr. Suar., *de legibus*, l. IV. c. VI, n. 7 ; Reiffenst. in tit. 2, n. 133 ; Zalling. *Jus publ.* n. 400 ; et Editores *Cursus compl. theol.*, t. XIII, c. 1018, 2°.

modum adstruit Espenius; at nemo prudens leviter admiserit. Quam autem allegat, Espenius consuetudinem, funditus evertere videntur documenta minime dubia. Utquid enim, si ita se res haberet, concilium Tridentinum, sub præfata clausula promulgationis provincialis derogatoria, promulgatum, attestante Zypæo [1], clarissimo jurisconsulto nostro, citra promulgationem obligavit? Utquid plures casus bullæ Cœnæ in Belgio observati fuere; cum tamen præfata bulla, sub dicta quidem legum forma edita, numquam tamen in Belgio sit promulgata, ipso docente Espenio [2]? Utquid nullus, quod repirere potui, scriptor Belgium a servandis Clementis VIII, ad indicem Trid., additamentis; ab observationibus Alex. VII; decretis generalibus, indici præviis; aut decretis particularibus contra certos libros latis, exemptum docet, hac allegata ratione; quod isthæc documenta Romæ quidem sub clausula promulgationis provincialis derogatoria, publicata sint; nullatenus vero in Belgio fuerint denuntiata, quod tamen prætensa exegisset consuetudo, cum plura iis indicis partibus statuantur, quæ receptis jam dudum regulis Tridentinis haud continerentur? Utquid in nullo, quod scire potui, Belgii seminario juniores clerici de isto variarum indicis partium, quarum aliæ Belgium ligent, aliæ non ligent, discrimine monentur? Utquid quos supra laudavimus, Wiggers, Billuart, Danes et Steyærtius, auctores nostrates, cum simpliciter docent, leges Pontificias, citra promulgationem in provinciis factam, effectum illico sortiri, si Pontifices declarent se velle, ut leges suæ in vim solius, quæ Romæ fieri assolet, promulgationis, ubique terrarum obligationem inducant, non excipiunt patriam nostram, quasi quibusdam clausulis sententia sua contentis moveri minime solitam? Doctores nostrates, ad quos, provocatur, cum allatam legum clausulam haud memorent; sicut illius efficaciam expresse non confirmant, ita nec expresse negant aut eidem contrariam consuetudinem adstruunt. Principiis, ut supra (n. 233) vidimus, auctores nostrates veram sententiam tenent : cum de usu Belgii loquuntur, plures, fateor, simpliciter requirunt promulgationem in provincia; non tamen expresse præfatas clausulas excludunt. Quod ipsum manifeste ostendit; quod sibi propositam non habuerint hanc quæstionem nostram; qualis serius determinata fuit, cuique dissolvendæ tum demum observata Romanorum Pontificum et tribunalium praxis, nec non et recentiora documenta viam posterioribus auctoribus straverunt. Quapropter, ut monet Carde-

[1] *De jurisd. eccl.* l. I, c. 63, n. 5.
[2] *De promulg. legum*, p. I, c. III, § 4.

nas, [1] nihil scriptorum illorum auctoritati decedit aut doctrinæ; si ob declaratam serius principis voluntatem eorumdem deseratur sententia; neque etiam eorumdem auctoritas infirmat, quam recentiora documenta certam evicere, sententiam.

R. III. Parum Espenium juvaret, etiam totum, quod objectio probatum tendit, evicisse; quod mox secuturæ declarabunt assertiones.

239 Opponent tamen alii promulgationis, in provinciis faciendæ, patroni : movere non debet quod s. Pontifex præfata formula præcipiat, ubique terrarum, tam in judicio, quam extra illud, e suis legibus judicium ferre; dum in tribunalibus Romanis semper judicatur ex legibus Romæ promulgatis, licet nec publicatis nec acceptatis in provinciis; immo licet et consuetudine contraria prorsus abrogatis.

R. *Ad hominem :*

Ingens esse, inter utrumque casum, discrimen : in altero quidem *tribunalia Romana* partes citatas judicant e legibus apud legitimos judices vigentibus : partibus autem incumbit, si quam possint, consuetudinis alteriusve causæ docere exceptionem. In casu vero citatæ clausulæ Pontifex *tribunalibus exteris* leges præscribit judicii, quas adeo judicandis debite applicatas affirmat.

Dixi : *ad hominem.* Minime enim ista difficultate gravatur, qui adhæret sententiæ, certe communiori (supra, n. 233) et, ut mihi quidem videtur, longe probabiliori; quæ generatim dicit : *per se loquendo,* non requiri legis cujuscumque Pontificiæ, *ad omnes fideles directæ,* in provinciis promulgationem. Nihil æquum magis, quam ut quilibet judicetur ex legibus, quibus ligatur; nisi ab illis exemptum se docere valeat.

Certum est, ex natura rei id minime requiri : quoad jus positivum autem nullum solidum afferri videtur argumentum; quo hujuscemodi promulgationis generalis stabiliatur necessitas : et contra, *ad abundantiam;* ut aiunt, argumenta producuntur non spernenda, quibus illa positive excludatur. Verum de his satis.

240 ASSERTIO II. Quidquid dicant Espenius, Leplat, aliique; certum est, omnes regulas Tridentinas et in ipsis majorem partem etiam regularum, quæ deinceps a Clem. VIII, Al. VII et Bened. XIV sancitæ sunt, per totam provinciam Mechliniensem, qualis hodie constituta est, fuisse promulgatas aut saltem agnitas et acceptas, etiam a potestate civili.

241 Espenius suam, de receptis solummodo 2^da^, 5^a^, 7^a^, et 8^va^ regulis Tridentinis opinionem, probat ex indice expurgatorio

[1] *Crisis theol.* p. 1, disp. IX, c. XX, a. XI, n. 415.

Philippi II; in cujus præfatione istæ solæ recensentur, reliquis silentio pressis. Quod argumentum, ut omni, qua poterat, roboraret, veri specie, sequentem struxit factorum ordinem [1] : Rex catholicus primum quidem voluit simpliciter indicem Tridentinum promulgare, ut patet ex edicto 15 feb. an. 1569 (alias 1570 [2]). « Quo, ait, præcipiebatur; indicem Romanum prout, per Pium IV, » fuerat publicatus, observari et recipi..... atque de hoc edicto, ait, » loquitur Haræus in annalibus Belgicis, ad annum 1570 : et ipsum » secuti plures alii scribere non dubitarunt; indicem Romanum » hic in Belgio promulgatum, et auctoritate regia simpliciter recep- » tum fuisse. »

« Verum admodum verisimile est, ait, consilia regia, recepto » hoc edicto, animadvertisse, nullatenus convenire, ut hic index » Romanus simpliciter promulgaretur, ob multifaria incommoda, » quæ ex hac promulgatione in hisce provinciis obventura prævi- » debant, et quæ in subsequenti edicto, rex ipse expressit. »

« Hinc et indubie contigit, ut censuerint a publicatione illius » prioris edicti esse supersedendum; et interim monendum atque » de iis incommodis instruendum ducem Albanum. » Institutum ergo, ait, censorum collegium; cujus expurgatus index, qui quatuor tantum, ex decimis, regulas habet, prodiit demum, julio 1571, cum edicto regio; quo jubetur per omnia recipi, prout erat a censoribus confectus; quin « sciatur, ait Vanespen, aut legatur aliud » principis edictum aut placitum super publicatione vel receptione » indicis Romani aut regularum, eidem subjectarum, post emanasse. »

Magistrum suum asserendi fiducia vincit Leplat; dum asseverat : « Leges nullas, decreta nulla, etiam ad ecclesiasticam disci- » plinam spectantia Belgas obligare; nisi, prævie obtento placito » regio, debite apud nos publicata aut evulgata fuerint. Deinde » solam publicationem in extera aliqua regione, Romæ, puta, fac- » tam non sufficere, ut Belgæ obstringantur [3]. »

Hanc promulgationis provincialis, pro legibus indicis necessitatem jam satis, puto, evertimus : nihilominus promulgationem factam jam nunc contra citatos auctores docebimus : rationum,

[1] *Jus. univ.* p. 1, tit. XXII, c. V, n. 8 et 9.

[2] Notat Haræus (*Annales ducum Brab.*, ad ann. 1570), tunc temporis, alios anni exordium duxisse a festo paschatis; alios vero, ex novo stylo, jam tum a Kalendis januarii annum supputasse. Atque hinc est, quod præsens edictum ab aliis ad ann. 1569, ab aliis vero ad ann. seq. 1570 referatur. Hoc Philippi II edictum reperire est prævium indici, ed. 1570.

[3] *Vindiciæ assertorum in præf. codici concilii Trid. ann.* 1779, *præmissa*, c. IV.

quas sat magno numero adducit Judocus Leplat, aliæ in sequentibus dissolventur, aliæ sua sponte vel parum attento animo evanescunt. Quis non misereat v. g. auctorem; quum pag 31 et seqq., ex lege Caroli V, eaque anteriori, esto probata et confirmata ab auctoritate spirituali locorum particularium, exclusam putat legem posteriorem indicis Tridentini; nominatim regulam IV; utut non ecclesiæ; non concilii, sed Romanam esse ac mere Pontificiam contendat?

242 Ut autem hæc hominum, in ecclesiam rebellium, placita submoveamus; modo documentis historicis Tridentinarum regularum promulgationem, primum quidem ecclesiasticam, quæ sola saltem in Belgio sufficiebat [1]; deinde civilem comprobemus.

Quoniam vero provinciæ hodiernæ Mechliniensis diœceses, Namurcensis et Tornacensis, tum provincia Cameracensi in sacris comprehendebantur; diœcesis vero Leodiensis, celsissimo suo Principi-episcopo, in utroque foro parens, suas sequebatur leges; distincte de hisce diœcesibus est agendum [2].

In primis ab auctoritate ecclesiastica, pro ea quidem, quæ tunc erat, provincia Mechliniensi, simpliciter promulgatas fuisse indicis Trid. regulas, liquet ex concilio prov. III, tit. I, c. VII, quod sic legitur : « Moneant diligenter parochi sibi subditos, libros hæreticos vel ex professo lubricos nullomodo legere vel habere licere; eisque prohibitiones, quæ habentur in indicibus librorum prohibitorum, sedis apostolicæ auctoritate, post concilium, editas crebro insinuent [3]. » Quibus verbis obligationem cavendi a libris vetitis manifeste, in vim ipsius indicis, aut inductam, agnoscunt, aut ipsi sicinducunt. Non loquuntur quidem expresse,

[1] V. in fine notam H., de placito regio, præsertim, n. 5.

[2] Notandum proinde nos præ oculis habere illam, quæ sub Phil. II invecta fuit provinciarum ecclesiasticarum diœcesiumque divisionem; quæ ubi recentius mutationem quamdam subiit, etiam assertiones nostræ, adhibita cautela, debebunt applicari.

[3] In synod. Belg. t. I, p, 367. Decreta vero synodi illius, ab sede apost. correcta et confirmata, vide ibid. p. 362 et 364; Item apud Harney, c. VI, n. 13; ab Episcopis Belgii, post correctionem, admissa et promulgata, ibidem 362 et ulterius in synodis diœcesanis publicata, apud Harney, c. VI, n. 13 et seqq. Confer et regulamentum, quod ex mandato patrum synodi prov. Mechl. III. confectum creditur ab. ill. car. Phil. Derodoan ep. Brug.; quo etiam certa ponitur regularum indicis obligatio; dum visitatores monet ipsas etiam regulas intuendas esse, « tam eas, simpliciter inquit, quæ sunt propositæ indici prohibitorio, quam has præsentes. Ita enim, addit, Pius IV Pontifex sanxit, » p. 342.

de ipsis indicis regulis; sed eæ semper venerunt ipso indicis Romani vel præscriptionum Tridentinarum nomine, ut pars eorumdem præcipua : quod multiplici argumento probat Harney [1]; quod immo, jam ab anno 1564 obtinuisse, nos docet index Coloniæ isto anno impressus [2]; et ipsa confectionis et promulgationis eorum ratio, ab origine repetendum commonstrat. Unde et ipsemet Vanespen, ut supra dictum fuit, in edicto, 15 feb. 1569 (Al. 1570) simpliciter regulas promulgandas præscribi admittit, fallacem quorumdam non ausus proferre indicem inter et regulas distinctionem.

243 Quoad provinciam vero Cameracensem, quæ hodiernas Tornacensem et Namurcensem complectebatur diœceses, non supersunt, quod sciam, promulgationis ecclesiasticæ, seorsim spectatæ [3] documenta : superest tamen quo probetur brevi, post indicis editionem, promulgatione aut alio modo vel ipso saltem populorum usu, non tantum quatuor illarum, quas ponunt, regularum, sed aliarum etiam admissam fuisse obligationem. « Non per-» mittantur, aiebant ann. 1586, Episcopi concilii provincialis, » Camer. II, cuivis de populo libri s. scripturæ, lingua vulgari, » contra quartam regulam indicis librorum prohibitorum; nisi de » licentia Episcoporum aut deputatorum ab eis [4]. » Ex quo, fatente Leplat [5], legitime ad omnes alias regulas concluditur : dum inquit, acceptata vel una regula, præter quatuor recensitas, jam omnis destruitur ratio distinctionis seu restrictionis ad has vel illas regulas : et vere sic certum ponitur factum promulgationis aut saltem receptionis; quæ ubi certæ fuerint; præsumi debent factæ legitime et secundum totam legis extensionem, donec contrarium probetur et exceptio non dubiis doceatur argumentis.

244 Hinc quod index Tridentinus in provinciis Mechliniensi et Cameracensi, legitime, pro illo tempore, promulgatus fuerit; convincimur præterea ex omnibus iis documentis, ex quibus, nominatim regulam IV, quæ est de legendis scripturis in lingua vulgari, ibidem jam tum obligasse constat. Concilium prov. Cameracense, an. 1586 (tit. I, c. IV) et synodus diœcesana Mechliniensis, an. 1609 (tit. I, c. VIII) insistunt exactæ observantiæ regulæ IV;

[1] C. III, n. 15.

[2] Videre est in bibl. Lovan.

[3] Dico : *seorsim spectatæ*, quia ut statim videbimus, n. 247, certum est obligationem legis ecclesiasticæ etiam induci per promulgationem a potestate civili factam ex mandato ecclesiæ; vel saltem ex tacito ejusdem consensu.

[4] *Statuta synodalia ecclesiæ Camer*, p. 2, p, 143, tit. I. c. IV.

[5] Op. cit. c. I.

quam tamen non promulgant; sed pridem obligasse in certis ponunt (cfr. latius cl. Zaccaria, diss. III, p. 2, c. I; Harney, c. VI et ex d. Malou, t. I, p. 52. Item synod. Belg., t. I, p. 571. Nihil uspiam pro solius regulæ IV promulgatione factum fuit : ergo per Jud. Leplat, si regula hæc IV, pariter et aliæ, legitime pro tempore, fuere populis harum provinciarum intimatæ.

245 Pro diœcesi autem Leodiensi, quæ hodie viget indicis observantia, pro communi acceptione vocum, *concilium Tridentinum*, (iis enim index quoque et ejus regulæ passim denotabantur, infra n. 250) repeti, jure, posset jam inde a promulgatione ipsius concilii Tridentini, an. 1585, sine ulla restrictione facta ab apostolicæ Sedis nuntio, ill. Episcopo Vercellensi [1]. Sed quoniam regulæ indicis non sunt necessaria concilii appendix, ut ex unius promulgatione, aliarum quoque promulgatio concludatur [2]; præstat earumdem aut promulgationem aut receptionem stabilire, quasi ex post facto : e documento, scilicet, pastorali ill. Ferdinandi, Episcopi Leodiensis; qui, 24 maji 1634, de libris prohibitis agens, dicebat : « avons trouvé expédient et nécessaire de remémorer en ce pré- » sent mandement, (outre ce que le concile de Trente et nos pré- » décesseurs ont ordonné touchant ce fait) ce qui est porté en la » bulle dite : de la Cène de Notre-Seigneur. » Non enim rememorando inculcat statuta, quorum nulla sit coram subditis obligationis conscientia : leges, quæ nondum receptæ sunt, si quis servari mandet, non rememorat, sed promulgat. Illa autem verba generalem connotant indicis obligationem, a qua nulla, nisi per gravia doceatur motiva, admitti possit exceptio.

246 Porro omnibus notum est; tunc temporis, in principatu ecclesiastico Leodiensi, summam auctoritatem civilem cum Episcopali fuisse conjunctam; ita ut una, quæ accessit aut promulgatio, aut saltem legalis recognitio, directe utrumque afficiat rerum ordinem.

247 Eamdem vero potestatis civilis accessionem, quidquid garriant Espenius et sequaces ejus, hisce universim regulis, pro provinciis Mechliniensi et Cameracensi, quæ tum Phil. II, Hispaniarum regis, ditioni suberant, non defuisse; modo demonstrandum est; tametsi pro Belgio nostro, in hac materia, nullo opus esset placeto [3], saltem, ut obligaret in foro ecclesiæ; licet princeps exigere illud potuisset in ordine ad effectum, quem leges pleræque disciplinares in foro civili consequebantur.

[1] Apud Foullon, Historia Leod. l. VIII. c. VI.

[2] Cfr. supra. c. VI. s. 1.

[3] Cfr. in fine, notam H. n. 5.

Illud autem juverit adnotasse; quod, ubi legem universalis ecclesiæ potestas civilis promulgavit, non reclamantibus Episcopis, nemo ullus contenderit umquam, non esse easdem sufficienter in provinciis promulgatas; præsertim, cum, illa ætate, ex antistitum ferme consilio, ad opus procederent reges; et ecclesiæ agerent mandato aut consensu, certe nomine atque auctoritate. Quare et hæc quam modo probamus, potestatis civilis accessio, alterum est, nec minus peremptorium, promulgationis omnimodo sufficientis documentum.

248 Prob. 1. Vidimus ex ipso Espenio, per edictum 15 febr. 1569 (Al. 1570) mandatum fuisse a Phil. II, ut index Tridentinus per omnia reciperetur; scribitque Haræus [1], rei gestæ contemporaneus, et Lovanii, ad s. Jacobum canonicus : « Albanus ad » stabiliendas res totus fertur. Primum ad religionem animum » convertens, libris vetitis abstinere jubet; editque eorum indicem » (Tridentinum scilicet, ut ex ejusdem inspectione liquet) typis » Plantinianis, hoc anno vulgatum. » « Porro, ait Harney [2] sicut de » indice per Belgium promulgato, loquebatur Haræus; locuti » sunt » et alii post ipsum auctores; de quo scriptorum consensu neque ipse, ut vidimus, dissentit Espenius. Indici vero isti Plantiniano, 1570, regulæ Tridentinæ, ad unam omnes præviæ conspiciuntur. Nullum igitur superesse potest dubium; quin, agente potestate publica, omnes indicis regulæ fuerint promulgatæ.

Obj. occurrunt illico adversarii nostri, ac nominatim Leplat (p. 40), contendens adjectionem regularum, cum bulla Pii IV. *Dominici gregis* et præfatione Forerii, typographi opus esse; cum rex e contrario regulas suppressas vellet et a suo censorum collegio purgandas destinaret; neque enim, monet, diploma regium 15 febr. 1569, hunc indicem cum sua appendice commendans; nec ipsa prior Plantiniana ejusdem indicis editio quæ anni 1569 dicitur [3]; nec mandatum, quo 16 febr. 1569 Plantino commissa fuit præfati indicis impressio; nec, quod eadem die concessum illi fuit, privilegium, ut per annos sex, aliis typographis exclusis,

[1] *Annales ducum Brab.*, ad an. 1570.

[2] L. I, c. VI, n. 4.

[3] Hæc editio, quæ nec regulas, nec bullam Pii IV, nec Forerii præfationem exhibet, utut annum præferens 1569, tamen etiam ad annum 1570 vere pertinet juxta illos, qui annum jam tunc ordiebantur, non a paschate, ut, pro veteri more, adhuc faciebat Plantinus, sed a kalendis januariis. Præter illam tamen editionem priorem, duplex occurrit exemplarium species, annum 1570 præferens, eisdemque diplomatis regiis, regularum, bullæ pontificiæ ac præfationis prolegomenis insignita.

illum solus imprimeret ac divenderet, quidquam de regulis meminere. Quæ tunc tacita esset principis mens, brevi patuit: cum, an. 1571, auctoritate Phil. II confectus typisque editus fuit index purgatorius; qui non nisi quatuor e decem regulis conservatas confirmatasque exhibuit, hac præmissa gravi admonitione : *cavetur etiam ne quis hunc indicem aliqua parte augeat, vel minuat.* Nemo igitur sanus dixerit; ipsum Philippum regem omnes, quas dicunt, Tridentinas regulas acceptasse et promulgasse.

R. Nihil sunt hæc omnia, nisi vanum commentum, in deceptionem bonorum, ab ecclesiæ hostibus confictum : quis enim 1° umquam tale credat; Philippum II, ipsumque etiam Albanum; (quos tamen, nemo est, qui nimiæ arguat conniventiæ) ita fuisse suorum incurios statutorum; ut quum Plantino jussissent indicem edere librorum prohibitorum illeque primum regulis truncatum emisisset; tacite permisissent, eodem anno, contra mentem suam regulas adjici, idque sub oculis illius, quod tum Antverpiæ conficiendo, ad mentis regiæ votum, indici expurgatorio desudabat, censorum collegii? Neque in hoc ipso indice purgatorio, in quo expurgatæ, ut aiunt, ipsæ regulæ; contra Plantinianam fraudem fuisset inclamatum? Nec solum impune typographus suo imposuisset, seu potius aperte illusisset patrono regio; sed etiam, ad insignis injuriæ stipendium, mansisset quin [1] et increvisset etiam principis gratia? Hæc certo certius manifestum faciunt; de ipsius voluntate principis factum esse; ut deinceps adjicerentur regulæ, quas forte typographus aut compendii gratia, aut quod eas vulgui non profuturas putaret, in editione an. 1569 suppresserat.

Præterea numquam non regulæ indicis, quæ pars illius sunt præcipua, ipso indicis nomine fuere designatæ; cum et ab eisdem Patribus, a concilio deputatis, profectæ; et eadem Pii IV auctoritate sint confirmatæ. Itaque etiam ex hac parte stat possessio nostra; donec probaverit Leplat; a communi et per ipsum principem, in aliis ejusdem epochæ documentis, ut n. 250, in adnotatione, statim visuri sumus, servato, loquendi usu, ablusisse diplomatis mandatique regii tenorem.

At probat assertionem suam Leplat ex indice expurgatorio; qui quatuor tantum, ex decem, regulis recenset; ceteris ergo, ait, missas fecit monarcha.

[1] Etenim paullo post, idem Plantinus, sub auspiciis regiis, typis mandavit indicem expurgatorium, qui lucem vidit anno 1571, ubi et in decreto indici prævio primum condecoratur titulo, *typographi regulii*, in tanti sane, judicio D^ni^ Leplat, facinoris mercedem!

R. Plures regulas recensere omittit index purgatorius; at non idcirco illas rejicit. Dicitur index purgatorius, non ab expurgando indice Tridentino ejusque regulis; sed ab expurgandis certis operibus conformiter ad regulas Tridentinas; quas exsequi velle profitetur Rex, in diplomate suo, huic indici prævio; in quo ne verbum quidem de expurgandis ipsis regulis; quæ tamen, juxta adversarios nostros, longe præcipua fuisset correctorum opera. Ceterum quod Judocus Leplat eruendum putat ex silentio indicis purgatorii, nos felicius, puto, ex verbis conficiemus Præfationis [1] appendicis regiæ ad indicem Tridentinum; qua quidem ejusdem auctores profitentur; una cum indice Tridentino præscripta fuisse sapientissime certas regulas atque præcepta; a censoribus autem, a rege constitutis adornatam appendicem, concilii catalogi ratione diligenter observata; quod sine ullo dubio de regulis indicis Tridentini intelligendum est. Quis namque, sepositis regulis, ex arbitraria librorum serie normam sibi sumat indicis componendi? En igitur ipsi censores, a rege ad opus deputati, diligenter regulas servasse, ipso principe approbante, publice nuntiantur, et princeps regulas destinet purgandas? Et hoc constat ex posteriori indicis expurgatorii circa quasdam regulas silentio? Mira sane arguendi et concludendi ratio!

At vero, inquit, in indice expurgatorio, cavit princeps; ne quis hunc indicem, aliqua parte, augeret vel minueret.

R. Hoc monitum afficit indicem expurgatorium, præcise qua talem, et secundum formam in qua prodiit; nec ulla ratione probatur quoque applicandum regulis indicis in se spectatis, quod earum quædam tantum hic recenseantur. Non augemus indicem expurgatorium, qui sex regularum, eodem non recensitarum, obligationem aliunde repetimus et probamus.

Cur igitur, aiet, quatuor tantum ex decem, regulas habet?

R. Ratio hæc latere videtur : respondent quidem plures : collegium expurgatorum eas, indici suo præmisisse regulas, quæ suo correctionis operi deberent inservire. Verum hæc ratio non videtur solida; dum etiam regula 3ia et 6a, quas omittunt, purgationem præscribunt, eisque usui esse debuerunt : ignota igitur ratio videtur, sed an ideo, quia ignota hæc ratio; dicendum erit; quod regulas purgarint et recensitas tantum admiserint? An forte et Ben. XIV, in const. *Sollicita*, etiam ipse regulas purgavit Tridentinas, cum in fine n. xi, tres tantum earum enumerat, quas quidem non solas sed præ ceteris ad suum pertinere scopum intelligebat?

[1] Prostat in indice Plantiniano.

An et P. Quanzelli de Brasichellen, s. palatii magister, in suo librorum expurgandorum indice, regulas purgavit Tridentinas; quum, ceteris omissis, regulas 2, 5, 7 et 8vam enumeravit? Id nemo proculdubio sanus dixerit; neque tamen potiori jure de Philippi II censoribus diceretur.

249 Prob. II. Eadem civilis potestatis ad decem regulas probatur accessio ex præfatione in appendicem regiam indicis; quæ testatur; fuisse cum indice Tridentino certas etiam regulas et præcepta sapientissime præscripta : Regem vero appendicem indicis conficiendam commisisse idoneis quibuscumque viris Episcopis, inquisitoribus generalibus, decanis, doctoribus; a quibus concilii *catalogi ratione diligenter observata*, quorumdam librorum, quorum vel editio vel notitia vel etiam examinatio recentior erat, æquissima censura facta fuit. Hæc verba conscripta et evulgata fuere probante auctoritate publica; quæ nisi sincere, quod verbo profitebatur, factis, ut contendo, impleverit, per insignem dolum sex e 10 regulis, qui catalogo Tridentino inservierant, de medio sublatas voluisset et declarasset. Ita actum, et nullo, ante doctorem Espenium, auctore, aut contra fraudem reclamante, aut saltem principis usurpationem adnotante, perfectum! Ubi, quæso, fides historica, si in similibus, post secula novaturientis cujuspiam conjecturæ aut somnia pro factis habenda sint?

250 Idem probatur III, ex regio decreto, quod, an. 1570 19 maji, pro artis typographicæ religiosa editum fuit directione; cujus articulus 17 [1] præcipit; ut libri cujusque censor proprium ei subscribat nomen. « Secundum quod in prælaudato s. concilio sta- » tutum est. » Hoc enim nullibi in ipso concilio, sed in indicis regula 10a repirere est.

Articulo autem 24° præscribitur typographis juramentum; quo spondeant, se rationem artis suæ fideliter gesturos esse; et « præ- » sertim, inquit, juxta quod per dictum s. Concilium Trid... dispo- » situm fuit: » ubi certe nomine concilii Tridentini, ipse, qui illius nomine insignitur, regularum index intelligitur : nihil namque tantæ molis, super arte typographica, habet ipsum concilium; cujus unicum, circa materiam, decretum (sess. IV.) paucas circa libros de rebus sacris tractantes, dispositiones habet [2].

[1] *Placcaerten van Vlaenderen*, II boekd. p. 8.

[2] Ex hinc colligo, in isto quidem diplomate nomine *concilii simpliciter dicti*, citari passim ipsas indicis regulas; quod et contextus etiam manifestum facit : quare et ad hanc quoque rem nostram facere intelligitur, quod ibidem legitur in prologo : « Statuimus... præterea, quæ nuper in s. concilio

Expressius autem, art.us 27, omnes indiscriminatim indicis regulas inculcat dicens : « Et præcipue ad amussim observare, quod » in præfato concilio, ejusdemque appendice statuitur. » Nihil est; quod nomine appendicis concilii venire queat, præter has regulas, a Patribus deputatis concinnatas, et ex synodi mandato, a Pio IV, comprobatas; ipse namque librorum damnatorum catalogus, non decretorum concilii appendix haberi potest; sed opus speciale ac distinctum.

Certum est itaque, regulas indicis Tridentini omnes, e strictioribus etiam jurisprudentiæ temporum illorum regulis, hic non modo sacram; sed civilem etiam obtinuisse auctoritatem [d].

251 His non obstantibus, declinante tandem sec. XVII, Espenius noster, ex indice purgatorio, qui 18 mensibus post regium edictum 15 febr. 1569 prodiit, concludendum putat, restitisse indicis promulgationi consilia regia, ob multiplicia, quæ catholicæ

» œcum. Tridenti celebrato, præscripta sunt, quod districte observari volu- » mus, intelligimus et mandamus. »

[d] Non tamen hic substitit zelus illustrissimorum Præsulum, quorum sollicitudini istæ provinciæ erant commissæ. Saluberrima namque et ipsi ediderunt, et a serenissimis Belgii Principibus, pro illis temporum circumstantiis, edi curarunt decreta ; quibus et promptior obtineretur legum Tridentinarum observantia; et omne, quod regioni imminebat, fidei periculum amoveretur. Sufficiat vero lectorem remisisse ad *Synodicum Belg.* (t. I, p. 338, 366, 570 et 571, 593 et 624); ad *Statuta synodalia eccl. Camer.* (parte 2 concilii Camer. II, an 1586, tit. I, c. III et IV, et Cameracensis III, an 1631, tit. I, c. IX, ad XII,) et ad regia diplomata hoc loco et seqq. numeris laudata. Nec destitere Præsules nostrates sollicitam, circa hoc librorum negotium, curam gerere : « Curam nostram primam applicandam duximus, aiebat ill. Hum- » bertus Guil. a Precipiano tunc archiep. Mechl. (in decreto, anni 1691, edito » post 13iam Episcoporum congregationem, quem et alii tres Ruræmunden- » sis, nempe, Gandavensis et Brugensis episcopi sunt secuti), ad exstirpa- » tionem abusuum et excessuum nonnullorum, unde mala alia complura » derivari compertum est. Nempe ex nimia illa licentia circa librorum quo- » rumdam lectionem, quam hactenus quidam e nobis, in suis quisque » diœcesibus, per varia et saluberrima decreta, coercere conati sunt; sed ta- » men altius coercendam boni quique judicarunt.... Omnes nobis subditos » monitos volumus; ut in tanta hodie librorum anonymorum, minime » approbatorum atque ita suspectorum et passim nocivorum multitudine, » decretis sedis apostolicæ, peculiariter circa libros jam prohibitos aut pro- » hibendos omni cum exactitudine obtemperent. » En igitur quibus viris et quibus mediis acceptum debeamus referre; quod Belgium nostrum, favente Deo, pene solum e cunctis in circuitu regnis, avitam conservarit fidem, purique a corruptione perseveraverint populi mores. Faxit Deus; ne hodie crimen inferamus tantæ, quam a patribus accepimus, gloriæ nostræ!

majestati exposuerunt incommoda; supersessum adeo fuisse exsecutioni decretorum; regem instituisse collegium expurgatorum, ut hisce querelis faceret satis; et ita, post 18 demum menses, purgata prodiisse, et promulgata unice fuisse, quæ in indice expurgatorio leguntur conservata.

R. Habemus edictum regis, promulgationem simpliciter jubentis; habemus testimonium historici gravissimi, coævi et nostratis, Haræi; habemus et fidem, ipso fatente Espenio, aliorum, qui illum secuti sunt, scriptorum; habemus et alia posteriora monumenta [1]; et his omnibus prævaleat recens Espenii conjectura! certe cum historiographus quiscumque de principe scribit : « Libris vetitis abstinere » jubet, editque eorum indicem, » nemo ullus est; qui de nudo principis, cui supersessum fuerit, mandato intelligat, nisi auctor ipse id declaret. At quod majus est; existit index, anno 1570 Antverpiæ impressus, cum privilegio principis; historici subsequentes indicem simpliciter promulgatum testantur; et nihilominus, post ducentos fere annos, reperitur; supersessum decreto fuisse; Haræum de nudo, quod effectum nullum habuerit, edicto locutum et historicos subsequentes, utut rebus ipsis vicinos, utut conscios confectionis indicis purgatorii, aberrasse in facto tam notorio! Actum proculdubio est de historia, si certissima documenta tam leviter liceat conculcare. Donec igitur auctor noster certa protulerit facta; nos haudquaquam cavillis ejus captivos ducet.

At quorsum, inquies, index purgatorius tam brevi in lucem missus? quo multiplicia illa, quæ in edicto, indici expurgatorio præmisso, recensentur, exposita incommoda [2]; nisi ad mode-

[1] Non modo enim, qui brevi Haræum exceperunt, idem illud memoriæ prodidere posterorum; sed eadem fides in sequentibus perseveravit temporibus. Humbertus Guilielmus, episcopus Brug. an. 1685 in sua ad diœcesanos instructione, de indice Pii IV aiebat : « Quem librorum » prohibitorum indicem, cum adjunctis regulis, prout a Pio, papa IV, pro» dierunt, catholica majestas, inclytæ memoriæ, Philippus II, anno 1569, » 15 febr. imprimi fecit, addito decreto suo atque statuto; ut unusquisque, » sub præscriptis pœnis, sese illis conformet. » (Ap. Harn. c. VI, n. 29), et ill. Albertus de Hornes, ep. Gand. ann. 1689, 2 aug. scribere non dubitavit : lectionem scripturæ s. in lingua vulgari infractionem esse « Contra expres» sam justissimamque prohibitionem Pii IV, in indice concilii Trid. regula » quarta, auctoritate pontificia et regia hic in Belgio debite et legitime pro» mulgatam, ex decreto anni 1570 15 febr. » (Ib. n. 31.)

[2] « Quoniam inter præscriptos libros permulti in omni facultate scientia» que comperti sunt; qui alias castigati, et a zizaniis impuræ doctrinæ opi» nionumque emendati, deinceps bona sui parte, utiliter et cum fructu legi » possint : et nolentes perire tantam pecuniæ vim.... non sine magna merca-

randum, quem prius emiserat, indicem, et ad reddendam iis, qui de ausu temerario succenserent, facti seu necessariæ mutationis rationem?

R. Nihil valent rationes contra historiam. Ceterum, quæ Espenium discruciant, spinas, collatis aliis documentis, eidem eximere non admodum gravabimur. Quid enim opus, ut indici expurgatorio historica sternatur via, e cerebro educere consiliorum regiorum morositatem et oppositiones; cum historia copiosas rei causas exhibeat. Ipse princeps in edicto 15 febr. 1569 statuit; ut « alii libri » qui adhuc restant, et sunt corrigendi et purgandi intra prædic- » tum tempus (trium mensium) exhibeantur et deferantur ad ma- » nus magistratus? » Libros vero sic collectos servari cavet princeps, et quam primum ex norma, quam institutum hunc in finem censorum collegium, ex canone et ordine concilii Trid., exhiberet, purgari curat; ut ipse nos docet in edicto 31 jul. 1571 indicis purgati confirmatorio. Arias vero Montanus testatur, in præfatione ejusdem indicis [1]; pressisse Albanum *decretam a sacro concilio librorum, qui utiles esse alias possent, expurgationem.* Hypotheseos igitur Espenianæ fingendæ occasionem dispellit historia.

Quod ipsum magis manifestum facit Rex, in edicto 31 julii 1571, memorans duos indices (scil. indicem Trid. cum appendice regia) a se anno 1569 evulgatos; quin eos ullo modo retractet, aut a se vel minimum immutandos dicat, simpliciter de hoc suo indice purgatorio professus : « Hac in re divinam legitimamque constitutionem » sequuti (sumus), quæque in sacrosancto concilio Tridentino et » catalogis decretisque ejus statuta et declarata sunt. » Dein affert rationes supra citatas (incommoda vocat Vanespen) ob quas plures libros *ex canone et ordine concilii Trid.* expurgari curet. Nec alia esse potuerunt, quæ Tridentinos Patres, quibus parère profitetur Philippus rex II, ad hanc correctionem præscribendam inducerent,

» torum jactura et studiosorum damno. » Ita edictum 31 jul. 1571 indici expurgatorio prævium.

[1] Judocus Leplat, c. v, hanc præfationem anonymam habet; neque ipsis putat tribui posse correctoribus; quippe qui impense in ea laudentur. Ariam tamen Montanum ejusdem exstitisse auctorem testatur Gretzerus, *de jure et more prohibendi...* p. 17, illiusque etiam nomen præfertur in opere : *Indices expurgatorii duo; testes fraudum ac falsationum pontificiarum*, et in ipso indice expurgatorio, apud Plantinum edito, 1571. Neque dedecebat Ariam, quod ipse, cum auctoritate regia huic censorum collegio assistebat, illius auctores extolleret; dum contra vel maxime eidem competeret; a tantis, qui operi præfecti fuerant, viris, sollicitudinem regiam commendare. Memoria forte auctorem fefellit, cum præfationem appendicis regiæ anonymam vidisset.

motiva. En igitur rationem historicam et emissi indicis purgatorii et expositorum, quibus per illum provisum est, incommodorum.

At nihilominus ostendit index purgatorius, non nisi quatuor regulas agnitas fuisse a Philippo II.

R. Nego : legem enim promulgatam non revocat mera in posteriori statuto reticentia; nisi hujus recensio in absolutam, non particularis alicujus negotii, sed totius œconomiæ regulam detur. Nec sine insigni in catholicam majestatem injuria hæc, quæ gratuito eidem supponitur, effingi potuit intentio; ut leges, utroque foro, ratas confirmatasque, clam infractas contenderet.

252 ASSERTIO III. Plerisque saltem Belgii locis is viget usus servandi generatim indicem et singulas ejusdem partes; qui solus sufficientem probat eorum omnium promulgationem, aut saltem factam usu receptionem.

Dico : *generatim*, propter exceptiones quasdam passim admissas, de quibus infra.

Dico : *plerisque saltem Belgii locis;* quia desuper alicubi serium novi moveri dubium. Quod esto eximeret a legibus, quæ creduntur tamen numquam promulgatæ aut acceptæ nulli; potest esse præsidio contra leges, debite in provinciis promulgatas aut usu receptas.

Duæ vero sunt assertionis partes; altera facti est, altera juris.

Et quidem omnes indicis leges, sine illa regularum distinctione, quam tam ardenter promotum ivit Espenius, plerisque Belgii locis in viridi esse observantia, satis probat, ipse usus subditorum qui petunt, et Episcoporum, qui licentiam concedunt legendi libros, indice contentos absque ullo regularum, per quas vetiti existunt, discrimine [1]; immo et nominatim petunt concedunt que licentiam legendi scripturam s. lingua vulgari, [2] quod citra licentiam vetitum est per regulam IV, juxta Espenium non promulgatam neque obligatoriam.

Speciali tamen id ratione constare videtur de archidiœcesi Mechliniensi, ex documento quadragesimali an. 1845, in quo legitur : « Par les règles qu'on y (au concile de Trente) ordonna de » rédiger, et qui furent publiées par le pape Pie IV, et placées à » la tête de l'index ou catalogue des livres prohibés, il fut sévère- » ment défendu de lire ou de garder 1° les livres qui sont écrits » par des hérétiques et qui traitent de la religion; 2° les livres de

[1] Cfr. Reiffenst. in l. v, decr. tit. VII. n. 114, quod docet ille de Germania potiori jure de Belgii usu est affirmandum.

[2] V. ill. d. Malou, *la Lecture*... t. I. p. 62.

» l'écriture sainte en langue vulgaire, à moins d'en avoir obtenu » la permission; 3° les livres qui contiennent des choses licencieuses ou obscènes, ou qui traitent de divinations ou d'autres » pratiques illicites; 4° enfin, ceux dont la lecture aurait été défendue par le pape ou par les évêques. »

« Ces règles, ajoute son Eminence, ont été publiées dans ce dio» cèse et y sont en pleine vigueur. »

Sane demonstrativum, *ces* règles, referri ex constructione grammatica debet ad verba indeterminata, les règles; quibus omnes generatim indicis regulas designari manifestum est.

Neque opponi potest; quod in sequenti præscriptionum Tridentinarum summario, non omnes regularum dispositiones comprehendantur; quasi vero, eæ solum, quæ recensitæ fuerunt; non item aliæ in diœcesi publicatæ sint et receptæ.

Etenim 1° obstat constructio grammatica, ne demonstrativum, *ces règles* referatur ad hanc præcise summariam enumerationem. 2° hoc summarium est factum, non ad exclusionem dispositionum, quæ non expresse memorantur; (v. g. de libris hæresiarcharum aut hæreticorum argumenti profani) sed unice in ordine ad directionem populi, proponendo quæ a vulgo cognosci magis interest, et præscindendo ab agitatis inter eruditos quæstionibus v. g. circa usum libri de argumento profano, ab hæretico conscripti; at continentis unam alteramve hæresim transeunter assertam; idque eo licuit securius; quod ad 4^{um} summarii numerum omnes qualescumque librorum prohibitiones reduci possint. 3° Certe summario continentur dispositiones reg. IV de scriptura in lingua vulgari et regula IX de libris superstitiosis; quæ regulæ in indice expurgatorio non relectæ ab Espenio aliisque, una cum 1^{a} 3^{a} 6^{a} et 10^{a} rejiciuntur. Certissime ergo falsum est; quod, recensitæ tantum expurgatorio indice quatuor regulæ, hic in usu versentur : neque ulla datur regulas inter et regulas, quo ad hunc obligationis effectum, distinguendi ratio.

253 Quod vero in assertione juris est, sequenti demonstro ratiocinio : ea sufficit ad inducendam indicis et regularum ejus obligationem receptio, quæ sufficit ad probandam promulgationem, ex præscripto Tridentini [1] in singulis parochiis faciendam, ut induceretur impedimentum dirimens clandestinitatis : atqui ad hoc sufficit; quod aliquo tempore decreti Tridentini statutum, qua tale, servatum fuerit : ergo et hic sufficit, ut index ejusque regulæ, qua tales aliquo tempore servatæ fuerint.

[1] S. XXIV, de reform. matrim. cap. I;

Prob. minor « Approbante Pontifice maximo, ait Ben. XIV [1], » sancitum fuit a congregatione concilii, ad eamdem promulgatio- » nem (legis de impedimento clandestinitatis) comprobandam, » sufficere diuturnam [2] observantiam ejusdem conciliaris decreti » de contrahendo matrimonio coram parocho et testibus. » Decretum congregationis idem Pontifex refert in opere : *de syn. diœc.* [3] his terminis : « Publicationem præsumi, ubi id decretum (de » contrahendo publice matrimonio) fuerit, *aliquo tempore*, in » parochia, tamquam decretum concilii observatum : » ita s. congregatio in Tricariensi 26 septembris 1602; ita sæpius alias decisum cit. locis refert, et laudata const. ipse decidendum statuit Pontifex.

Post ipsum vero Pius VI, in responsione ad Episcopum Lucionensem, 28 maii 1793, eidem resolutioni insistit [4].

Et quamquam similis usus, aliquo tempore perseverans, non sit vera promulgatio; non immerito tamen promulgationis vim eidem attribuit ecclesia; dum secus, deficientibus promulgationis factæ documentis, ferme omnes ecclesiæ leges possent in dubium revocari, ac penitus aboleri; et ut ait Ben. XIV, in cit. const., per ipsum usum inducitur publicatio, qua, ait cl. Carrieres [5] nulla datur efficacior : immo videtur hæc ipsa observantia, quasi obligatoria tanto cum onere frequentata, vim habere consuetudinis, quæ de se legem induceret, etsi nulla lex esset.

Quod de promulgatione legis matrimonialis definitum est, iisdem de causis et de promulgatione legum indicis dicendum esse in propatulo est : ergo certa manet argumenti conclusio et certa nostra assertio.

Nec admittendam putem exceptionem eorum, qui conclusionem nostram admittendam quidem arbitrentur, quantum ad eam, quæ legibus inest vim obligandi, non vero item quoad pœnas, si quas inferant : enimvero et hæc distinctio non gratis admittenda, sed certis probanda documentis. Secus nulla ferme pœnalis sanctio ligaret. Nihil facilius quam similem asserere consuetudinem; at

[1] In const. 19 mart. 1758. *Paucis abhinc*, versus finem. V. *tandem* ed. Mechl. bullarii, t. XII, p. 398.

[2] Non est vis ponenda in hac voce, *diuturnam* quam, in s. congregationis responso, refert to, *aliquo tempore* et ipse Ben. XIV de syn. l. XII, c. V, n. 6. reddit his verbis : « ubicumque constet jam usu receptum esse; ut matrimonia » coram parocho.... »

[3] L. XII, c. V, n. 6.

[4] Brefs. de Pie VI, t. II, p. 428.

[5] *De matrim.* n. 1181 quem confer.

nihil difficilius, quam eamdem probare; præsertim, cum ea, de qua constat, promulgatio, de jure, præsumatur fuisse legitima.

Hoc præterea certum ex dictis est : quod regulæ indicis Trid., generatim, in omnibus Belgii hodierni provinciis promulgatæ sint; atque adeo pœnæ regulæ 1^mæ^ ibidem quoque ligent.

254 ASSERTIO IV. Decreta quibus, in vim regularum obligantium, particularia proscribuntur opera, promulgari non debent, ubicumque istæ, jam obligant regulæ, ut obligationem inducant parendi; immo quantumvis hæc decreta Romæ publicari soleant; ne hac quidem stricte solemnitate indigent, etiam ut pœnas indicis, si quas applicant, certo certius inferant [1].

Ratio assertionis est; quod antequam decretis ista scripta prohibeantur, jam in ipsis regulis certissime proscripta existant : quod, quia a quibusdam negatum fuit, firmis stabiliendum est argumentis; neque iis solum quæ ex recentioribus documentis, certissima depromere possumus; sed iis etiam, quæ ex ipso legis Tridentinæ textu manifeste eruuntur; ne quis recentiorem interpretationem calumnians, et hic promulgationis provincialis defectum causetur. Itaque

Probo assertionem I. Præfatæ regulæ a Pontificibus latæ fuerunt et publice promulgatæ, non unice ut essent norma, ad quam libri prohiberentur; sed etiam ut essent leges, quibus unusquisque proscriptos intelligeret. Quis enim, quæso, alias sensus foret harum quæ omnibus intimatæ fuerunt regularum, *hæresiarcharum libri..... omnino prohibentur* (reg. 2 Trid.); *libri qui res lascivas seu obscœnas ex professo tractant, omnino prohibentur* (reg. 7 Trid.)...; si vere nullus liber prohibitus existat, nisi nominatim aut indici inseratur, aut speciali quopiam decreto proscribatur? Præterea quis scopus Aug. Richinii, præmittentis decreta generalia prohibitorum librorum catalogo, in indice 1758, quem, juxta mentem suam absolutum, Ben. XIV auctoritate Apostolica confirmavit [2]? Hujus rei et rationem allegans Ricchinius ait : quod non omnes libri prohibiti in indice describi propter ingentem eorum numerum possint; adeoque visum sit necessarium « hujusmodi libros ad certa » quædam capita revocare...; ut, si quod circa librum aliquem, in » indice non descriptum, aut in regulis ejusdem indicis non com-

[1] Cl. auctor nostras Petrus Dens quantumvis theoretice rem satis dubiam habuerit, nondum habitis tunc temporis, quæ controversiam plenius conficiunt, recentioribus documentis; practice tamen in sententiam nostram concedit, tr. de leg. n. 6.

[2] Brevi : *Quæ ad catholicæ*. Reperitur in prolegominis indicis.

» prehensum exoritur dubium, inquit, intelligi possit, utrum inter » prohibitos sit computandus [1]. » Quis horum decretorum sensus cum dicunt : prohibita sunt agenda seu formulæ precum aut officia hæreticorum; si agenda et formulæ precum, non nisi post novam prohibita sint censenda declarationem?

Et vero quis neget, bulla cœnæ, quæ tamen nullum recenset librum, prohiberi, etiam qui hodie prodeunt, hæreticorum libros, hæresim continentes vel de religione tractantes? Ergo cum indicis regulæ non minus, quam illa, sint expressæ; libros, etiam post edendos, constrictos tenent. Nec quidquam obstat, qui istis additus est, librorum catalogus : is enim regulas nude applicat, quin uspiam easdem exhaurire profiteatur.

255 Pr. II. Ita omnino docet Cl. Zaccaria [2] ubi et citat s. Alphonsum de Lig.; qui absonum esse dicit, quæstionem hic movere de promulgatione; cum istæ prohibitiones non jus novum sint; sed tantum jus vetus declarent. Concinit cl. Steyaert, *Aphorism.*, p. 2, disp. XXII, n. 8. « Sane decreta, inquit, librorum » prohibitoria novum jus non faciunt; sed jus vetus et receptum » regularum indicis supponendo, determinant modo, quis liber, » quo ordine haberi debeat, juxta easdam regulas » conformia sunt, quæ supra n. 175. scripsimus ex Mediolanensi III°; quo Episcopi libros proscribere perhibentur ejusdem indicis (Tridentini) auctoritate. Unde et supra (n. 211) jam monebamus; eum qui scire cupiat, sitne liber aliquis prohibitus; debere non solum librorum percurrere catalogum; sed ad ipsas etiam indicis regulas suum conferre librum; pruisquam ab omni censura liberum pronuntiet.

256 Pr. III. Idem manifeste eruitur ex regula indicis 10ª quæ Episcopis et inquisitoribus concedit « eos etiam libros, qui his » (decem) regulis permitti videntur, prohibere. » Nisi enim intellexissent Patres deputati et Pius IV, omnes libros regulis comprehensos, hoc ipso exstare prohibitos, quod regulis essent constricti; hanc procul dubio curam omnium posuissent primam; ut Episcopi regulas ad varios provinciarum libros applicarent : secus enim perversissimi quique libri jam exinde sub ipso regularum, quibus petebantur, præsidio, ab omni censura tuti ac liberi delituissent. Perquam autem absurdus est, qui in sententia contraria legi Tridentinæ tribuendus est sensus; ut dicantur alii libri videri permitti decem regulis; cum reapse nulli prohiberentur.

[1] Ita ex inscriptione decretorum generalium, indici præmissorum.

[2] *Storia polemica* .. in app. § 2, n. 8, p. 388.

Clarius eadem regula 10ª, versus finem, veritatem pandit; ubi, cum distinctione, præcipit : « Ne quis audeat *contra harum regularum præscriptum*, aut hujus *indicis prohibitionem* libros aliquos legere aut habere. » Nulla opus fuisset distinctione, nec regularum commemoratione, si non ipsæ, per se, regulæ; sed solus librorum catalogus libros vetitos indicasset.

257 Pr. IV. Præterea ex bulla confirmatoria indicis Trid. quæ incipit : *Dominici gregis,* nemini dubia esse potest supremi legislatoris sententia; Pius enim IV, § 3, ita statuit. « Inhibentes om- » nibus..... ne quis *contra earum regularum præscriptum* aut *ipsius* » *prohibitionem indicis,* libros ullos legere, habereve audeat. Si » quis autem adversus eas regulas prohibitionemque fecerit..... » ita primi regularum indicis auctores; nec dubium; quin Clem. VIII; Alex. VII, aliique Pontifices, generalium decretorum auctores, eidem insistentes viæ, eamdem quoque, quæ et legibus ejusmodi generalibus nativa est, statutis suis vim inesse voluerint atque efficaciam.

258 Pr. V. Sed et omne, si quod de hodierna legislatoris mente, superesse posset, dubium tolleret, quæ publici juris facta fuit, authentica ipsius legislatoris, semper in sede Romana viventis, declaratio, nullis amplius effugiis declinanda : « In communem notitiam » revocatum volumus, ait S. D. N, Greg. XVI [1] *standum esse gene-* » *ralibus regulis et decessorum nostrorum decretis;* quæ indici prohibi- » torum librorum præposita habentur; atque adeo non ab iis tantum » libris cavendum esse, qui nominatim in eumdem indicem relati » sunt; sed ab aliis etiam; de quibus in commemoratis generalibus » præscriptionibus agitur. » Nullam distinctionem ponit regulas mere prohibitivas inter et pœnales qualis est 10ª Tridentina; adeoque non minus istæ, quam illæ, singulis sunt libris applicandæ, qui sub eas cadunt; licet forte in indicis catalogo non reperiantur.

Si quispiam regesserit; has iterum litteras Romæ tantum publicatas fuisse; in promptu est responsum : quod saltem ea declaratio legis jam ligantis comprehensiva; seu quæ legis terminis clare, ut vidimus, continetur, nulla egeat promulgatione; modo, quod ea continetur, innotescat, etiamsi privato studio aut informatione.

Hanc doctrinam certam habent doctores omnes catholici, sive de legis naturalis aut divinæ; sive de legis humanæ, jam promul-

[1] In litteris encyclicis 8 maji 1844. (*Journal hist.* t. XI, p. 86) fere ad finem, V. *Itaque.*

gatæ, declaratione sermo sit. Consule Billuart (de legibus diss. III, art. 2, § I, dixi 1°) utut promulgationi, in provinciis faciendæ, faventem. Pauci tantum, sed Jansenistico turgentes fermento, repugnant; nominatim Vanespen, qui ipsas bullas, doctrinæ catholicæ declarativas regio submittit beneplacito; et qui ejusdem vexillum sequuntur : ita ut nihil remorari nos debeat ejusmodi hominum auctoritas; melius dixerim, temeritas. (Cfr. supra, n. 251.)

259 Evanescit ergo quod plures existimabant apud Billuart [1] (qui probabile etiam judicabat; sed antequam præfata noscerentur documenta) regulas non tam libros de facto, sub tali pœna, prohibere; quam tradere modum, secundum quem prohibeantur; atque adeo saltem jus novum esse quod talis liber sub pœna excommunicationis prohibeatur.

Fatebor interim etiam ego; aliquid novi juris esse in istiusmodi librorum condemnatione; hoc scilicet : quod, pro illa, a qua statutum prodit, auctoritate, res, alias forte dubia, nunc, habeatur explorata et decisa; nec tribunalia, quæ parère edicto debent, jam in foro externo admittere possint ignorantiæ vel bonæ fidei prætextum, qui tam patenti, apud omnes monumento, fuit depulsus. Qua de causa non inutile reputandum est quod libri, regulis jam damnati, si qui speciatim noxii videntur futuri, expresso proscribantur decreto et omnium exponantur aversioni.

Caute igitur legendi sunt etiam optimæ notæ auctores, qui olim scripserunt : libros secundæ classis non censeri prohibitos; nisi speciatim in indicem referantur [2]. Etenim licet isti, non ut libri primæ classis solo auctoris hæretici præjudicio damnati sint; tamen antequam indicis inserantur syllabo, regulis generalibus constringi eos posse et reapse aliquando constringi, non est dubium.

260 Sequitur quod libri, statutis particularium synodorum vel Episcoporum proscripti, in vim regularum indicis Trid.; Instructionis Clem. VIII, etc., ubique sub pœnis indicis prohibiti sint habendi; quatenus hac via, saltem doctrinalis habeatur notitia, etiam in aliis regionibus, quod ii legibus constringantur Tridentinis. Hæc tamen erit locorum disparitas : quod extra territorium, præfatis

[1] *De leg.* diss. 3, art. 2, § 1. V. *sed petes.* Eum sequitur auctor noster, Dens de leg. n. 6. Daelman autem (de Leg. q. VIII, obs. 8, v. *Notandum*) videtur quidem etiam cum iisdem sentire auctoribus et eadem, quæ ipsi, verba etiam adhibet; sed mens ipsius haurienda ex contextu est; ubi ait; præscribi in regulis modos, secundum quos libri censeri debeant prohibiti; ita scil. ut simul et prohiberi censeantur et quo id in judicio exsterno constet, prohiberi adhuc debeant.

[2] Ita Laymann, l. II, tr. I, c. XV, n. 8 et alii plures.

synodis aut Episcopis subjectum, facilius ignorantia possit prætendi aut bona fides, aut etiam ad novum provocari librorum examen.

Atque eadem de causa appendix regia Philippi II, utpote a viris eruditissimis confecta, hanc sibi doctrinalem declarandi auctoritatem imprimis vindicat. Vide Daelman, *de legibus,* q. VIII, obs. 8, v. *Nostandum.*

Hæc doctrina bene attendi meretur ab iis, qui librorum catalogis censendis operam navant; et generatim ab omnibus, qui ex officio vel obsequio de libris disjudicant.

261 ASSERTIO V. Solæ igitur illæ Romani indicis partes, per varias Belgii diœceses non obligare dici possunt, quarum exceptio, pro tali loco, per facta aut documenta non dubia docetur.

Manifesta est sequela : etenim 1° regulæ indicis et ipse index cum decretis suis, etiam posterioris ævi, citra promulgationem, in provinciis factam obligabant, ad sui observantiam; 2° in Belgio certe promulgatæ fuere decem indicis regulæ et in ipsis totus fere index; qui illarum pene necessaria est evolutio; et 3ⁱᵒ omnes generatim indicis partes acceptavit usus et firmavit consuetudo: superest ergo, ut qui iis exemptum se, vel in toto existimat, vel in parte, hisce vinculis se jam non ligari ostendat.

Plurimas interim, per usum, inductas fuisse derogationes, haud est ambigendum. « Quidquid sit, aiebat Cl. Dens [1], constat equi» dem de facto in variis indici Tridentini et regulis indicis saltem » per usum contrarium esse derogatum » quæ conformia sunt verbis gravissimi Billuart; qui (de fide, diss. IV, a. 3, § 5, dico 2°) testatur observare auctores, Pii IV « indicem non esse quoad omnia » in toto rigore receptum. »

Non tamen, quod sciam, desuper auctoritas publica aliquid umquam in lucem emisit : scriptores quoque admodum circumspecte in re versantur. Quapropter et quæ hic in seqq. prælibamus, quia communi piorum doctorumque conformia videntur; non sine cautela, sapientiorumque judicio velimus admissa.

262 In exempla legis abrogatæ afferri possunt, quæ in indicis Tridentini regula 10ª leguntur dispositiones, de indice librorum, apud typographos librariosque venalium; de librorum transmissione; de venditione librorum, etiam non prohibitorum, qui per defunctum derelicti sunt : talis est, quæ in instructione Clem. VIII de prohibitione librorum, § 2, imponitur obligatio denuntiandi Episcopo aut inquisitori scripta, animadversione digna; notatis insuper, ut dicitur, capitibus et foliis.

[1] De legibus, n. 6.

263 Notat Card. de Lugo [1]; universim permitti opera veterum hæreticorum Tertulliani, Origenis, Eusebii, Pelagii, tum « Quia, » ait, jam errores noti sunt et nemo de illis curat; tum quia ne- » cesse est, quod maneat notitia eorum errorum, quales fuerint; » ut constet, cur fuerint damnati; et quia multa alia ad mores » antiquæ ecclesiæ spectantia et vera dogmata in iis continean- » tur, » quæ utique felicius, contra adversarios nostros, ex ipsis hisce fontibus derivamus, quam ex catholicis, qui ea collegerunt, auctoribus. Interim satis mihi dubium; an omnia veterum hæreticorum scripta permittat usus; licet illæ rationes, absentia scil., majoris periculi, et quædam utilitas generatim pro omnibus militare videantur. Alii enim auctores satis restricte loquuntur: *Permittuntur libri quorumdam antiquorum hæreticorum*, ait Bill. (de fide diss. IV, c. 3, § 5) ut Tertulliani. Ita etiam Sylvius in 2 2, q. XI, a. 3, quær. 6, conc. 6, v. *libri Origenis*. Veteres hæreticos generatim prohiberi existimat Schmalzgrueber, in l. v, decr. tit. VII, n. 32. Quare satis videtur incertum; an usus modernus permittat legere libros v. g. Nestorianorum, Eutychianorum aliorumque. Id tamen affirmari posse existimo; quod eorum scripta in materia indifferenti nulla lege pœnali stringantur; cum pœna bullæ cœnæ tantum respiciat libros de religione tractantes vel hæresim continentes; regulæ autem Tridentinæ tantum agant de hæreticis posterioribus anno 1515 (Cfr. reg. Trid.). Prohibitio vero Gelasii scripta indifferentia non videtur afficere; cum prohibitionem suam generalem restringat dicens: *hæc et omnia his similia* (supra n. 48.)

Insuper plura sunt opera particularia quæ, per usum, variis locis, excipiuntur. Quum vero hæc non ita passim nota habeantur; privatorum erit, in dubio, suum consulere ordinarium; ut vel declarare dignetur usum legitimum; vel necessariam legendi retinendive licentiam impertiri.

De consuetudine Belgii circa libros de quæstionibus, catholicos inter et protestantes agitatis, vide supra, n. 206.

264 Quæri hic potest; an adhuc, in Belgio nostro, obligandi vim habeant.

1. Prohibitio legendi libros hæreticorum tantum, qui hæreses continent, non ex professo, ut aiunt evolutas; sed per accidens insertas? (Prohibitio lata est in bulla cœnæ sub excommunicatione reservata, ipso facto incurrenda).

2. Excommunicatio, non reservata, in regula indicis 10ª lata contra legentes, retinentes.... certos libros, hæreseos suspicione

[1] *De fide div.* disp. XXI, sect. 1, n. 29.

laborantes, donec jussu Episcoporum aut inquisitorum fuerint approbati aut expurgati.

3. Item prohibitio et excommunicatio lata in reg. 10ª, ex decreto sess. X. Later. V, contra imprimentes, seu imprimi facientes, librum aliquem, seu aliam quamcumque scripturam, aut qui libellos manuscriptos evulgant, legunt aut retinent, sine debito censoris examine atque approbatione.

4. Prohibitio [1] in sess. IV conc. Trid., facta, ne ulli de rebus sacris vulgarentur, libri, sine nomine auctoris; et prohibitio *Instructionis Clementinæ, (de impressione libr.* § 1) ne cujuscumque argumenti libri imprimantur anonymi; nisi defectum hunc, justam aliquam ob causam, suppleat sola censoris, qui librum examinaverit, atque approbaverit, subscriptio.

5. Quæri quoque potest, obligetne in Belgio index, quoad libros, quos secundæ classi assignant Laymann aliique (supra n. 172).

Prænotandum; quod, hic abstrahamus ab ea, de qua infra, c. VI, actúri sumus, legum ecclesiæ contra libros impios et obscœnos renovatione, per Instructionem past, ann. 1843. Quo præmisso monito,

265 R. ad 1. De Germania aiebat Laymann [2] « In partibus nostris » septentrionalibus bullaris hæc (cœnæ) constitutio secundum ta» lem rigorem recepta non est : multi enim frequenter prodeunt » hæreticorum libri juridici, medici, historici, quibus plerumque » reperias unam vel plures hæreses obiter admixtas : et tamen » passim in catholicorum bibliothecis asservantur, leguntur. » Mox tamen excipit eos libros; qui, data opera, veram religionem impugnant; quorumque proinde nomina diserte exprimuntur in indice.

Plures sunt, qui eamdem Laymanni adnotationem ad regiones nostras extendendam putent.

Certe rationes prorsus eædem militant; ferme enim impossibile est, in quacumque versari studiorum palæstra; quin continuo obvios habeas libros ejusmodi prohibitos; quibus sine molestia aut nocumento abstinere nequeas : verum ob similem difficultatem, præcise sumptam, non cessat lex, dum semper in necessitate potest peti licentia.

[1] Dico, *prohibitio* : excommunicatio enim, quæ apposita fuerat, licet forte per regulam 1 indicis Tridni videri possit confirmata fuisse ; tamen postea per Alex. VII, ad terminos bullæ Pii IV seu regulæ 10æ, ut infra c. VI, n. 294 et 298. visuri sumus, fuit reducta.

[2] L. II, tr. I, c. XV, n. 4.

Quærendum ergo; an idem ille, qui in Germania vigebat, in Belgio obtineat usus.

Quocirca de libris, qui purgatione indigebant, agens, Papebrochius, sec. XVII, scribebat. « Ceteri extra materiam religionis, » quocumque auctore et loco, impressi, ab Episcopis, in Germania, Gallia, Belgio inquisitorum personam sustinentibus, et » per institutos a se librorum censores exercentibus, nullo discrimine tolerantur, passimque inferuntur et exponuntur venales; » in quo ipso tamen, ne quod periculum sit, incurrendæ cujuscumque censuræ, solent bibliophili timorati petere et facile obtinere prænotatam libros prohibitos legendi licentiam [1]. » Verum non magnum coacta quasi Episcoporum circa publicum ejusmodi commercium taciturnitas usui robur addit. Interim ex eo tempore perseveravit in Belgio consuetudo, quæ latius indies videtur extendi.

Quantumvis vero Pyrhing aliique plurimi auctores, qui præfatam Laymanni sententiam sequuntur, nullum, præter Laymanni auctoritatem, argumentum afferant, ut notat Reiffenstuel (in l. V decretalium tit. VII, n. 50 qui et opinionem illam, quatenus restrictæ, juxta Laymannum, receptioni nixam, respuit); non tamen penitus videtur illorum explodenda auctoritas. Acciderit, nempe, illis, quod plerumque fieri assolet in quæstionibus facti : ut, scilicet, quoniam uniuscujusque notitia angusta temporis et loci spatia complectitur, nemo ullus velit primus legem per usum contrarium abrogatam docere; et quisque alium præeuntem sequi gestiat. Saltem igitur auctores illi habendi erunt, veluti testes totidem, de modo, quo legem suis loco et tempore servatam videbant. Hujus vero non acceptationis vel consuetudinis vim enervare non videntur, quæ contra illas, ex annua promulgatione clausulæ, consuetudinum derogatoriæ in bulla cœnæ, ibidem producit Reiffenstuel, a n. 79 ad 93; præsertim quod jam ab annis fere octoginta sub Clem. XIV cessarint annue renovari dictæ clausulæ.

Longius, et quo eumdem sequi penitus abnuendum putem, ibidem procedit ipse Reiffenstuel; sed alio nixus fundamento : contendit nempe, n. 51, libros hæreticorum, qui nec de religione tractant, nec hæresin ex professo, et instituto, aut notabiliter defendunt, etiamsi plures hæreses contineant, aut etiam obiter, et aperte futiliter, propugnent; ubique legi posse, sine ulla læsione bullæ cœnæ : quia sic, ait, universaliter cessat ratio legis; seu pe-

[1] *Responsionum ad exhibitionem errorum per Seb. a S. Paulo*, part. 2, resp. ad art. 24^m^, § 4. p. 469.

riculum perversionis; dum, simili lectione, non plus aliquis movetur, quam nuda relatione hæresium vivæ vocis organo facta : (ut si v. g. Petrus dicat, Paulum negasse præsentiam realem Christi in Eucharistia) quæ relatio, ait, nullum habere censetur periculum. Huic autem rationi nemo, putem, suffragabitur; cum hæretici, nedum errores suos charactere distinguant Italico, hoc contra ineant consilium; ut latenter subrepant, et lectores inscios erroribus suis inficiant. Nihil quidquam igitur morari nos debet auctoritas Reiffenstuel, utut illi suffragetur Schmalzgrueber (in eumd. locum n. 52); nisi forte, quatenus auctores illi hoc modo vindicare voluerint praxim, quam etiam ipsi vigere extra Germaniam repererint. Quo pacto adjici posset et testimonium illorum testimoniis aliorum; quo modus interpretandi servandique legem etiam extra Germaniam innotescat.

Patriam nostram igitur quod attinet, omnia reducuntur, 1° ad unum, de quo constet, Papebrochii testimonium; illud vero, si totum expendatur, non valde firmum; et 2° ad eum, qui hodie passim notatur, legis neglectum. An ergo specialis hic pro Belgio admitti possit exceptio, sapientioribus disjudicandum relinquo.

Practice evanescit fere difficultas, propter eam, quæ infra, c. VI, n. 280, danda est, significationem vocum, *hæresin continere.*

Ego igitur nemini auctor fuerim; ut præfatam legem prætergrediatur; propter exposita tamen argumenta minime inquietarem eum, qui aut hujus controversiæ nescius, aut de legitimo usu persuasus, sine periculo bona fide contra legem ageret.

266 R. ad 2. Quæ ad primum dicta fuere, hic etiam valent : hoc tamen est discrimen quod hujusce legis observantia plus difficultatis habeat et plura gravioraque, pro rerum adjunctis, afferre possit incommoda; quibus provisurus, caverat legislator, ut hujuscemodi libri debite censerentur et censiti, ac, si opus esset, purgati, permitterentur. Cum autem ista librorum purgatio exsecutioni dari nequiverit, et aliunde magnum in his regionibus, in quibus hæreticis permixti vivimus, damnum esse posset ab hujusmodi libris abstinere debere [1]; tolerante saltem ecclesia, factum videtur, ut prudentium virorum judicium et publica inter catholicos opinio,

[1] Eliminandi enim v. g. ex scholis et collegiis essent omnes libri elementares (grammaticæ, libri arithmetici, historici...) ab hæreticis profecti, donec examinati permitterentur. Eliminandi pariter eorumdem libri medici, chirurgici, juridici, calendaria, esto nihil contineant, quod fidei bonisque moribus sit adversum, neque de religione tractent. Cfr. reg. 1ª et 5 ind. Trid.; item *decreta generalia*, § 1.

censuræ legitimæ instar haberetur; et jam, lex, qua suspectos tantum vetaret libros, in desuetudinem abierit : passim enim negligitur, et prudentes quique tolerandum esse merito arbitrantur. Quod si reapse hæreses contineant, aut de religione tractent præfati libri, redit casus numeri præcedentis [1].

267 R. ad 3^m. Etiam hic consuetudo, legi contraria, tantopere inoluit, apud probos doctosque viros; et non solum eæ sunt, in observanda lege difficultates, sed et moralis impossibilitas; ut eam modo adhuc obligare dicere non ausim; nisi in quantum, per *Instr. past.*, ann. 1843, ab ill. Belgii Episcopis renovata fuit pro libris, *fidei bonisque moribus inimicis.* (Cfr. infra c. VI.) Id vero eo magis admittendum videtur; quod, ubi hæc censura prævia ideo est introducta; ut bona opera hisce veluti litteris commendatitiis propagentur; mala vero iis destituta repudientur; sæpius hodie accidat, ut scripta optima, eo præcise titulo, quod a censore ecclesiastico commendati sint, respuantur ab iis, quorum maxime utilitati destinantur; ut his casibus finis legis in contrarium cessare sit censendus. Unde et de industria multa eduntur opera

[1] Prænotatis satis conformis est usus, de quo testatur theologus nostras Heringx t. III, disp. IX. n. 86) dicens : « Catholici his in locis non faciunt » scrupulum, legentes epistolas hujusmodi familiares, quas interdum ab » amicis hæreticis recipiunt. » Verum id non miror : qua enim lege similes epistolæ generatim prohiberentur, non video. Non enim, ut ibidem contra quosdam contendit laudatus auctor, et nos infra latius explicabimus, n. 278, breviores ejusmodi conscriptiones possunt dici *libri;* ut per bullam cœnæ prohibitæ censeantur; aut, addo, vetitæ existunt per regulam secundam aut dispositionem regulæ decimæ, de scripturis non probatis : et hic enim *libri* memorantur et *libelli manuscripti*, quibus vocibus certe nemo familiarem designaverit epistolam. Sed neque per *decreta generalia* indicis, ejusmodi scripta, generatim prohibentur. (Cfr. n. 211 et 306). Instructio autem Clementina (parte, quæ *de correctione librorum* inscribitur) non determinat, quænam opera purganda sint; sed nude regulas tradit servandas, in expurgandis libris, qui aliunde expurgationi sciuntur obnoxii. Nec felicius similem prohibitionem, saltem pro diebus nostris, erueres ex eo; quod, pro primæva trium classium distinctione, hæreticorum *scripta etiam edenda* essent prohibita, quod monebat præfatio indici Tridentino præmissa : etenim et hæc declaratio in recentioribus indicis editionibus, quæ in absolutam dantur indicis et regularum ejus collectionem, disparuit; ita ut non modo excommunicationis pœna, qua illam dispositionem regula indicis 10^a muniisset; sed ipsa etiam, qua positivi hujus tantum juris erat, prohibitio intercidisse dicenda sit. Statuendum ergo, quod jure positivæ epistolæ præfatæ non sint prohibitæ. Si tamen de religione tractent aut hæreses doceant, lege naturæ easdem, pro suo cujusque periculo, prohiberi, certum habemus. (Cfr. si libet, infra, n. 294).

bona, quasi nulli subjecta censuræ, reapse tamen subjecta.

Hic tamen excipiendos putem libros rituales, libros elementares religionis nostræ, libros precum et similes; pro quibus, legum observantiæ severius institere Episcopi; tum quod hic feliciori exitu laborarent; tum quod eo periculosior hic foret deceptio, quod sub specioso salubris doctrinæ symbolo lateret.

In his autem multum attendendum ad eam, quam viri religione et doctrina spectati, nemine reclamante, tenent viam; a quo tamen alienum videtur, collectanea, unice aut principaliter de rebus religiosis tractantia in lucem mittere, censura destituta. Verum quidem est; eduntur, nullo contradicente, scripta quædam periodica, in quibus plura occurrunt; quæ, cum de religione agant, in rigore juris non magis quam præfata isthæc collectanea a censura probationis eximi possint; cum tota discrepantia penes majus et minus videatur. Nihilominus latere attendentem non potest maxima utriusque scriptorum generis disparitas. Imprimis scripta historica, litteraria, philosophica, scientifica catholici vix edunt, quin aliqua interserantur, quæ religionem catholicam, etiam apud exteros, commendent: hunc autem scopum minus obtinerent; si censuræ ecclesiasticæ præmitterent encomium. Ea autem, de quibus agimus, miscellanea, ad solos catholicos directa, per censuræ appositionem, nedum quidquam damni pati possint, contra maguam apud secure legentes bonæ doctrinæ existimationem consequentur. Hinc vero, quod rei caput est, usus communis priora isthæc scripta dudum in hac patria a lege excepit; dum contra pro scriptis, ex professo de religione tractantibus, in Belgio imprimendis, censuræ præviæ legem usus hucusque videtur servasse.

Interim quæ modo monuimus auctores et typographos præcise spectant: vidimus namque supra, n. 194, quod libri, eo præcise nomine, quod censura destituti sint, jure positivo, legi non prohibeantur; nisi de rebus sacris agentes, simul anonymi prodeant: attamen et major fidelium a periculo immunitas, et vitanda, etiam materialis, cum editoribus cooperatio postulat; ut huic librorum censuræ sollicite attendant.

Quod vero hunc spectat censuræ prævias, variis locis, et nominatim in Belgio, neglectum, adnotanda hoc loco recentissima circa legem hanc S. D. N. Pii IX concessio est. Cum nempe constitutionis suæ civilis art. II [1] impertitus fuisset civilem artis librariæ libertatem a censura prævia, nihil quidquam immutatis, ad tempus, legibus ecclesiasticis de librorum impressione latis; per litteras encyclicas,

[1] *Revue cath.* III, 230; *Journ. hist.* XV, 26.

secunda junii 1848, ad Episcopos ditionis pontificiæ datas [1], legem ecclesiasticam censuræ prævias, (tum ne scriptorum, pro seculi genio quotidie editorum ac præsertim scriptorum periodicorum impressio retardaretur, tum ne festina et quasi furtim sæpius obtenta approbatio in damnum religionis verteretur aut morum) ita moderatus est; ut soli ii libri eæque solæ scriptorum partes censuræ remanerent subjecta; in quibus speciatim de religione aut moribus ageretur. Hæc tamen concessio solos afficit Status pontificios; ita ut in aliis regionibus leges et consuetudines eædem, quæ ante concessionem illam, perseverent: quemadmodum et pro ditione pontificia ceteræ, de libris, leges ecclesiasticæ in suo permanent vigore; in quo et eisdem litteris encyclicis auctoritate apostolica confirmatæ fuere. Quapropter et die insequenti idem sanctissimus Dominus, qua princeps temporalis, legem edidit, repressivam, ut aiunt, abusuum, seu pœnalem; qua varii, qui scriptis committi possunt, contra religionem, mores, personas sacras.... abusus plectantur [2].

268 R. ad 4. quæstio agitatur modo de casu, quo liber, censuræ non subjectus, insuper prodit sine auctoris nomine. Censoris enim nomen, ex dictis, justam ob causam, nominis auctoris defectum supplet. Porro et hic adeo inoluit usus contra legem, tacentibus, pro temporum necessitate, superioribus; ut ejusdem in Belgio observantiam imponere non ausim. Confer supra, n. 194 et 195, ubi ostendimus, prohibitam quidem librorum anonymorum censuraque destitutorum impressionem; non tamen impressorum, nisi tractent de rebus sacris et simul sine nomine ac censura prodeant, lectionem.

Nostrum interim est, omni, quo ecclesiæ ministros, pro salutarium providæ matris ecclesiæ præscriptionum observantia, ardere decet, zelo, qua consiliis, qua monitis satagere ut removeatur a fidelibus omne lectionis periculum; omniumque, quæ desuper latæ sunt, ecclesiæ legum observantiam urgere et proprio exemplo inculcare; nec umquam, nisi prorsus justa de causa, vel materiali concursu, auctoribus et typographis ecclesiæ leges contemnentibus cooperari.

269 R. ad 5. Negat quidem Laymann pro Germania [3] verum id refutat Reiffenstuel [4]. Engel ad summum pro sola excommunica-

[1] *Revue cath.* III, 264.

[2] Eas summatim exhibet *Revue cath.* t. III, 266.

[3] Lib. 2. tr. I. c. XV, n. 8.

[4] In lib. v. decr. tit. VII. n. 115.

tionis pœna admittit [1]; ad certi generis libros limitat Schmalzgrueber [2]. Ad Belgium vero quod attinet, nullum vidi auctorem, qui eos libros excipiat; nec putem ullum doctorem a prohibitione, aut censura eximere, qui hoc titulo, verbi gratia, Espenii scripta legeret; dum universim viget usus in similibus consulendi servandique indicis syllabum; qui secus, majorem sui partem, nullius esset roboris; quod nemo putem sine gravibus argumentis admiserit.

270 Quæ vero hic dicta fuere de regulis ipsis indicis Romani, quarum quædam usu contrario abrogatæ jam esse videntur, applicandi sunt et decretis Romanis, *si qua*, *unice in vim earumdem regularum*, edita fuisse constet; nisi quatenus certis locis usus sequendi litteram indicis effecisset, ut etiam juxta dicenda n. seq. decreta, jus novum condentia, et Romæ tantum promulgata, obligationem inducerent. Ratio asserti est quod nihil ex integro novum statuatur; sed applicetur jus antiquum quod supponitur non obligare.

Certe similes consuetudines, particularia, in quibus vigent, loca intelliguntur afficere. Unde et in novis indicis editionibus earum nulla haberi potest ratio.

271 ASSERTIO VI. Immo consuetudo indifferenter amplectendi, quæcumque, super negotio librorum prohibitorum, sive a Pontifice sive a sacris congregationibus emanant decreta, id effecisse videtur in Belgio; ut etiam in sententia eorum, qui generatim leges Romanas in provinciis promulgandas esse contendunt, decreta jus novum, in hoc librorum negotio condentia, citra speciales clausulas, de quibus late supra, seu, per se loquendo, ad obligationem inducendam, etiam qua pœnalia sunt, promulgari in Belgio non debeant.

Dixi autem : *jus novum condentia*, quod certe valde est infrequens, præsertim in hac librorum materia; vix enim ullus proscribi meretur liber, qui non jam una alterave indicis regula prohibitus sit censendus.

Assertionem vero hac ratione comprobari existimem : In Belgio non est mos promulgandi decreta, quæ super libris nocuæ lectionis prodeunt : interim publicantur illa per ephemerides; et data occasione, probantibus Episcopis, inseruntur novis indicis Romani editionibus. Nec quisquam est, qui in his decretis aut indicibus discernat ea, quæ jus novum condunt, ab iis, quæ jus declarant an-

[1] In eumdem, l. n. 9.
[2] In eumd. locum, n. 60.

tiquum. Isthæc vero consuetudo imprimis conformis est monito ill. Humberti a Precipiano, Archiep. Mechl. in edicto diei 9 jan. 1691 his verbis expresso : « Generatim omnes nobis subditos mo» nitos volumus; ut in tanta hodie librorum anonynorum, minime » approbatorum atque ita suspectorum et passim nocivorum mul» titudine, decretis sedis Apostolicæ, peculiariter circa libros jam » prohibitos aut prohibendos, omni cum exactitudine obtempe» rent. » Idem decrevere et tres alii Episcopi, scil. Antverpiensis, Brugensis et Ruræmundensis (v. Harney, c. vi, n. 33).

Jam autem, ut docet S. Alphonsus [1] ex Roncaglia, etiam concessa probabilitate sententiæ, quæ requirit generatim promulgationem legum Romanarum in provinciis; ab ea tamen sententia excipit consuetudo indifferenter amplectendi decreta, Romæ quocumque modo promulgata. Ratio est; quia, ut ait Roncaglia [2], hæc consuetudo derogaret, etiam in auctorum illorum sententia, juri contrario non parendi, nisi post promulgationem in provinciis : legis enim, præsertim in re ardua, observantia, a parte subditorum, rei consciorum intentionem manifestat inducendæ legis, et communem piorum sensum [3].

Hisce assertionibus, spero, satis superque apud omnes, quibus sincerus animus est constabit, quam sint flocci facienda, quæcumque Espenius aliique supra citati congerunt, et per longos, de promulgatione legum ecclesiasticarum, circuitus deducunt, sophismata; ut perversam suam de obligatione constitutionum, earum etiam, quæ declarativæ sunt aut dogmaticæ, opinionem catholicis per fraudes et mendacia persuadeant. Discamus hinc nos Romano-catholici; quo loco habenda sint; quæ specioso eruditionis et solidi ratiocinii habitu circumdata, ea cum fiducia, quæ solius veritatis esse deberet pedissequa, proferunt [4].

[1] *Theol.* l. i. tr. 2. c. i, n. 96. V. *sed quod.*

[2] Tr. iii. c. iv. n. 9. 3.

[3] Confer. S. Alph. n. 107 ubi de conditionibus consuetudinis.

[4] Videmus supra, c. iii, s. i. quo zelo, saltem in pluribus Galliæ provinciis, sin minus auctoritate civili, certe auctoritate ecclesiastica in synodis provincialibus fuerit receptus et promulgatus index Romanus. Nihilo tamen minus paullatim invaluit usus in Gallia; quo index, qua positivi juris est, et nominatim qua pœnas irrogat, neminem ligare censeatur, et adeo penitus negligatur. Hæc autem consuetudo jam a longissimo tempore continuata, sciente et non reclamante s. Pontifice, jam legi prævaluisse videtur; nec jam est in Gallia eruditus aut pius quispiam; qui prohibitionibus positivis indicis ligari se arbitretur. (Cfr. Zaccar. in append. ad quæst. 5am; Edi-

tores *Cursus compl. theol.* t. XIII, col. 1015 et seqq. et *Journ. hist.* t. III, p. 68.)

Quædam tamen speciales prohibitiones, etiam quoad pœnas in Galliis receptæ servatæque semper fuere; ut notant editores *Cursus compl.* Tales sunt, quæ feruntur in bullis Leonis X. *Exsurge Domine;* Al. VII. *Ad sanctam;* Clem XI. *Unigenitus;* Inn. XII, *Cum alias*, etc. : Vi tamen ejusdem consuetudinis, quæ pœnas non solent acceptare Galli, in his etiam earumdem sublatam seu potius non admissam fuisse pœnarum reservationem laudati editores affirmant.

Non est autem quod quis invideat regno Christianissimo hanc legendi libertatem : non enim alio, a perversis libris, medio tantopere propagata in illo fuit impietas et effrænis morum licentia; non alia via præparata impiissima simul ac crudelissima, quæ umquam visa fuit, seculi præteriti rerum publicarum eversio; non aliunde repetenda tanta in religionis negotio indifferentia, tanta omnis jugi impatientia tantusque omnis auctoritatis contemptus.

Allaborarunt quidem ill. Galliæ Præsules, qua synodis, qua mandatis, gravissimo huic negotio providere; sed particulares istæ prohibitiones non eamdem, quam alibi habent pontificiæ, efficaciam habuerunt. Inter illas autem sententias notari meretur statutum, quo Clerus Gallicanus, perculsus ingruenti pravorum scriptorum ingluvie, ann. 1765 condemnavit. « Tous les » ouvrages, qui ont été faits dans les derniers temps contre la religion chré» tienne, la règle des bonnes mœurs, et les principes d'obéissance due aux » souverains.... sous les peines de droit. » Quæ tamen ipsa sententia an feliciorem sortita fuerit exitum, merito dubitaveris.

CAPUT VI.

QUÆSTIONES PRACTICÆ CIRCA LIBROS PROHIBITOS.

272 Jam pervenimus ad ultimum hujus tractationis caput; in quo expendendæ nobis veniunt quæstiones practicæ circa illam, quam modo stabilivimus et vindicavimus, prohibitionis pravorum scriptorum disciplinam. Non is tamen nobis est animus, ut intricatiores et subtiliores, sed in praxi vix obvios hic pervolvamus casus; quos qui expendere voluerit, adeat auctores qui late et diligenter in hac materia versati sunt [1] : nos iis tantum occupabimur, quæ præsertim hodie in Belgio frequentiora, nonnumquam difficultatem habent.

Partimur autem præsens caput in quinque sectiones, quarum 1ª summarie tradet casus, quibus, per lectionem, retentionem.... libri vetiti, incurritur excommunicatio s. Pontifici reservata : 2ª casus exponet excommunicationis non reservatæ : 3ia aget de lectione, qua solum peccatur contra legem naturalem : 4ª de lectione, quæ juri positivo adversatur, nulla apposita pœna : 5ª demum quæ supersunt, quæstiones practicas, complectetur.

SECTIO I.

Quibus casibus incurritur per lectionem, retentionem..... librorum, excommunicatio major, s. Pontifici reservata?

273 R. Casus illi post Alex. P. VII, reducuntur ad duo capita : Primum bullæ *Cœnæ*, quod sequenti tenore evolvitur. « Excommu- » nicamus... quoscumque Hussitas... a Christiana fide apostatas, ac » omnes et singulos alios hæreticos, quocumque nomine censean- » tur, et cujuscumque sectæ existant... ac eorumdem libros hære- » sim continentes vel de religione tractantes sine auctoritate » nostra et Sedis apostolicæ scienter legentes, aut retinentes,

[1] Confer Suar. *de fide*, disp. xx. sect. 2; Lugo, *de fide*, disp. xx, s. 2, n. 26; Herinckx, t. III, disp. ix, n. 86; Reiffenst. in l. v. decr. tit. vii; Schmalzgrueber eod. loco; s. Alphonsi de Lig. *Diss. de libris prohib.* et theol. l. vii. c. 2. n. 281; Lacroix, l. vii. n. 328.

» imprimentes seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa; » publice vel occulte; quovis ingenio vel colore;... [1] »

Secundo excommunicationem reservatam incurrit qui legit, retinet... librum post Alex. VII, sub præfata pœna prohibitum. Notat autem in præfatione sua Ricchinius, sub hac pœna prohiberi pene omnes libros, qui post ann. 1664, ab ipsis Pontificibus vetiti fuere; id quod ex brevibus aut bullis eorumdem solummodo potest hauriri. Ex quo patescit unicuique; censuras hujusmodi, saltem ob defectum scientiæ, rarissime aut numquam contrahi, nisi primis annis a promulgatione, quibus etiam magis interest censuram timeri.

274 Referunt quidem Salmanticenses, (*Theol. mor.*, t. II, tr. X, de cens., c. IV, n. 73) s. Pium V, reservasse sibi lectionem retentionemque omnium, qui expurgatione indigerent, librorum, a quocumque prodiissent auctore : verum id in nulla sancti illius Pontificis bulla, quæ incipit verbis ibidem citatis, *Cum sicut accepimus,* reperire potui. S. Alphonsus, qui Salmanticenses allegat (*Homo apost.*, tr. XIX, n. 61) videri posset huic celebrium auctorum opinioni non acquiescere; nisi eam ipse absolute proponeret in theol. (l. VII, c. II, n. 288). Interim quidquid sit de facto s. Pii V; saltem ex bulla Al. VII, quæ incipit, *Speculatores*, plana de re sententia est : novam, scilicet, indicis editionem statuto confirmans et approbans Pontifex, hanc adjecit clausulam : « Sub pœnis in constitu- » tione, recolendæ mem., Pii IV, etiam prædecessoris nostri, super » indicis Tridentini confirmatione, edita, contentis; ad quas va- » rietatis veterum decretorum, proponendis transgredientium pœ- » nis, tollendæ gratia; omnes et singulas pœnas per constitutiones » apostolicas, et decreta anteriora hujusmodi, quomodolibet in- » flictas, harum serie reducimus; firmis tamen manentibus his, » quæ de auctoribus et libris damnatis in litteris apostolicis, die » cœna domini publicari solitis, sancita sunt. » [2]

Hæc autem Alexandri VII bulla, collectione decretalium contenta, et pars effecta juris publici, suum etiamnum sortitur effectum. Nec enim videtur dici posse; quod, cum ea non obstante, statuta anteriora, utut per eam ipsam, citra omnem promulgationem aut usu receptionem, abrogata aut reducta, in viridi permanserint observantia, consuetudo hæc novæ legis

[1] Ita præfata bulla, § 1, apud Lacroix, qui totam exhibet lib. VI, p. 2, n. 2054 et in bullario magno, ed. Lux. t. IV, p. 113.

[2] In bullario Laertii Cherubini, ed. Lux. t. V, p. 395. Cfr. Luc. Ferrar. v. *Libri prohibiti.* n. 9.

locum habere dicenda sit : etenim solus subditorum usus non inducit censuras. Præterea similis consuetudinis ob dictam decretorum illorum ignorantiam argumentum difficulter potest haberi. Auctores quidem Alexandro VII posteriores, uno Ricchinio excepto, altum de hac bullæ dispositione silentes, pergunt enumerare casus excommunicationis reservatæ; sicuti ante memoratam constitutionem fieri consueverat. Verum hoc ipsum silentium valido mihi argumento est; ipsos aut ignorasse aut non satis expendisse laudatam Alexandrinæ bullæ dispositionem : constitutionem enim ipsam ignorare haud potuere. Nequaquam ergo bullæ contrarium voluerunt usum : secus enim hunc ipsum ab objectæ bullæ exceptione vindicassent.Nulla igitur fuit in subditis legis, quam abrogatam ignorabant, conservandæ voluntas.

Nullum igitur superesse videtur dubium; quin libri hæreticorum, nominatim ex reg. 1, 2 et 5 indicis Trid., expurgandi, et ex reg. 10 ejusdem indicis, prohibiti sub pœna excommunicationis non reservatæ, esto auctores de hæresi suspecti habeantur, ab omni excommunicatione reservata sint liberi.

Ab excommunicationis adeo reservatæ sententia immunes nunc sunt versiones scriptorum catholicorum ipsiusque scripturæ; quæ ab hæreticis, nota subinde etiam adjecta, fuere adornatæ; atque eorumdem librorum editiones, ab hæreticis factæ; etenim cum non sint proprie libri hæreticorum ad terminos bullæ Cœna reduci non queunt.

Hæreticorum etiam scripta de argumento profano, esto non purgata, in hujus sectionis censum venire non possunt [1].

Ad pœnas regulæ 10æ Trid. reducta pariter est, quam Salmanticenses (l. c.) a Sixto V, latam fuisse dicunt, excommunicatio reservata in legentes, retinentes... libros de astrologia seu divinatione tractantes.

Reducta similiter est, si quæ alia, generali statuto, ante Al. VII, prodierit excommunicationis reservatæ propter librorum lectionem, retentionem... sententia, excepta sola excommunicatione bullæ Cœna.

At vero non idem dicendum foret, si qua sententia pro particulari loco foret lata; quia hujusmodi particulare statutum non abrogatur edicto generali, nisi specialis ejusdem mentio fiat [2].

[1] S. Alph. in diss. c. v. n. 10.

[2] C. 1. de Constit. in VI°. Talis est excommunicatio, summo Pontifici aut inquisitori generali regnorum Hispaniæ reservata, ann. 1612 a Paulo V, const. *Cum sicut accepimus*, lata in legentes, retinentes, imprimentes vel vendentes in dictis regnis *libros hæreticorum vel de hæresi suspectos aut alias repro-*

Pleraque tamen recensita non sunt libera a regulis indicis et excommunicatione regulæ 10æ, ut infra visuri sumus.

275 Circa casum bullæ Cœnæ supra relatum, quæritur 1. quinam veniant nomine, *apostatarum a fide Christiana?* An illi quoque, qui, baptizati, nunc omnem religionem respuentes, deistarum aut indifferentium nomine censentur?

R. Quamvis quidam ambigant; absolute tamen videtur tenenda sententia affirmativa : etenim, licet quidam auctores apostasiam ita definiant, ut definitione sua terminum quoque concludant, *ad quem* (quod tamen exempli, non vero principii restringendi causa fieri, ipsi eorum textus innuunt); plerique auctores unice exprimunt terminum, *a quo*, seu recessum totalem a fide Christi ut s. Thomas [1], Suarez [2], Reiffenstuel [3], Schmalzgrueber [4], s. Alphonsus de Lig. [5], aliique omnem apostasiæ malitiam ex eo desumentes; quod sit totalis fidei Christianæ desertio. Plures immo positive hanc notam ab apostasiæ conceptu excludunt : ill. Devoti [6] sic loquitur : « Ut quis apostata habeatur, sufficit, quod Chris» tianam religionem deseruerit; quamquam ad aliam non transie» rit. » Nec dissentit cl. Zallinger [7], apostasiam describens : « Si » quis deficit a fide Christiana, transeundo ad Judaismum, gentilis» mum vel atheismum, seu religionem nullam. » Hanc porro acceptionem probat et vis ipsa vocis, quæ nudam indicat, a signo militari, cui quis sacramento se religionis adstrinxit, recessionem; et ipsa criminis apostasiæ militia specialis, quæ semper in eo fuit reposita; quod apostata, præ hæretico, fidem ex integro deserat. Apud Alberghinum etiam in *Manuali qualificatorum* s. inquisitionis [8] solius a fide Christiana recessus mentio injicitur : nec immerito; cum textus bullæ ejus solius meminerit, dicens : a *Christiana fide apostatas ac eorumdem....*

Neque valet dicere, quod to, *apostatas a fide*, simpliciter oppo-

batos et damnatos. (Ap. Alberghinum, *Manuale qualificatorum s. inq.* c. XXXII, n. 2.) Sed hæc censura non afficit Belgium nostrum; quod numquam venire potuit nomine *regnorum Hispaniæ*, et ann. 1612, jam dudum ab Hispaniis erat separatum.

[1] 2. 2 q. 12, a. 1. in c.

[2] *De fide*, disp. XVI. s. 5, n. 3.

[3] In l. V, tit. IX, n. 2.

[4] In eumd. l. n. 2.

[5] Homo apost. tr. I. c. IV. n. 5.

[6] *Instit. can.* l. IV, tit. III, n. 1.

[7] In lib. V. decr. n. 141.

[8] C. III. n. 2.

natur his : *apostatas a religione et ab ordine :* etenim manet semper verum, verificari in deistis terminos bullæ, neque per interpretationem doctrinalem illos a verbis bullæ subtrahi.

Ex his concludo; quæcumque in sequentibus dicenda sunt, de libris hæreticorum, bulla cœnæ prohibitis, pari modo intelligenda esse de libris apostatarum et deistarum, vel ut vocant, indifferentium : evidenter namque in textu bullæ citato, to *eorum*, refertur, non ad proxima tantum : *singulos alios hæreticos;* sed et ad remotiora : *Hussitas....* adeoque et ad intermedia : *a christiana fide apostatas* (Cfr textum supra cit.)

276 Q. 2. Quid requiritur, ut libri auctor sufficienter noscatur esse hæreticus aut apostata?

R. Non requiritur condemnatio juridica; sufficit undecumque habita moralis certitudo; quod auctor tradiderit voluntarie doctrinam acatholicam; et omnino sufficit, quod hæreticus esset tum cum librum conscriberet; esto vel antea talis non esset, vel postea ab hæresi sit conversus (v. n. 277) : hoc enim sufficit, ut liber, sensu naturali et formali horum terminorum conceptu, dicatur *liber hominis hæretici.* Id autem duplici fit modo : vel auctor antea fuit catholicus, et tunc semper præsumitur talis; donec probetur pertinaciter restitisse doctrinæ, sibi notæ, ut catholicæ et obliganti; aut, quod idem est, quam agnoscere debebat ut catholicam obligantem. Hinc liber, *Augustinus*, non prohibetur hac præcise cœnæ bulla, quia non constat Jansenium repugnasse adversus judicium ecclesiæ, sibi notum, ut dogmaticum.

Vel auctor libri est ex iis, quos credentes dicimus hæreticorum; et tunc dicitur liber hæretici, licet auctor ejus, bonæ fidei, foret hæreticus tantum, ut dicunt, materialis [1] : non enim hic judicat ecclesia de conscientia scriptoris; sitne ipse hæreseos reus, an non : sed, quod in negotiis fori externi solet, judicat de factis externis.

Hinc etiam, ut docent Reiffenst. [2], s. Alphonsus [3] aliique, bulla cœnæ, sine ullo dubio prohibentur libri anonymi, quorum auctores, ex ea, quæ exhibetur doctrina, hæretici probantur.

Ex dictis hoc n. liquet plerosque libros Romanenses dierum nostrorum sub hac bullæ cœnæ censura prohiberi : cum enim non solum obscœna tradant; sed etiam plerumque manifestum sacrosanctæ religioni nostræ inferant bellum aut apertas hæreses conti-

[1] V. Lacroix, l. VII, n. 329 quod et satis patet ex usu vocis, *hæretici*, in regulis Tridentinis.

[2] L. c. n. 108.

[3] In theol. n. 282.

neant, ab auctoribus nunc hæreticis aut apostatis proficisci, sine ullo dubio statuendum est; etiamsi sciantur antea catholice vixisse, aut libri sint anonymi.

277 Q. 3. An liber hæresim continens, vel de religione tractans, compositus a catholico, cadat sub bullam cœnæ; si auctor postea labatur in hæresim?

R. Videntur dissidentes auctores sequenti distinctione conciliandi : si liber catholici scriptus est spiritu catholico; dicendum videtur cum Bonacina [1] et aliis, non prohiberi hac bulla; quia non est formaliter seu proprie liber hæretici; utpote compositus a viro tum catholico. Dein quemadmodum conversio auctoris hæretici illius librum censuræ non eximeret; sic nec catholici perversio eumdem censuræ subjicere putandus est [2]. Nec etiam militat idem periculum eademque ratio legis; dum bulla cœnæ, ut ex limitatione, *hæresim continentes vel de religione tractantes*, constat; non tam in odium auctoris, quam ob legentis periculum fuit lata; hoc autem periculum removetur ex eo, qui in libro spirat, obedientiæ et submissionis ad ecclesiam spiritu; saltem dico ex absentia spiritus rebellionis, qui proprius hæreseos est character.

Si vero scriptus sit liber spiritu hæretico; merito bulla comprehendi censebitur, quatenus auctor, licet tunc passim catholicus

[1] T. III, p. 12. n. 21

[2] Ex Regula 2da ind. Trid. « libri *catholice* conscripti, tam ab illis, qui » postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad ecclesiæ » gremium redire, approbati a facultate theologica alicujus universitatis » catholicæ vel inquisitione generali, permitti poterunt. » Quibus verbis duplex continetur dispositio : priori libri catholice conscripti ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, edicuntur, postquam approbati legitime fuerint, permitti posse. Eosdem nullatenus afficit bulla cœnæ : etenim nihil est; quod suadeat voces, *libri hæreticorum et apostatarum*, a naturali earumdem significatione detorquere atque ad libros catholicorum, qui deinde in hæresim laberentur, extendere.

De posteriori autem, dispositione dubitari quidem grammatice potest; an per verba : « libri catholice conscripti ab illis, qui post lapsum ad ecclesiæ » gremium redire » intelligi tantum debeant libri, a conversis conscripti, cum adhuc hæresi essent mancipati; an etiam ii, quos post conversionem suam conscripserunt. Verum posterior hic intellectus ita alienus videtur a sensu ecclesiæ atque a doctorum sententia; ut eum procul amandandum putemus : quis enim dixerit omnia eorum, qui ab hæresi conversi sunt, opera esse prohibita? Libros vero, quos hæresi infecti scripsere memorati auctores, hæc regula a censura bullæ cœnæ non eximit; nisi postquam recensiti legitime fuerint et approbati, in quo manifesta est quædam bullæ cœnæ relaxatio, approbante Pontifice, a concilio inducta, in gratiam eorum qui ab hæresi converterentur.

haberetur; tamen vere se jam tum hæreticum fuisse, ipso suo scripto, comprobat; quemadmodum supra de libris anonymis diximus. Hinc mirum non est; quod ipsa Lutheri, contra indulgentias, scripta sub hanc bullam cadere censeantur; licet forte non idem dicendum sit, de primis Lutheri lucubrationibus; quæ tamen proscriptæ sunt constitutione Leonis X, quæ incipit : *Exsurge domine;* supra n. 67, regula 2da Tridentina, et ipso quoque indice; qui Luthero primæ classi adnumerato, omnia ejusdem opera constringit [1].

278 Q. 4. Quid intelligitur nomine *libri?*

R. Hic stricta est facienda interpretatio; utpote in materia odiosa præcepti imponendi pœnæque infligendæ; adeoque solum omne illud comprehendi hac voce debet, quod tempore conditæ hujusmodi, in bulla cœnæ, dispositionis, (medio sec. XVI), nomine *libri* proprie veniebat. Nec dicat quis : quod causa fidei sit favorabilis, atque adeo leges pro illa latæ, sint ampliandæ : sic enim nulla lex ampliari non deberet; cum nulla sit justa lex, quæ non juris naturalis aut divini observantiæ, virtutique promovendæ faveat; adeoque non favorabilis et amplianda censenda esset; quod tamen nemo umquam juris canonici peritus admisit.

Itaque 1° manuscripta, quorum moles libro imprimendo sufficit, hoc edicto contineri omnino videntur. Ratio : quod vox *liber*, non solum ante artis typographicæ inventionem, sed etiam medio sec. XVI, in stylo ecclesiæ, manuscripta comprehenderet; ut liquet ex ipso concilio Trid. [2] Ita quoque absolute docent Suarez [3]; Salmanticenses [4]; Herinckx [5]; Reiffenstuel [6]; aliique communiter.

S. Alphonsus [7] tamen sententiæ contrariæ Sylvii, Sporer.... satis favere videtur; quia hodie manuscripta proprie non vocantur *libri*, et quia Pontifices, aiunt hi auctores, non adversus manuscripta, sed adversus libros impressos, occasione inventæ artis typographicæ, remedium quæsierunt. Quæ quidem argumenta, qua ratione primævum legis sensum efficaciter probent; non video : alterum enim mere de sensu hodierno vocis *libri* valet; alterum vero,

[1] Ita fere Lacroix, l. VII, n. 336.

[2] Sess. IV ubi ait : *in fronte libri vel scripti vel impressi;* idemque repetitur in regula indicis 10ª.

[3] L. c. n. 10.

[4] Tr. X. c. IV. n. 72.

[5] Tom. III, disp. IX, n. 86.

[6] L. c. n. 39.

[7] In diss. c. V, n. 8. In theol. l. I, c. II, n. 293 dicit se magis adhærere sententiæ priori.

contra litteram legis, mentem invocat legislatoris; neque id admodum feliciter : nam quamtumvis, occasione inventæ artis typographicæ et crescentis inde periculi, lata lex fuerit; non inde sequitur; quod una legislator amotum non statuerit, quod ex ipsis manuscriptis exoriebatur, discrimen.

Monet interim ipse s. Alphonsus, practice hanc sententiam haud esse suadendam.

2° *Itaque* epistolæ, conciones, theses et similia, sive scripto tantum exarata, sive typis etiam edita, hac præcise bulla, probabilius non comprehenduntur; dum ista non veniunt librorum nomine; nisi forte latius extensa, ad libri molem pertigerint (quod morali judicio pensandum erit); aut pars sint libri prohibiti v. g. epistola dedicatoria; quæ, cum liber prohibitus est, et ipsa prohibita intelligitur, ut pars ejus. Ita Card. De Lugo [1], Alberghini [2], s. Alphonsus aliique, apud ipsum; contra Suarezium [3] et Salmanticenses [4]; qui sententiæ sibi oppositæ probabilitatem fatentes, pro sua certant, dicentes : eamdem esse legis rationem adeoque et legis dispositionem. Hæc tamen ratio a plerisque rejicitur in materia odiosa et stricte interpretanda. Præterea non idem est a brevioribus illis scriptis, ac a libris periculum; dum similia et levius ab auctoribus emitti, et vilius a lectoribus haberi noscuntur.

Decretum vero s. C., quod pro ista sententia adfert Lucius Ferraris [5], quo declaratur, per vocem libri, in sess. IV[a] Trid., comprehendi conciones, lectiones, disputationes.... præcise de hac sess. IV intelligendum est, ut ait Card. de Lugo; nec pro lubitu extendi potest ad bullam cœnæ, de qua nec interrogata fuit, nec respondere potuit Congregatio concilii. Neque etiam interpretatio authentica legis Trid[næ] potest retrotrahi ad legem, longe anteriorem bullæ cœnæ, ut hujus quoque sensum determinet. Immo, ut notat p. Preingué [6], hoc ipsum decretum sententiæ propositæ

[1] *De fide*, disp. XXI. s. 2, n. 36.

[2] *Manuale qualificatorum*, c. XXXII, n. 5.

[3] *De fide*, disp. 20. s. 2. n, 10.

[4] *De cens.* c. IV. n.72.

[5] *Bibliotheca prompta*, V. *Libri prohib.* n. 36.

[6] *Theologia speculativa et mor.* t. IV, de fide, disp. XII. ubi hanc sententiam præ ceteris, late vindicat. Adnotandum tamen putem; non mihi probari, quod asserit auctor, dum laudatum vindicaturus s. congregationis responsum, ait : decretum sess. IV Tridentinæ latum fuisse ad observantiam statuti Lateranensis, ad cujus sanctionem pœnalem ab illo remittimur : etenim decretum Lateranense de libris quibuscumque, censura non probatis solummodo loquitur: statutum autem Tridentinum simul libros anonymos

favet; dum clare ostendit; stylo ecclesiæ, breves scripturas a libris distingui; et, ubi lege comprehenduntur, seorsim a libris indicari.

Fasciculi (cahiers) scriptorum periodicorum, quæ ab hæreticis aut apostatis componuntur, si de religione tractant aut hæresin contineant, possunt pro suæ molis volumine, si vere libri dici debeant, per hanc bullam prohiberi. Quod si conserventur, etiam in volumen non compacta; jam nulla videtur eximendi ratio, cum omnium judicio libris videantur accenseri.

Idem tamen dicendum non videtur de diariis libri molem attingentibus; quia non prodeunt in forma libri; nec de se ad hoc destinantur, ut in libros compingantur; quamvis per accidens conservari et in libros compingi contingat.

279 Aliter statuendum est de operibus, quæ ab hæreticis eduntur, ex aliorum scriptis compositi, quibus tantum pauca de suo apponunt. Regula 5ª Trid. et decreta indici prævia, § 1, n. 10, (confer) ea permittunt; cum debite fuerint examinata ac purgata : quare hic, deficientibus inquisitoribus et ejusmodi censorum officio cessante, applicari potest, quod in fine c. v, de Belgii usu dictum est.

Quod si similis scripti collector sit catholicus; etiamsi partes sint ex hæreticis desumptæ, de jure liber non erit prohibitus : ait enim Clem. VIII, (*de impress. librorum*, § 1). « In his vero generibus » librorum, qui ex variorum scriptorum dictis, aut exemplis, aut » vocibus compilari solent; is qui laborem colligendi et compi- » landi susceperit pro auctore habeatur. » Hæc vero lex quantæ molis partem, ex damnato opere decisam, transsumere, quantæque molis pericopas ab hæretico compositas, collectaneis inserere, si tamen nihil fidei aut morum honestati adversum continent, permittat, morali prudentum judicio determinandum.

Hoc certum; opus hæretici v. g. de religione tractans, non ideo permitti, quia a catholicis fuit editum.

280 Q. 5. An et quo modo sufficit ad casum bullæ Cœnæ, quod una in libro contineatur hæresis?

R. Ex textu, *hæresim continentes*, rigorose loquendo, sufficit una haresis, etiam transeunter asserta : et hæc est variorum auctorum sententia; s. Alphonsi [1], Card. de Lugo [2], Alberghini [3], Suar., Sanch.,

et censura destitutos adoritur, sed eos tantum qui de rebus sacris tractant; ut illinc quidem decreti Lateranensis terminos excedat, hinc vero ad eos non pertingat.

[1] In theol. l. VII, n. 283. et homo apost. tr. XIX. c. II, n. 60.

[2] *De fide*, disp. XXI. s. 2. n. 49.

[3] L. c. n. 7.

Schmalzgrueber aliorumque dicentium : si deberet vel una hæresis theologice inculcari; non fuisse distinguendum inter *hæresim continere* et *de religione tractare*. Alii vero auctores aut plures requirunt hæreses ; aut saltem, si una sit, ut aliquo modo propugnetur; non vero agendo v. g. de navigatione vel mathesi, nude asseratur. Ita Billuart [1] aliique apud Herinckx [2], et, multis saltem locis, ita habet praxis communis, etiam proborum de qua supra c. v.

Quin immo, ut privata relatione, didici in ipsa indicis congregatione, *hæresin continere* intelligitur ille liber, qui saltem unam contineat hæresin notabilem; quod videtur, non minus de sensu bullæ Cœnæ, quam de regula Trid^na. intelligi posse, recedente non nihil, juxta posterioris sententiæ auctores, ab eo, qui forte initio viguerit, rigore, ecclesia; præsertim cum hodie, quod sciam, non amplius exerceatur salubre illud, similia, quæ indies prodeunt, scripta expurgandi officium. Cum tamen aliquale semper adsit periculum, ne lectores vel materialiter imbibant propinatos sibi errores; hic nequaquam laxandæ habenæ sunt levitati præsertim juvenili : et optandum; ut quantum fieri potest, a similibus abstineatur libris.

Ad rationem et auctoritates sententiæ oppositæ R. Non ideo liber quispiam censendus est tractare de religione, quod unam aut alteram per accidens evolvat propositionem, quæ ad religionem respectum dicit; sed, ut mox dicemus; quando ex instituto de rebus religiosis sermonem instituit; adeoque etiam in sententia nostra non abundat distinctio vocum : *hæresin continentes*, et *de religione tractantes*.

281 Q. 6. Quid si error, ob quem liber aliquis prohibitus est, fuerit erasus, vel tota, quæ illum continebat, pars detracta?

Respondet s. Alph. (l. VII, n. 283) post Sporer : si jam non tractet de religione, non amplius prohibetur *sub pœna bullæ Cœnæ;* dum, ut aiunt Lacroix (l. VII, n. 330) aliique, jam neque agit de religione; neque hæresim continet, quæ ratio solida videtur : esto contradicant Suarez et alii dicentes; quod particularis illa expunctio non tollat communem libri prohibitionem.

Dixi : *sub pœna bullæ Cœnæ :* cum enim librorum, etiam ad tempus correctionis solummodo prohibitorum, emendatio in regulis indicis et in *Instructione Clementina*, determinatis reservetur personis; manifestum est, non posse privatum quemque ipsius indicis submovere prohibitiones. Quod et sapienter monuit Ricchinius, in

[1] *De fide*, diss. IV, a. 3, § 5, *dicitur* 3^io.
[2] L. c. n. 85.

sua, ad indicem præf. v. *Quibus autem libris* et Zaccaria, p. 190 (2).

Attamen ablata etiam tunc erit censura regulæ 10, quum dici jam non possit; hunc librum meum esse prohibitum propter hæresim.

Privata autem operis *suspecti* recensio non tam efficaciter purgare videtur falsi dogmatis suspicionem, ac privata erroris, a legitimis superioribus indicati, abrasio ipsam hæresim, ut a censura regulæ 10ª eximat : videtur namque semper manere opus ob hæresis suspicionem prohibitum; quum hanc suspicionem non abstergit alicujus privati correctio.

282 Q. 7. Quis liber sufficienter tractat de religione; ut, hoc altero titulo, sub legem bullæ Cœnæ sit reducendus?

R. Qui de re dogmatica, morali aut disciplinari tractat, si non principaliter, attamen ita notabiliter, ut *ex professo* seu ex instituto de illis disserere dici possit [1].

Concluditur huc accensendos hæreticorum in scripturam s. commentarios; etiam dum, una cum textu s. typis eduntur; quia et pluris fiunt a lectoribus, quam textus vulgatæ, passim obvius; et simile complexum, auctoris nomine, tamquam proprius illius liber passim indicatur; attamen. « Expunctis locis suspectis a facultate » theologica alicujus universitatis catholicæ, aut inquisitione gene» rali permitti eisdem poterunt, quibus et versiones » (reg. 3ia ind.) scil. viris tantum doctis et piis, judicio Episcopi; sed pro veteri testamento tantum; non vero pro novo (cfr *Decreta generalia*, ind. § 1, 3).

Idem quoque probabilius dicendum de scholiis, quæ ab hæreticis conscripta sunt in libros catholicorum de religione tractantes; saltem si tanta sint, ut ipsis prævaleant catholicorum scriptis [2].

Saltem quos, cum Viva, ap. s. Alphonsum, exemeris ab excommunicatione bullæ Cœnæ, cum eodem obnoxios feceris excommunicationi non reservatæ regulæ 10, collatæ cum 8ª indicis; qua prologi, summaria seu annotationes, quæ a damnatis auctoribus libris non damnatis appositæ sunt, non permittuntur; nisi postquam a catholicis theologis, inquisitionis generalis auctoritate, fuerint expurgati.

283 Q. 8. Quænam requiritur legis notitia ad hoc; ut quis incurrat censuram bullæ Cœnæ?

R. Cum ipsa bulla scientiam exigat; excusat a censura ignorantia crassa et supina, circa unam e conditionibus, ad contra-

[1] Ita Reiff. l. c. n. 46. s. Alphonsus in theol. l. c. n. 283. Bill. l. c, *dicitur* 4°. Albergh. l. c. n. 7. Salmant. de cens. c. IV, n. 72.

[2] S. Alph. in theol. n. 286.

hendam hanc censuram requisitis; quæ sunt : 1° auctor hæreticus vel apostata, 2° docens hæresim vel tractans de religione, 3° prohibitio ecclesiæ, sub censura [1] atque adeo, 4° materia debet esse gravis et nosci talis. Immo probabiliter excusat ignorantia affectata, ut post Salmanticenses [2] aliosque, absolute docet s. Alphonsus [3]; quia vere cum ignorantia affectata non adest conditio scientiæ, a lege requisita; et aliqua adhuc in legem reverentia movetur, qui affectat nescire, quam conscio observandam fore existimat : monet tamen idem auctor, censuram incurri, si quis fama aut relatione, etiam unius testis, fide digni, didicisset librum esse sub censura prohibitum. Et recte, quia simili ratione in moralibus efformari conscientia debet.

284 Q. 9. Quid si quis v. g. credat librum prohibitum sub censura bullæ Cœnæ, cum solum sit prohibitus decreto aliquo recentiori? Videtur enim non adfuisse scientia; sed conscientia erronea, quæ censuram non infert.

R. Si minus principaliter seu accessorie edoctus est prohibitionis fontem, ut in casu ordinarie contingit, et vel ideo communiter est supponendum; non obstante dicto errore, videtur incurrere censuram, a lege latam; quia datur scientia de censura, error de illius accidente.

Si vero assertor censuræ ita principaliter suo nisus fuerit errori; ut eo supposito, omnem censuram abesse judicasset, non videtur ullam contracturus censuram; quia altera censura, cum ignoretur, contrahi non potest; altera vero mere est existimata.

[1] Videtur tamen omnino sufficere cognitio gravis cujusdam pœnæ spiritualis; licet ignoret quis in individuo, quid sit censura aut excommunicatio, quia sic sufficiens probatur adesse contumacia, legisque ecclesiasticæ contemptus. Cfr theologos ubi de scientia censuræ disputant.

[2] Tr. x. c. i. n. 199.

[3] *Homo ap.* tr. xix, n. 56. Vere quidem adnotant editores *Cursus compl. theol.* t. XIII, col. 1010 (¹); quod s. Alph. in theol. (l. vii. n. 48) sententiæ contrariæ Suarezii adhæreat, saltem ut communiori; licet hanc non dicat improbabilem. Verum, ni fallor opponi eorum animadversioni potest ejusdem sancti viri auctoritas; non solum in c. v.n. 4. *Diss. de prohibitione librorum;* quem locum corrigere volunt; sed etiam in opere, *Homo apostolicus*, quod in fine vitæ elaboravit, et in quo indubia, pro nobis, ejusdem sententia est. Ita et Salmanticenses, a s. Alphonso laudati, tr. x, c. i. n. 199. Quod si ratione potius decidenda quæstio est, quam auctoritate; dicendum videtur; quod ignorantia, utut affectata, non tamen sit scientia; cui tunc æquivalere tantum poterit, quando id a jure fuerit statutum, ut in cap. quod nobis opponunt, qui sententiæ contrariæ adhærent.

285 Q. 10. Qualis et quanta requiratur lectio ad casum bullæ Cœnæ?

R. Ea requiritur et sufficit lectio; qua libri doctrinam ex ipso libro nobismetipsis communicamus; in quo proprie lectionis sita est natura. Hinc qui legit idiomate sibi ignoto, aiunt Suar. [1], Alberghini [2], Herinckx [3], cum communi, non incurrit excommunicationem; quia, ut ait Alberghini, « Attento fine legis, prohibita est » lectio non exterior et materialis, quæ solum verba profert; sed » formalis, quæ sensum verborum intelligit; quia hæc sola est lectio » propria. »

Qui vero solis oculis percurrit, vere censuram contrahit; ut omnino tenendum est, cum eodem Suarezio, Sylvio [4], Herinckx [5], et communi, contra Lucium Ferrarem [6]; quia vere legit, qui ex libro per visum haurit doctrinam. Alioquin magnam eorum, qui communiter legere dicuntur, partem non attigisset lex, et jam nihil facilius quam legem penitus inutilem reddere.

Quoad quantitatem vero nihil certi occurrit apud auctores : rectius cum variis, apud s. Alph. [7], attenditur ad finem prohibitionis; ita quidem ut, si in locum perversum quis incidat, paucæ lineæ sufficiant ad censuram incurrendam : si vero locus est innoxius (maxime si liber in profano versetur argumento), plus requiratur. Vix tamen invenitur, qui etiam respectu illorum qui immunes essent a periculo (quod vulgo adesse scitur et idcirco merito præsumitur), indulgeat plus quam unam paginam in folio; ut a mortali et censura excusari possit; ita Sanch. [8] et s. Alphonsus.

286 Hic vero notandum; prohibito libro, prohiberi singulas ejus partes; etiam in quibus error nullus occurrit; sive medio sint operi implexæ, sivi eidem in fronte vel ad calcem adhæreant; ut præfatio, epistola dedicatoria, epilogus, indices..... Ita auctores passim. Ratio est quod etiam partes illæ, quæ separatim non fuissent prohibitæ, constituant partem, totius, quod prohibitione constringitur.

[1] De fide, disp. xx. s. 2, n. 18.

[2] L. c. n. 12.

[3] L. c. n. 87.

[4] In 2. 2 q. xi, a. 3. concl. 6.

[5] L. c, n. 87.

[6] V. *Libri prohibiti*, n. 40. Admittit tamen idem Ferraris; quod contracturus sit censuram, qua retinens; si retentio satis sit diuturna.

[7] In theol. n. 284.

[8] L. ii. decalogi, c. x, n. 31.

Aliter autem statuendum esse videtur de collectione quacumque operum, pericoparum.... Illa namque prohibita, non videntur prohiberi singula opera, pericopæ...; nisi verba prohibitionis id innuant. Pone enim opus quodpiam, vel alicujus scriptoris pericopam (article), postquam jam diu, in lucem missa sunt, inseri quibusdam collectaneis; quæ collectanea deinde in indicem mittantur : nemo, puto, dixerit jam illud opus, illamque pericopam, separatim a collectaneis ejusmodi, prohiberi : ergo, inquam, insertio isthæc non facit; ut prohibita censeri debeant singula, quæ inseruntur. Ratio disparitatis est, quod collectio prohibeatur qua talis, seu qua collectio; sicut et quædam certorum operum editiones (monente nos desuper indicis præfatione) prohibentur, qua tales, manentibus ipsis operibus, alias editis aut edendis, ab omni censura innoxiis : in prohibitione libri autem liber qua talis, seu qua unum totum est, integer proscribitur. Doctrina hæc confirmatur ex iis, quæ dicta fuere ad n. 279, ad verba, *quod si similes*.

An autem, quæ statuta est *operum alicujus auctoris* prohibitio, afficiat universa et singula ejusdem scripta; an vero talem scriptorum ejus collectionem, ex verbis decreti eruendum videtur.

Sequitur a præcepto et censura bullæ cœnæ immunem non fore, qui legeret opus prohibitum, scripto alicui periodico insertum per partes, ad materiam gravem, sufficientes. Aliud dici forte posset de opere, quod sic per pericopas componeretur; etiam si totum opus, si simul et semel ederetur, damnationi subjaceret; quia nihilominus partes illæ seorsim editæ, in se non efficiunt librum, neque etiam modo partem constituunt libri prohibiti.

287 Q. 11. An mandans alteri legere librum, bulla cœnæ prohibitum, qua talis, incurrit excommunicationem in ea latam?

R. Negative ut contra Schmalzgrueber[1], Lacroix (l. VII, n. 437) aliosque et recentius contra editores *Cursus completi theologiæ*[2] tenendum putamus cum pluribus auctoribus[3], qui dicunt 1° hic stricte interpretandum. 2° leges, quæ mandantem eidem, cum executore, pœnæ subjiciunt, expresse eumdem nominant. Neque convincit ratio in contrarium adducta; quæ militaret in omni quacumque lege pœnali; cum semper possit lex mandato interposito

[1] In l. v. decret. tit. VII, n. 49.

[2] T. XIII. col. 1012 (1).

[3] Vide s. Alph. *theol.* n. 292. Albergh. l. c, n. IX, Sylv. in 2. 2 q. XI, a. 3 concl. b. et Card. De Lugo, *de fide*, disp. XXI. s. 2, n. 75, ubi et notat : quod nequidem incurrat ob communicationem in crimine criminoso; cum hæc pœnæ communicatio post Martinum V. ad casum excommunicati vitandi sit restricta.

eludi; nec tamen idcirco doctores pœnas ad mandantem extendant; nisi specialis ejusdem fiat mentio.

Sæpe tamen similiter mandantes incurrent censuram, qua defendentes; dum hæresi, apud legentem, favorem præbent; id quod editores cursus completi gratis supponunt, semper habere locum, quando per alium quis legit; cum multi adduci possent casus, in quibus hujusmodi mandatum nihil quidquam favoris hæreticis conciliat.

288 Q. 12. Quis titulo retentionis, incurrit hanc censuram bullæ cœnæ?

R. Omnis ille, qui librum aut magnam libri partem (hoc enim requiritur ut moraliter retineatur liber prohibitus, ait Suarez [1]) tempore satis diuturno, possidet suo, aut alieno nomine, *proprie retinere* est dicendus; etiamsi proponat numquam legere; aut absit omne periculum; puta quia non scit legere : etenim « Finis legis, » quoad hanc partem est, ait Suar. [2], ne tales libri conserventur, » sed destruantur : » quo quidem medio secatur malum in radice. Subtractis libris omnis amovetur occasio. Huc autem collimari feliciori, quam nunc liceret, omine potuit; cum leges istæ latæ fuerunt : tunc enim perversi libri non ubique, ut diebus nostris, obvii, nec bibliothecæ omnibus perviæ. Addit Lacroix (l. VII, n. 349) : « Quod militet et odium auctoris hæretici; detestatio hæreseos » contentæ etc. » Unde et cum communi sententia, deducit Suarezius, excommunicationem non evadere, qui librum suum deponit apud alium; quia ait « est contra formam et finem legis » et, ut docet s. Alphonsus [3] « Is qui retinet dominium, adhuc dicitur li- » brum retinere, cum possit repetere quando vult. » Nihilominus cum in præceptis, præsertim pœnalibus, stricta sit interpretatio facienda; cumque finis legis non cadat sub præceptum; et rem aliquam proprie et simpliciter retinere non dicatur, qui solum rei habet dominium, sed omnis et solus ejusdem possessor; salvo prudentiorum, quod ardenter expeto, judicio, non ausim censuræ obnoxium facere, hoc præcise titulo, eum, qui tradit alteri librum custodiendum; sed solum illum qui librum suo aut alieno nomine

[1] L. cit. n. 22. Si unum tantum alterumve folium retineret, juxta Suarezium, qui hic, sub ratione quantitatis, non admittit parvitatem materiæ, non ageret contra legem; quia moraliter non tenet librum; vel, quod rectius videtur, juxta Schmalzgr. l. c, n. 43. leviter in eamdem impingeret; quia retentio minus est delictum quam lectio, adeoque ampliorem materiam postulat.

[2] N. 21.

[3] N. 298 in theol.

possidet. Dixi : *hoc præcise titulo :* ex dictis supra, n. 287, concludere licet; an censuræ subjaceat, tamquam *mandans retinere* : infra n. 290 videbitur; quandonam, *qua defendens*, censura constrictus teneatur. Confirmatur hæc sententia ex dictis n. præc. : si namque legens per alium a censura immunis est; an non ob easdem prorsus rationes ab ea immunis erit, qui, suo mandantis nomine, apud alium retinet; et, potiori adhuc jure, qui in favorem alterius commodat? Certe qui jugum boum ad tempus cedit Petro, nullatenus dici potest illud retinere; sed neque etiam ille, qui idem alterius custodiæ ac curæ penitus tradit. Favet sententiæ Petrus Dens [1], ipse s. Alphonsus [2] aliique; dum omni modo laborant excusare eos, qui libros damnatos, apud habentem licentiam deponunt; donec vendant, inquisitori tradant, aut ipsi licentiam obtineant, aut libri expurgentur; quod revera in sententia nobis opposita nullo stabiliri potest motivo.

Quantum vero ad spatium temporis, quo retinere quis debet; ut peccatum mortale committat, et adeo censuram incurrat; variant auctorum judicia : plerique excusant si retineatur uno alterove die; vel etiam diutius; si exspectetur occasio legitime de libro disponendi [3]; esto etiam hoc tempus esset notabile, ait Sanch. aliique apud Herinckx [4] et s. Alph. (in diss. cit. c. V, n. XI). Quare multum videtur attendendum ad circumstantias personæ, periculi etc. Licet vero statim peccati mortalis reatum incurreret, qui intenderet semper, aut indefinite retinere; non tamen excommunicationis sententiam; nisi post lapsum tempus, certe sufficiens, ut monet Suarez (n. 22).

Si tamen umquam in hac materia, certe hic præcipue vir prudens sæpe dissimulabit, quod sine turbis et incommodis permagnis non impediret : etenim licet, in rigore, juxta Schmalzgr. [5] et Sanch. apud Reiffenstuel [6], hanc censuram incurrerent bibliopegi,

[1] *De pœn.* n. 223. V. an retinens.

[2] *Homo ap.* tr. XIX, n. 62. « Qui consignaret librum alicui habenti licentiam, cum pacto non amplius eum repetendi, nisi post expurgationem, aut » post licentiam obtentam; ego nescirem cum damnare. » Consonat theologia ejusdem auctoris, l. c. inf. « Quia, ait, in hoc videtur adæquate cessare periculum legendi » at reponam, cesset periculum, non ideo cessat adæquate finis legis.

[3] Theol. s. Alph. n. 295.

[4] Tom. III, disp. IX, n. 88.

[5] L. c. n. 33.

[6] In l. V, tit. VII, n. 73.

aurigæ, quin et aromatarii et mercatores; qui libros, mercibus involvendis, distrahunt; tamen hi omnes fere in bona fide relinquendi; eo magis, quoad hos posteriores, quod hic usus communis invaluerit, præfato modo, libros noxios destruendi; qui modus etiam in prohibitis ipso jure naturæ, de se sufficiens est; si omne absit, ne ulterius serpant, periculum.

Certe excommunicatio, a Jul. III, per const. *cum meditatio*, in eos lata, qui libros prohibitos non deferunt ad inquisitores; sed propria auctoritate destruunt, abrogata est per const. Alex. VII, *speculatores* [1]. Immo hodie plerisque locis, et nominatim in Belgio, usu et consuetudine, omnis, qua juris positivi erat, deferendi obligatio prorsus videtur extincta.

Strictius vero est agendum cum bibliopolis, aliisque, qui libros prohibitos petentibus quoquo modo præbent; hi cum omnium malorum sint causa et principium; de suis obligationibus proculdubio sollicite et prudenter sunt monendi.

289 Q. 13. Quinam censuram incurrunt tamquam imprimentes?

Respondetur communiter : omnes et soli illi qui immediate ad operum impressionem concurrunt; sive corporali tantum labore, sive sola laborantium directione, aliove concursu directo. Hinc immunes a censura sunt, qui litteras conficiunt, atramentum, chartam.... vendunt aut donant; nisi forte titulo favoris, hæreticis præstiti, in censuram vocari debeant [2].

Si de typorum correctoribus et de illo, qui expensas subit, quæstio moveatur; certe illi tamquam legentes, hic tamquam fautor, censuram incurrere videntur.

290 Q. 14. Quinam in bulla cœnæ intelliguntur sub voce, *quomodolibet defendentes?*

R. Quicumque verbo aut opere librum hæreticorum, qua talem, commendant aut tuentur. Talis est v. g. qui librum aliis sub encomio prælegit, aut legendum præbet; qui injuste prohibitum asserit, ait Suarez; qui impedit ne comburendus tradatur, qui quomodocumque ejusdem favet distractioni et famæ [3]. Ceterum in particularibus casibus hoc multum dependebit a circumstantiis, quas ponderare, prudens quisque, morali judicio, poterit.

[1] Lucius Ferr. V. *libri prohibiti*, n. 16.

[2] V. Schmalzgr. l. v, decr. tit. VII, n. 34. Reiffenst. l. c. n. 77.

[3] V. Suarez, n. 25; Schmalzgr. n. 35; Reiffenst. n. 78. Ita communis doctorum interpretatio, quæ satis probat sensum legis; etsi vox *defendens*, per se, non tam late patere videatur.

SECTIO II.

Quandonam incurratur excommunicatio non reservata.

291 Notant auctores quidam [1]; posse per librorum prohibitorum lectionem aut retentionem contrahi duplicem excommunicationem : alteram reservatam, bullæ cœnæ; alteram non reservatam, regulæ indicis 10æ (vel aliis decretis contentas censuras reservatas aut non reservatas); sicuti canonicus omittens officium eadem omissione duplex committit peccatum. Sed contradicit Lacroix [2] post Pignat., quod leges illæ, dicunt, utut materialiter distinctæ, fine et forma, tantum una sint. Et vere sæpius, ut in casu bullæ cœnæ et pœnæ regulæ 10æ, utraque lex ex eodem motivo lata videtur; scilicet ut avertatur periculum a fidelibus; quod patet per verba apposita : *hæresim continentes vel de religione tractantes,* et *ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem.* Quidquid sit; practice vix utraque simul contrahi posset; quia rarius habetur distincta utriusque notitia. Præterea censura regulæ 10æ aut alterius decreti non reservata aufertur per absolutionem formæ communis (Cfr quæ supra c. IV, contra Espenium dicta sunt, de incertitudine pœnæ incurrendæ, juxta hodiernum libros prohibendi morem; quo nulla exprimitur prohibitionis causa).

292 Quandonam per librorum lectionem, retentionem.... incurritur excommunicatio non reservata?

R. 1°. Ex reg. 10 ind. Trid. « Si quis libros hæreticorum vel » cujusvis auctoris scripta, ob hæresim vel ob falsi dogmatis sus- » picionem.... per harum (Tridentinarum, scil.) regularum præ- » scriptum aut hujus (Tridentini) indicis prohibitionem.... damnata » atque prohibita legerit sive habuerit; statim in excommunicatio- » nis sententiam incurrat. »[3] (Verborum explicationem vide n. 296).

Hac pœna etiam, qui hodie prodeunt libri, regulis indicis vetiti,

[1] Reiffenst. n. 104; Lucius Ferr. ad vocem, *libri prohibiti*, in append. § 3, in medio.

[2] L. VII, n. 331.

[3] Ejusdem hujus sententiæ (collata nominatim reg. 2 et 8 ind.) limites non excedit, quod apud Salmanticenses (tr. X, c. IV, n. 73) legitur : « Clem. VIII » in indice librorum prohibitorum, sub excommunicatione non reservata, » prohibuit, legere quoslibet libros hæreticorum, etiamsi de religione non » tractent, nec hæresim contineant, donec expurgentur. Similiter libros auc- » torum, qui sunt de hæresi suspecti, qui indigent expurgatione; eo quod in » illis aliquæ hæreses admisceantur. » Sunt enim etiam illi libri hæreticorum, licet hæresim actu non contineant, nec de religione tractent, donec purgentur, prohibiti, ut suspecti de hæresi.

constringuntur : etenim, ut probatum est, supra (c. V, n. 254 et seqq.) regulæ indicis Tridentini libros, etiam postea conscriptos afficiunt; quia hæc iis vis ab ipso fuit legislatore indita; ut ex iis, velut regulis, disjudicari posset, quo quisque deinceps loco liber foret, non per sententiam recensendus, sed ipso jure repositus.

Quapropter nulla vis ponenda est in duplicatione vocum, *damnata atque prohibita*, quasi ista libri per regulas prohibitionem; illa libri peculiarem in indice aut posteriori decreto proscriptionem respiciat aut vicissim; et ambæ hæ conditiones requirantur; ut liber quiscumque sub pœna regulæ 10æ censeatur prohibitus. Enimvero sensus legis etiam sensus est sanctionis illius, quæ similiter apponitur, non uni alterive, quæ interveniret, expressæ legum applicationi, sed ipsis legibus. Porro totum contextum (cfr) conferenti ne minimum super sensu allatorum verborum esse potest dubium; quin hæc pœna ipsis quoque apponatur legibus, et antequam, per decreta aut positivam librorum in indicem insertionem, expresse applicetur, effectum sortiatur. In phrasi immediate præcedenti, *ad extremum*, generatim renovantur prohibitiones regularum et indicis: hic duplex adnectitur pœna : pro aliis libris excommunicatio non reservata : pro aliis peccati mortalis reatus cum pœna arbitrio Episcopi. Manifestum est, quod in his duobus membris hæc verba, *damnata atque prohibita* et hæc alia, *Alio nomine interdictos*, synonyma sint tou *vetitum*, et nude primæ phraseos prohibitionem referant. Qui per solas regulas pœnam nullam irrogari contendit, pariter asserere debet; et per legem bullæ Cœnæ, nullum librum sub excommunicatione, saltem originetenus, vetitum fuisse; utut contrarium manifeste vellet Pontifex. Debet destruere insuper, quæ supra, n. 254 et seqq. protulimus certa argumenta; et probare, quam, suo ipsius judicio, vult inducere regularum interpretationem aut, alias inter et decimam regulam, distinctionem.

293 R. 2°. Alia initio ejusdem regulæ 10æ pœna continetur : renovatur scilicet, quæ in Lat. V, (supra, n. 66) iis fuerat excommunicatio inflicta, qui scripturam quamcumque, ab auctoritate ecclesiastica non probatam, imprimerent, aut manuscriptam vulgarent vel etiam retinerent ac legerent, nec tamen auctores proderent. Sed hæc Lateranensis concilii sententia, etiam per regulam 10am explicata, non extenditur ad legentes et retinentes impressa, quibus hæc solum deest censura. Cfr quæ supra docuimus, c. IV, n. 194. Quid vero desuper efficere potuerit Belgii consuetudo; vide versus finem cap. V.

294 R. 3°. In constitutione, quæ incipit, *speculatores*, Alex. VII ad easdem illas constitutionis Pii IV, indicis confirmatoriæ, seu

quod idem, reg. 10ª pœnas « Varietatis veterum decretorum, pro-» ponendis transgredientium pœnis, tollendæ gratia, omnes et » singulas, per constitutiones apostolicas et decreta anteriora (diei » 5 mart. anni 1664) hujusmodi, quomodolibet, inflictas » reducit, firma tamen manente, ut excipit, bulla die Cœnæ domini publicari solita [1]. Ubi præter constitutiones apostolicas, reducit pariter Pontifex et decreta, nulla apposita restrictione; adeoque decreta omnia ss. Congregationum.

Nullum itaque dubium; quin abrogatæ penitus sint pœnæ, in Lateranensi V, et sess. IV, concilii Trid. statutæ, utut per regulam 1 indicis confirmatæ fuerint; nisi quatenus per regulam 10ªm ut modo dictum, renovatæ fuerunt. In Belgio autem, qua ratione statutis illis, per consuetudinem, derogatum sit; docuimus supra, c. V.

Manifestum tamen est; sublatis, per Alex. VII pœnis, ideo non tolli ipsas, quibus apponebantur pœnæ, prohibitiones.

Abrogata pariter est; si qua, ut referunt Salmanticenses (t. 2, tr. x, c. iv, n. 73) et s. Alphonsus (*Theol.*, l. vii, n. 293) post ipsos, lata fuerit, in *Expurgatorio Romano*, excommunicatio non reservata in legentes breves scripturas, epistolas..... ab hæreticis conscriptas, antequam examinatæ sint atque probatæ, quamvis hæresim nullam contineant. An tamen similis sententia lata umquam fuerit, merito dubites : *Expurgatorium Romanum*, quod jussu Tridentini confectum aiunt Salmanticenses, et ex quo illam suam educunt assertionem, apud nullum alium auctorem laudatum vidi : sed nec Romæ pluribus s. Congregationis indicis eruditissimis viris, quos privatim consulendos curavi, ullus similis tituli liber agnoscitur. Ex quo illud plane conficiendum existimo; si umquam simile expurgatorium exstiterit, illud certe vim hodie habere nullam; atque adeo, non solum hanc excommunicationis sententiam, sed ipsam etiam breviorum scripturarum, epistolarum..... prohibitionem omnino intercidisse. His perpensis, forte quæsitum non videbitur, suspicari; quod Salmanticenses, per *Expurgatorium Romanum*, *jussu concilii Tridentini editum*, non *appellative*, ut apud s. Alphonsum, sed *qualificative* dictum, intellexerint ipsum librorum prohibitorum, e quibus plurimi *expurgari* legitime poterant, indicem, jussu concilii Trid. in lucem missum; cujus initio, in editionibus Clemente VIII. posterioribus, habentur ex Instructione

[1] Ex quibus patet solam bullam cœnæ excipi ex constitutionibus aliisque decretis, Alexandro superioribus; et post Al. VII nullas admittendas esse pœnas; nisi vel 1° ex bulla cœnæ, vel 2° ex regula 10ª indicis, vel 3io ex decretis, Alexandro VII., posterioribus, comprobentur.

ejusdem Clem. P. VIII, regulæ, ad quas libri expurgarentur. Non minori tamen veri specie conjicientur cl. auctores oculos intendisse in *Indicem librorum expurgandorum*, ad votum regulis Tridentinis expressum, ann. 1607, editum a Joanne Maria Brasichellen, s. palatii magistro; cujus etiam libri initio præfatæ Clem. VIII, regulæ expurgatoriæ sunt conspicuæ. Verum quidem est; utroque hoc loco septemdecim leguntur regulæ expurgatoriæ; cum Salmanticenses tantum tredecim numerent. Hæc tamen discrepantia facile oriri potuit ex varia pericoparum Instructionis Clementinæ divisione, vel ex mendo typographico, quo notæ numericæ 17 substituta fuerit hæc altera 13, vix ab illa discrepans. Alterutram viam elegeris, ablata dudum excommunicatio est: verum neutra explicat; unde Salmanticenses præfatam prohibitionem eduxerint: nil enim simile ex regulis expurgatoriis Cl. VIII, erui potest, ut latius docuimus, n. 266.

295 R. 4°. Quoad libros vero et scripta, post 5 mart. anni 1664 prohibita, eorumdem lectio et detentio excommunicationem, non reservatam, tunc habet adnexam; quando id, vel in decreto proscriptionis continetur vel ipsa opera regulis Tridentinis ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, regulæ 10ᵃᵉ sententia perstringuntur.

296 Igitur pro hujus sectionis censuris recurrendum ad ipsa, quibus latæ fuerunt, decreta; vel respiciendum ad regulam indicis 10ᵐ et quidem quoad legentes ac retinentes libros *prohibitos* (de imprimentibus, evulgantibus, retinentibus ac legentibus scripturam, *non probatam*, v. n. 293) ad sola, quæ n. 292, recitavimus ejusdem regulæ verba; quæ, servatis tamen servandis, fere eodem intelligi debent modo, quo voces eædem aut æquivalentes intelligendæ veniunt in lege bullæ Cœnæ; de qua egimus sect. I. Quare hoc loco pauca admodum verba declarari indigent.

In primis notanda, quæ sequuntur:

Cujusvis auctoris, adeoque non solum hæretici aut apostatæ, sed etiam catholici.

Damnata atque prohibita, intellige: *per harum regularum præscriptum aut hujus indicis prohibitionem*, quæ verba præcedentis ejusdem regulæ 10ᵃᵉ paragraphæ, ad hanc etiam manifeste pertinent, ejusque sensum determinant. *Damnata atque prohibita* non solum quæ jamtum exstabant scripta; sed etiam quæ continuo prodirent et per earumdem regularum præscriptum damnata atque prohibita censenda essent, opera. (V. n. 254 et seqq.)

Si qua ergo deinde data decreta, aut etiam emissæ regulæ; illis indicis regulis non contenta, censuram non habent adnexam; nisi

expresse id statuatur; quia extensa lege, non extenditur pœna; ut docet Suarez, *de fide* disp. xx, s. 2, n. 29.

Scripta. Hæc vox, si non æque ac vox *liber* (V. supra, n. 278) excludat minoris molis scripturas, certe eas, contra præcedentium regularum, quæ plerumque de *libris* loquuntur, tenorem, non constringunt : etenim tota regularum facies et hujus præsertim loci contextus manifestum facit; hic to *scripta* poni distributive pro variarum regularum termino et extensione. Neque finalis hæc regulæ 10ᵃᵉ dispositio scriptum ullum prohibet; sed regularum præcedentium prohibitiones pœnali sanctione confirmat. Quapropter ad singularum regularum tenorem est recurrendum; ut prohibitionum pœnarumque extensio determinetur.

Legerit sive habuerit : igitur non comprehenduntur imprimentes et defendentes, qua tales; nisi aliquomodo ad legentes aut retinentes sint reducendi.

Cum vero hic nulla expresse scientia requiratur; ea sufficit scientia aut graviter culpabilis ignorantia, quæ censuræ cuicumque contrahendæ sufficiens est.

Animadvertendum hic insuper est, quod sequitur : in regulis Tridentinis, nominatim, prima et secunda agitur de hæresiarchis et hæreticis; quibus terminis cum in jure minime intelligantur apostatæ, horum libri de argumento profano tractantes (si de religione tractent, aut hæreses contineant, per bullam Cœnæ prohibentur) hac præcise lege non vitantur.

297 Ex his deduco sub excommunicatione sententiæ, regula 10ª Trid. latæ, prohiberi :

1. Libros hæresiarcharum, anno 1515 posteriorum, omnino omnes. Si vero examinati fuerint; solos illos, qui hæresi sunt infecti, vel saltem falsi dogmatis laborant suspicione (reg. 2.) Ratio; quod damnati existant atque prohibiti *ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem;* donec, suspicione purgata, solummodo *in odium auctorum,* seu in *detestationem doctrinæ* eorum et in ipsorum pœnam prohibitos esse constiterit; quo casu nulla excommunicationis sententia est apposita.

2. Libros omnes hæreticorum, qui post prædictum annum scripserunt; donec debite fuerint examinati et probati (regula 2). (Hi omnes hæresiarcharum et hæreticorum libri licet ad primam classem Trid. referendi sint; non tamen cadunt sub bullæ Cœnæ, nisi hæresin contineant aut de religione tractent. Cf. supra s. 1, textum bullæ Cœnæ.)

3. Versiones sanctorum Patrum aliorumve scriptorum ecclesiasticorum, ab hæreticis factæ; nisi ante sancitas regulas ador-

natæ fuerint, et nihil contra sanam doctrinam contineant (reg. 2, 3 et 10). Versiones omnes librorum tam veteris quam novi testamenti ab iisdem, damnatis auctoribus profectæ. Item adnotationes eorumdem in libros sacros (reg. 2, 3 et 10).

In his tamen quia facilius contingere potest; ut hæreticorum scripta nihil habeant perversi, et aliunde prodesse legentibus possint; benignius procedendum duxerunt Patres deputati, uti patet ex regula indicis 3ia in qua sub certis ea conditionibus indulgent [1].

4. « Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus » tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim spectant » (reg. 8); cum non nisi expurgati concedantur; propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem damnati, sub hac excommunicationis censura sunt prohibiti. In his omnibus recole n. 264 [2].

5. Prologi, summaria et adnotationes, a damnatis auctoribus, libris non damnatis apposita (reg. 8 et 10) [3].

6. Libri quoque magici, ait s. Alph. [4] huic censuræ melius dicuntur obnoxii; quia tales libri, in regula 9a prohibentur ob hæresis suspicionem. Viva tantum sub peccato prohibitos censebat; nec, ut videtur immerito : magia enim per se non ingerit hæreseos suspicionem.

7. Hac quoque censura, de jure communi, constringuntur, qui citra auctoritatis ecclesiasticæ approbationem, scripturam quamcumque typis edunt, aut manu descriptam vulgant, aut etiam solummodo detinent ac legunt; nec tamen auctores produnt (reg. ind. 10a collata cum Later, V. sess. X).

8. Demum huc referuntur libri hac regula non comprehensi, sed serius sub pœnis indicis Trid., seu regulæ 10æ, seu a Pio IV latis, prohibiti.

Non tamen sub hac pœna prohibentur libri et scripta omnia, quatenus præcise cadunt sub decretis generalibus indici præviis, si quæ decem regulis non continentur : etenim quamvis, quæ ibidem, § 4 recensentur, ob hæresim aut falsi dogmatis suspicio-

[1] Scilicet 1° « versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quæ hactenus » editæ sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam » contineant; permittuntur. » 2° Conceduntur etiam versiones veteris test. sed solum viris doctis et piis judicio Episcopi. Item adnotationes in vetus testamentum, post ablata loca suspecta.

[2] Huc referendum ; quod supra adduximus ex Salm. « similiter (sub exc. » non res. Clem. VIII prohibuit) libros auctorum qui sunt de hæresi suspecti » qui indigent expurgatione ; eo quod in illis aliquæ hæreses admisceantur. »

[3] Sylv. in 2. 2. q. XI, a. 3. Quær. 6. concl. 5.

[4] In theol. n. 288.

nem prohiberi videantur; non tamen iis applicanda est 10ᵃᵉ reg. censura; quæ statuta tantum fuit in sanctionem decem regularum, quæ a Tridentino latæ fuerunt [1].

Libri autem anonymi licet prohibiti in *Instr.* Clem. VIII., immo licet speciatim sub excommunicatione vetiti, sess. IV concilii Trid., si de rebus sacris agant; huc minime veniunt accensendi; cum isthæc prohibitio in regulis indicis non reperiatur contenta.

Libri etiam catholicorum, qui post editam regulam 10ᵃᵐ indici fuere inserti, nisi ipsis regulis constricti sciuntur, sub hac pœna per se non sunt prohibiti; etiamsi constaret, quod propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem sint damnati; quia per ipsas regulas non sunt prohibiti.

298 Quæri hic potest; an libri, per constitutiones apost. et decreta, anteriora Alexandro VII, non *propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem,* (qui termini conditiones exhibent pœnarum regulæ 10ᵃᵉ Trid.) prohibiti sub excommunicatione reservata, aut non reservata, post constitutionem Al. VII, *speculatores*, prohibeantur sub pœnis regulæ 10ᵃᵉ, reductis si graviores inflictæ fuissent, sententiis; an potius dictæ sententiæ penitus per memoratam constitutionem sint abrogatæ, siquidem in illis non impleantur conditiones pœnarum regulæ 10ᵃᵉ Trid. *propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem?*

Præmittimus ipsa Alexandri, P. VII. verba : « Ad quas (Pii IV » seu regulæ 10ᵃᵉ pœnas) varietatis veterum decretorum, propo- » nendis transgredientium pœnis, tollendæ gratia, omnes et sin- » gulas pœnas per constitutiones apostolicas et decreta anteriora » hujusmodi, quomodolibet inflictas, harum serie reducimus; firmis » tamen.... » His positis.

R. Licet prior sensus ex verbis extundi possit; tamen posterior solus ita naturaliter fluit; ut hic solus genuinum decreti intellectum exprimere videatur. Hoc vero evincit ratio ibidem allata : *varietatis veterum decretorum tollendæ gratia.* Enim vero juxta priorem legis intellectum ablata quidem fuisset varietas pœnarum quoad libros prohibitos *propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem;* quoad ceteros vero fuisset quidem jam identitas pœnarum, sed mansisset omnis decretorum varietas pro cognitione librorum, extra terminos regulæ 10ᵃᵉ Tridentinæ, sub ejusdem regulæ pœnis vetitorum. Præterea secus Pontifex non reduceret decretorum anteriorum pœnas ad pœnas regulæ 10ᵃᵉ; siquidem pœnæ inflictæ prop-

[1] Extensa lege, non extendi pœnam; latius docet Suarez, *de fide*, disp. xx. s. 2. n. 29.

ter libros, non continentes hæresim nec suspectos de fide, non forent pœnæ regulæ 10ᵃᵉ; sed pœnæ iisdem æquales.

SECTIO III.

Quandonam lectio, retentio... alicujus libri aut scripti prohibita censeatur ipso naturæ jure.

299 Imprimis hic animadvertendum est; lectionem libri etiam pessimi, rem esse pravi quidem effectus, non tamen de se et necessario malam : illa, ut sæpissime in malum vergit, sic etiam ad bonum ordinari potest; et adeo honeste et licite fieri; si nullum adsit periculum, vel illud, quod forte adest discrimen, præsertim materialis tantum mali, justa compenset utilitas aut necessitas. Quemadmodum enim choreis interesse et turpi assistere comœdiæ et proprii aut alieni corporis inhonesta tangere aut aspicere ex necessitate licet; eadem prorsus ratione librum etiam impiissimum et maxime obscœnum legere, justa excusare valet ratio. Quare et cum supra sæpius docuimus et cum passim auctores docent, certos libros, ipso naturæ jure, esse prohibitos; intelligendum id est, sicut in exemplis præcitatis, cum conditione : *nisi justa causa ejusmodi lectionem cohonestet;* quod in dies apud librorum censores locum habet, tam pro libris obscœnis, quam pro libris impiis. Animadversionem firmat regula VIIª ind. Trid., qua *propter sermonis elegantiam et proprietatem*, libri antiqui, ab ethnicis conscripti, licet ex professo obscœni, permittuntur.

Verum quidem est; ecclesia concedens licentiam legendi libros prohibitos, semper excipit, *ex professo obscœnos;* non quod eorum lectio in se mala sit, quum eam justa in censore necessitas excuset; sed quod periculosa nimis; neque adeo in funestum levioris lectionis pabulum concedenda.

300 Ut autem dignoscatur quandonam, de jure naturæ, illicita; quandonam licita sit habenda lectio scripti alicujus perniciosi; oportet, sicut in exemplis allatis, malos lectionis effectus conferre cum bonis, et ex principiis, in tractatu, *de actibus hum.* tradi solitis, pensare; utri prævaleant

Sunt vero funestissimi, quos, ipso jubente jure naturæ, vitare unusquisque, pro eo, quod subit periculo et illo, quod aliis præbet scandalo, debet, exitus, pro libris quidem obscœnis, ipsi motus carnales occasione v. g. lectionis librorum chirurgicorum excitati; at præsertim affectus libidinosi, quos inflammatum eunt libri Romanenses aliique, illicitis amoribus pleni : pro libris impiis vero

aut saltem a vera religionis doctrina alienis, periculum errores contra fidem imbibendi, etiam materiales tantum [1]; speciatim vero animi a vera fide abalienatio aut totalis etiam ab illa avérsio.

Periculum vero eo majus est, quod pestiferi istiusmodi librorum auctores, omni studio et arte, ad impietatem omnemque morum corruptionem proficiant. Crescit autem aut minuitur, pro ea, quæ lectoribus adest, temeritate, aut modestia; scientia aut ignorantia.

301 His præmissis ad quæstionem, hac sectione nobis propositam, generatim respondemus : jure naturæ prohiberi omnem libri cujuscumque lectionem, qua quis sine justa causa se exponit periculo perdendæ integritatis fidei aut honestatis morum, et quidem si discrimen sit grave et propinquum, peccabit mortaliter, qui legit aut retinet. Quandonam autem hæc locum habeant, regula generali determinari non potest; id tum ex circumstantiis, præsertim objecti et subjecti; tum etiam ex justa, quæ adesse præsertim cum periculo remotiori potest, causa, disjudicari debet.

302 Quod autem frequentius urgeat præceptum hoc, quam passim hodie apprehendant homines; ne audax ex meo judicio promere videar, aliorum potius verbis liceat comprobare.

Imprimis ergo s. Alponsus de Lig. (in *Diss. de prohib. libr.*, c. IV, n. 3), hæc habet : « Lectio librorum, erroribus infectorum, ipso jure » naturali, vetita est illis, quibus offendiculo esse potest.... (lauda- » toque Petro Collet, *de præc. decal.*, c. I, art. 1, s. 3, p. 3, § 2, » concl. 2, ipsis ejus verbis prosequitur) atqui (lectio librorum » hæreticorum) periculosa est multis; cum pauci vafritiem.... hære- » ticorum detegere valeant; pauciores ab eorum laqueis.... se » expedire. Ergo merito dixit Sylvius [2] : *Rudes et in theologia leviter* » *instructos, quales sunt ii fere omnes, qui duobus aut tribus tantum* » *annis theologiæ studuerunt; non sine gravi peccato legere posse istius-* » *modi libros; etiamsi nulla esset lex ecclesiastica.* Ne ab imperitis, vel » semidoctis, aut etiam eruditis viris, absque necessitate et cum » subversionis periculo legantur : quod doctis etiam, sed nimium » curiosis, et quorum fides interdum infirmior est, quam simpli- » cium et ineruditorum, ex hujusmodi lectione plerumque immi- » nere, infelix experientia comprobavit.... Nec cum licentia posse » legi, si vel periculum subsit.... » Quod ultimum sapientissimi Sylvii monitum maxime meretur attendi, etiam pro scriptis perio-

[1] Certissimum est; non unum librum prohibitum ab ecclesia fuisse, propter errores iisdem contentos; ne iisdem simpliciores, etiam inscii, imbuerentur; licet nullum ab iis esset seducendi animi periculum.

[2] In 2. 2. q. xi. a. 3, quær. 6 concl. 2.

dicis quæ periculosa essent iis, qui propter unum aliumve librum vetitum, sibi necessarium, legendi libros prohibitos licentiam obtinuissent; aut qui indebite ejusmodi scripta terendi veniam sibi comparassent. Cfr et quæ n. 8, attulimus ex cl. Zaccaria.

His plane consentit p. Patuzzi, qui (*de præceptis fidei et de vitiis fidei oppositis*, in *Cursu compl. theol.*, t. VI, col. 644), de libris hæreticorum non legendis hæc habet: prohibitio juris naturalis « Ob- » stringit omnes illos, qui ex librorum lectione subversionis fidei » periculum sibi imminere prudenter timent, mentemque suam » gravibus adeo tentaminibus concuti sentiunt; ut in probabile » saltem dubitandi de fide discrimen adducantur. Unde hujusmodi » libros legentes, etiam habita quoscumque legendi facultate, gra- » viter peccant.... Plane, etiamsi licentias, sive facultates legendi » se habere jactent; nihil omnino hæ suffragantur; dum experientia » deprehendunt, se ex lectione talium librorum grave damnum » referre, multisque ipsorum mentes involvi dubitationum nebulis, » quas discutere plerumque nesciunt. » Idem plane de aliis libris impiis, deque libris, morum honestati inimicis, affirmandum est.

303 Quod vero laudati auctores de libris hæreticorum tradunt; plane applicandum est plerisque, quæ in dies eduntur, omniumque manibus teruntur, scriptis impiis et obscœnis, romanensibus, fascículis periodicis, ephemeridibus.... Suntne enim libri illi vel segmenta, vel pericopæ minori astu composita, quam impia hæreticorum conscripta? Numquid non potius magis sunt funesta; dum alia frontem mentiuntur minus hostilem; alia repetitis, in mensem aut hebdomadam, vicibus animos legentium expugnant, aut novis continuo artibus obsident? Vel an hodie, cum plerique in juventute vix leviter religionis nostræ sacrosanctæ dogmatis et principiis imbuuntur, cum tanta est seculi corruptio, et impietas, minus est ipsi lectorum vulgo perversionis discrimen? Aliter utique de re judicant boni quique; aliter ill. Episcopi nostri, qui adversus periculosam istam agentes impiarum fœtidarumque conscriptionum ingluviem, post allata innumera et gravissima, quæ ex earumdem lectione oriri solent mala, graviter subditis declarant: « C'est parce » que ces résultats sont dans la nature des choses, que la prohi- » bition des mauvais livres est de droit naturel [1]. »

Novimus quidem hanc recentius apud homines, etiam pios, invaluisse exceptionem; quod nullæ sint ephemerides, legi retinerique prohibitæ. Verum quam exitiosa sit ejusmodi illusio; quæ,

[1] Instr. past. § 3.

abrogata censura civili, remissa etiam, plus minus, censuræ ecclesiasticæ disciplina, quoad leges illius magis notorias, puta inspectionem officinarum, subhastationum..... in commune damnum propagata fuit; quotidiana nimium probat experientia. Constat enim unicuique, vel parum seculi moribus intento, plurimorum animos indies per diariorum lectionem a religione averti, centenisque imbui præjudiciis; alios plures, ephemeridum obscœnis captos illecebris, turpe morum pati naufragium et in omne flagitiorum genus se dare præcipites.

Quamvis autem res hæc satis explorata sit; minime supervacaneum visum est, quædam recensere, quibus magis magisque convincamur de illo, qui plerisque diariis nostris adest, impietatis atque perversitatis spiritu, et de periculo, quod lectio ejusmodi quotidiana infert fidei moribusque populi.

« Nous ne croyons pas, dit le *Journal hist. et litt.* (t. I, p. 135), » qu'en général il y ait une lecture plus dangereuse que celle des » journaux. Dans un journal, le danger se cache sous toutes les » formes et peut se trouver jusque dans une simple nouvelle, dans » l'altération d'un fait; et ce qu'il y a de pis, c'est qu'il se repré- » sente chaque jour.... Le journaliste a l'avantage de revenir tous » les jours à la charge, d'offrir mille fois la même idée, de » s'insinuer peu à peu dans les esprits, qui se défient d'abord de » lui. »

« Le danger de la lecture surtout habituelle des mauvais jour- » naux, dit le p. Dechamps (Confér. p. 54[2]), est encore plus gé- » néralement méconnu que celui des autres lectures. Il est cepen- » dant incontestable qu'un mauvais journal est la plus dangereuse » de toutes les publications.... il est peu, très-peu de personnes, » qui ne finissent par croire, que les choses sont, comme les leur » montre leur ami de tous les jours. »

Cujus rei rationem, ceteroquin manifestam, his verbis exponit cl. auctor opellæ, mole quidem exiguæ, ast pro præsenti, quam tractamus, materia, clero plurimum commendandæ : « Un journal » surtout est un ami de tous les jours, de tous les moments; qui » vous parle à toute heure; qui vous charme dans vos moments de » loisirs ou d'ennui; qui pénètre dans votre cabinet; qui vous suit » à la promenade, et qui à force de revenir à la charge, finit par » avoir de l'autorité sur vous.... vous vous faites, sans trop vous en » apercevoir, le disciple docile de l'écrivain qui vous intéresse. » L'expérience le prouve, ajoute l'auteur, quiconque s'attache à » un auteur, à un journal, finit par en admettre les principes. On a » vu des personnes s'attacher à un journal et au bout d'un an, ou

» moins encore, changer entièrement de manière de voir [1]. » Et vere pauci, etiam religionis scientia litterisque mediocriter instructi, idem continuo scriptum terunt, quos non ex ipsis eorum, de ecclesiæ regimine ac disciplina, de illius potestate ac juribus, deque rerum politicæ et religiosæ ad se invicem habitudine, placitis, agnoscas ut fideles nimium illius alumnos; passim utique quia in istiusmodi scriptoris schola efformati sunt; nonnumquam, quia in præhabitis jam opinionibus ejusdem auctoritate confirmati.

In hanc rem nostram tam apte quadrant, quæ scribit ill. Episcopus Lingonensis, in præclaro suo opere, *cas de conscience à propos des libertés exercées ou réclamées par les catholiques;* ut ea in gratiam eorum, qui ipsum librum haud legerunt, hic non adscribere non possim. Ait itaque ill. Præsul : « Dans le présent, le mal a pris » un caractère nouveau. Aux ouvrages de longue haleine est venu » se joindre le journalisme, qui les a, pour beaucoup de lecteurs, » presque tous remplacés. Au lieu de composer, chacun à son choix, » des bibliothèques permanentes, on s'abonne, chacun selon son » goût, à des feuilles éphémères. Le premier besoin de ces feuilles, » c'est d'avoir des lecteurs, et le moyen presque universellement » employé pour en avoir, c'est de flatter les passions. Or, flatter » les passions, c'est tout à la fois tromper et corrompre. Le jour- » nalisme, qui n'est pas soumis aux inflexibles principes de la con- » science chrétienne, se nourrit donc naturellement et nourrit » incessamment les peuples de mensonge et de dépravation.

» On voit par là combien, sous ce nouvel ordre de choses, ce » double poison acquiert d'activité, et du côté de ceux qui le pré- » parent, et du côté de ceux qui le reçoivent.

» Autrefois l'auteur d'un mauvais livre n'était porté à l'écrire » et à le mettre au jour que par sa disposition personnelle. Il n'y » avait le plus souvent pour le stimuler au mal, ni besoin du mo- » ment, ni engagement contracté; en sorte que, dans cette com- » position faite à loisir, cet auteur pouvait être plus ou moins ou » redressé par la réflexion, ou même arrêté par sa conscience. » Mais pour le journaliste, et surtout pour le feuilletonniste, il » n'en est pas ainsi. C'est avec les passions publiques que l'en- » gagement est pris; or, ces passions ressemblent traits pour » traits à ces horribles filles de Babylone dont parle l'Écriture, » et qui disent toujours : Apporte, apporte encore [2]. Si le journal » est irreligieux, et la plupart le sont, il faut chaque jour à ses

[1] *Les mauvais livres, les mauvais journaux et les romans,* 4e éd. p. 26.

[2] *Sanguisugæ sunt duæ filiæ, dicentes : Affer, affer* (Prov. xxx, 15.

» lecteurs habituels quelque dose d'impiété; et si en même temps, » comme il arrive presque toujours, il est immoral, il faut encore » à leur avidité journalière quelque aliment impur ou du moins » quelque satisfaction sensualiste [1]. Les rédacteurs le savent : ils » savent que, sans ce double appât, offert régulièrement aux abon- » nés qui les font vivre, la concurrence de quelques feuilles plus » fécondes en perversité leur deviendrait préjudiciable. Il faut » donc chaque jour, non plus seulement par attrait personnel, mais » par nécessité de position, faire à tout prix de l'irreligion et de » l'immoralité.

» Non, jamais, depuis le règne du paganisme, rien de plus au- » dacieux ni de plus corrupteur n'avait été imaginé. Et cependant » ce n'est pas là le côté le plus effrayant de la position. C'est » ainsi que le poison se prépare; il faut voir maintenant comment » il opère.

» Représentons-nous plusieurs millions de personnes de tout » sexe et de toute condition, à qui, chaque jour, ces poisons de » l'âme arrivent tout préparés, à leur domicile, sur tous les points » de la France; (*Belgique*) qui les reçoivent dans leurs mains sans » se déplacer; qui les acceptent avec satisfaction, parce qu'elles » les ont demandés et payés d'avance, qui s'en repaissent aussitôt » avec avidité, parce qu'elles s'en sont fait une habitude et un » besoin.

» Remarquons que ceux qui nourrissent ainsi chaque jour leur » intelligence et leur cœur de pensées irreligieuses et de senti- » ments coupables, sont, pour la plupart, arrivés à l'âge mûr, à » cet âge en qui doivent se résumer toutes les réflexions graves et » toutes les affaires importantes de la vie; à cet âge qui, entre » autres devoirs, est chargé de former la famille et de diriger la » société tout entière à ses degrés divers.

» Remarquons encore que l'excessive activité, dans laquelle on » est jeté aujourd'hui, laisse à chacun très-peu d'heures de loisir, » et que ce peu d'heures est entièrement absorbé par la lecture » du journal.

» De là, pour ceux même à qui la réflexion est le plus indis-

[1] Il importe peu d'examiner jusqu'à quel point l'immoralité ou l'irréligion y sont embellies et déguisées par les formes du langage. Pour qu'un journal soit tel que nous le dépeignons ici, il suffit qu'habituellement il tende à déprécier ce qui tient proprement à la pureté morale et chrétienne de l'homme, pour mettre en relief ce qui peut flatter les concupiscences mauvaises. Or, nous demandons si le plus grand nombre des journaux n'en est pas là?

» pensable, l'impossibilité presque absolue de réfléchir et d'avoir » des idées à soi sur ce qui n'est pas terrestre et matériel. De là le » dégoût de toute considération sérieuse et de toute lecture pro- » longée. De là l'incapacité pour toute étude méthodique et pour » toute science approfondie. De là, sous le vernis d'une érudition » d'autant plus vaniteuse qu'elle est plus vaine, l'ignorance la plus » crasse de tout ce qu'il y a pour le chrétien de plus nécessaire à » savoir. » (Au cinquième cas de conscience, édit. de Louv., p. 92.)

Et infra : « Il est sûr qu'aujourd'hui chacun a foi en son journal, » plus ou moins, et chez presque tous c'est une foi aveugle. En » voici les raisons :

» 1° On est universellement porté à croire que les rédacteurs » d'un journal sont mieux instruits de ce qu'ils racontent et de » ce dont ils traitent qu'on ne l'est soi-même. Précisément, parce » que presque toujours on ne les connaît pas, on se plaît à leur » supposer, sinon des lumières supérieures, au moins des positions » qui les mettent à même de tout voir et de tout apprécier; et ce » qui confirme dans cette vague mais incessante opinion, c'est » qu'en effet ces rédacteurs savent ordinairement parler de tout » avec une précision qui étonne et un aplomb qui impose;

» 2° Comme la plupart des lecteurs ne connaissent que par leur » journal et les événements rapportés, et les jugements énoncés » sur les personnes et sur les choses; comme d'ailleurs ils n'ont » ni assez de réflexion pour chercher à y démêler le vrai du faux, » ni assez d'instruction pour l'y découvrir, ils trouvent fort agréable » de recevoir des idées toutes faites; ils les acceptent donc sans » discussion, telles que la feuille les leur présente; ils se les ap- » proprient avec empressement; ils les redisent avec complaisance, » et ils les soutiennent au besoin, uniquement parce qu'ils les ont » crues d'abord, avec d'autant plus d'obstination qu'ils n'en ont pas » d'autres;

» 3° Mais ce qui donne surtout au journalisme un empire vrai- » ment irrésistible sur ses lecteurs habitués, c'est la continuité de » son action toujours dans le même sens. Il est d'expérience que » même le plus faible agent triomphe des obstacles même les plus » forts par la persévérance de ses attaques.

Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu.

» Or, le journalisme ayant par lui-même, d'après ce qui vient » d'être dit, une autorité déjà si puissante, comment ne subjugue- » rait-il pas tant d'intelligences débiles et tant de volontés indé- » cises par la réitération continuelle, assidue, infatigable des

» mêmes considérations, des mêmes raisonnements et des mêmes » insistances?

» Un journaliste n'est pas un historien, c'est un avocat chargé » de soutenir constamment la même cause par tous les moyens » de preuve que les circonstances lui fournissent ou qu'il trouve » en lui-même. Dans cette position, il exclut de sa feuille tout ce » qui n'est pas favorable aux idées qu'il a mission de défendre; » c'est pour cela qu'il passe sous silence certains faits, qu'il appuie » fortement sur certains autres, et qu'il en présente d'autres seule- » ment sous certaines faces; c'est pour cela qu'il se refuse à toute » considération qui lui serait opposée, et qu'il s'isole dans un ordre » d'idées exclusives, qui peuvent même devenir fausses précisé- » ment par leur isolement.

» N'est-il pas vrai que les juges les plus expérimentés et les plus » savants finiraient par céder à l'influence d'une plaidoirie tou- » jours ainsi renouvelée et toujours sans contradiction? Comment » donc des lecteurs vulgaires, et c'est le plus grand nombre, n'en » seraient-ils pas fascinés, entraînés, vaincus?

» 4° Ajoutons que, parmi les journalistes, ceux qui doivent le » plus facilement remporter sur le peuple cette victoire décisive, » ce sont ceux qui flattent ses passions. Généralement on lit un » journal, moins pour s'instruire à fond que pour se mettre au » courant des choses et pouvoir en converser d'après ses propres » goûts; or, comme parmi les hommes les goûts dépravés sont » presque toujours ou les plus dominants ou les plus promptement » éveillés, c'est en favorisant ces penchants mauvais que le jour- » nalisme obtient des lecteurs plus nombreux, plus crédules, et » plus dévoués. Ces lecteurs sont pour la plupart faciles à vaincre, » car ils sont presque toujours vaincus d'avance. Nous en avons » précédemment parlé; qu'il nous suffise d'ajouter ici que, pour » ceux-là surtout, quand il s'agit de récits scandaleux et de ré- » flexions anticatholiques, le journal est un oracle qui est cru sur » parole. » (Au septième cas, page 144.) Quæ de Galliis dicuntur, non minus vere Belgio applicari posse, non est dubium.

Similia fere de incredibiliter adaucto ephemeridum in societatem humanam influxu, post anni 1848 eversiones et concessiones inde natas, leguntur in collectaneis *Journal hist.*, t. xv, 115; ubi vere deducuntur bona et mala ex diariorum multiplicatione oriunda; sapientes etiam proponuntur legentibus cautelæ; an autem satis æqua lance ponderetur, quæ excelso nimis loco concessa fuit, circa librorum editionem, libertas; alii disjudicent. Audax videri possit quod nuper de Belgii nostri diariis statuebat sæpe laudatus auctor.

« *Journaux en Belgique*. Si l'on n'en excepte les journaux vraiment » catholiques, tous les autres ne se font pas scrupule de repro- » duire les feuilletons licencieux des journaux français..... par » exemple, ait ibidem in nota, les feuilletons irréligieux et immo- » raux de H. Berlioz et F. Barrière du *Journal des Débats;* de Sue, » Balzac et Gauthier de *la Presse;* de Dumas, Méry et Berthet du » *Siècle* [1]. » At recole, quas supra nis 27 et 28 apposuimus, notas litterarias; et collige quam sincerus sit, quem plures istiusmodi mercium propolæ identidem in insigne lectorum ludibrium profitentur religionis morumque cultum. Religionem celebrant moresque puros! Et quas apud alios reperiunt sordes in suis deponunt pagellis; quo vero ipsi toti turgent virus, hoc per varias ipsius diarii historiunculas et discursitationes diffundunt! Confidite lectores!

Nec peregrinum fuerit hic memorasse quæ Bruxellis, ann. 1842, inter quorumdam diariorum editores gesta sunt : quum propolæ novarum ephemeridum (*le Politique*) polliciti essent, iis, qui suum diario nomen dedissent, singulis hebdomadis gratis se missuros volumen unum lucubrationum Sue, Balzac, Soulié, Decock, Karr, Sand, et si quod aliud, morum honestati portentosum, inter recentiores obscœnorum romanensium scriptores, est nomen; indignati sunt trium aliorum diariorum editores de tanto scandalo, miseruitque ejus, quæ imbelli Belgio incubabat, plagæ. Et quid mirum? *L'Observateur* curæ habebat, ne dicam, anxiæ sollicitudini, sæpius, indies ferme, lectores securos reddere de suo, erga religionem, cultu; *l'Émancipation* et *l'Indépendant*, præ ceteris omnis honestatis et moderationis modos prætendebant, et passim servare audiebant. Nihilominus declarant ipsi trium diariorum editores, contra novellum illum æmulum conspirantes : « Aussi les grands journaux » existants (*l'Observateur, l'Émancipation* et *l'Indépendant*) qui sont » fondés sur des bases d'abonnement *normales et honnêtes*, se sont- » ils entendus..... pour faire ce que promet le nouveau journal. » Sic! et quidem magno scandalo alterius diarii (*le Courrier Belge*) certe de nimio religionis morumque studio minime suspecti, cujus editores honori ducunt et officio, cavere ab scriptis illis, quorum lectionem nulla mater suæ permiserit filiæ [2]. O tempora, o mores! Siccine illuditur Belgio catholico? Hæc quæ historica sunt, recolenda putavi ne oblitum eamus, quæ seculum nostrum clariori in luce sistunt, monumenta.

[1] *Les mauvais livres...* p. 99.

[2] V. les journaux de l'époque: nominatim, *Journal de Bruxelles*, ann. 1842, n. 353.

Neque hic de facili sine necessitate indulgendum censemus; ne ignava conniventia perditionis animarum participes efficiamur. Nuper incideram in duas pagellas diarii inscripti : *Journal de la Belgique*, quod inter cetera minus habebatur periculosum : at proh dolor! Non solum, quod omnibus ferme libris Romanensibus, et diariorum foliolis (veræ sunt pravorum scriptorum sentinæ pessimæ) commune est, vesanos tenere descriptos legentibusque mira arte instillatos videre fuit amores; sed et animo præfidenti, quasi transeuntur et aliud agendo, suicidium propositum, ut rem levem et quasi indifferentem; probrum conjectum in ecclesiæ ministros, qui periculosa carpunt mundi consortia; lascive depictum et impense commendatum dissolutum quemdam saltandi modum (la walse) cujus ingens pro moribus periculum exploratum est. Hæc et similia legat juventus, hæc legant indocti, hæc indies sub novis combibant illiciis; et non omnis religionis atque honestatis sensus paullatim extinguatur? Et non sit merito ab Episcopis nostris interdictum; immo vel ipso naturæ jure vetitum, similia scripta propagare, pecunia aut approbatione quacumque promovere, tolerare, legere?

304 Porro ex responsione, n. 301, data, concludendum; non solum libros, de se, malos, plerumque jure naturæ prohibitos esse; sed etiam sæpius libros, de se bonos, simplicioribus, eadem lege jubente, vitandos esse. Obligatur enim unusquisque, ipso naturæ jure, vitare illud quod ei futurum est scandalo : atqui tamen plures libri, de se boni, utiles aut etiam necessarii certis personis, pro speciali aliorum simplicitate aut fragilitate, scandalo esse possunt: vitari igitur ab iisdem debent. Quis v. g. in dubium revocet, libros anatomicos et chirurgicos esse pueris eripiendos? Et idem prorsus eamdem ob causam dicendum de tot libris, de religione morumque disciplina optime conscriptis, qui simplicioribus forent offensioni. Exemplo sint libri, qui quæstiones catholicos inter et protestantes agitatas, pertractant; de quibus vere ait Lacroix (l. VII, n. 387), quod « Talis lectio multis sit perniciosa, præsertim illis, qui non » satis firmi sunt in fide aut sunt simpliciores. » Exemplo sint libri s. Bernardi ad Eugenium P. III. *De consideratione;* plura, in decretis Tridentinis, de reformatione disciplinæ hierarchicæ et regularis, capita; quæ etiam recentius a sanctis viris Alphonso.... pie et zelose circa eamdem materiam in usum cleri, fuere conscripta; historia ecclesiastica, etiam verissime enarrata; nisi oportunis subinde adnotationibus caveatur, ne indoctus animadvertens aut Petri lapsum aut apostoli Judæ desperabundum finem scandalum patiatur, oblitus, humani Apostolorum collegii divinum caput esse

Christum; cujus virtus in infirmitate perficitur hominum. Ipsos libros sacros privatis posse offensionis occasionem esse, supra demonstravimus; atque eo casu de jure naturæ prohiberi, nullum est dubium.

Iis proin omnibus libris applicandum est, quod monet s. Alphonsus : « Nec cum licentia posse legi, si vel periculum subsit. » Id quod in Instructione sua pastor. anni 1836, ipsis scripturæ versionibus applicabat ill. Præsul Brugensis dicens : « Quoiqu'il n'y » ait pas de défense de la part de l'Église de garder ou de lire ces » versions (de la bible, non approuvées par le S. Siége....) il est » cependant du devoir d'un confesseur prudent de voir, si cette » lecture ne serait pas nuisible à son pénitent; par conséquent » défendue par le droit naturel. » Nec dubium; quin positis iisdem conditionibus, idem quoque textui vulgatæ sit applicandum.

305 Post factum quidem nemo facile de mortali culpandus est; ante factum tamen, ut provide monet s. Alphonsus [1] « In hac re » expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi » sicuti et in materia sexti præcepti et in occasione proxima dicendum est; quia, inquit sanctus auctor, si quædam opiniones de tactibus, osculis, choreis, spectaculis.... etsi speculative probabiles, practice concedantur, quia nihilominus periculosæ manent, « periculum peccati forma- » lis proximius reddunt [2]. » Quapropter numquam ejusmodi, quæ periculosæ pœnitenti sunt, lectiones concedendæ sunt; ne libere adeat perdendæ aut fidei aut castitatis periculum. Tametsi enim pœnitens, qui non advertit suum sibi periculum, etiam proximum, forte non sit peccaturus eo ipso, quo illud adit; peccabit tamen, si, quod prævidet et adeo cavere tenetur confessarius, in illa labatur.

Sæpe tamen, non concedendæ, sed permittendæ, seu potius tolerandæ sunt lectiones ejusmodi periculosæ, non solum quando justæ rationes aut aliæ circumstantiæ periculum jam faciunt remotum (quæ periculi elongatio semper sufficit ad dispositionem pœnitentis et simpliciter tutum est salutis medium; licet, ob rationes modo allatas, non sit medium tutius nec magis securum pro salute); sed etiam quandoque, licet periculum maneat proximum; puta si confessarius timeat ne potius sacramenta, quam similem lectionem deserat, vel ne alias gravius peccet : tunc enim oportet, e duobus malis eligendo minus, permittere, quod minus exponit salutem pœnitentis; modo non hic certo sit indispositus. Forte per gratiam

[1] In diss. c. v, n. 8

[2] *Praxis confess.* c. iv, n. 69.

sacramenti periculum advertet suum; et disponetur, ut in confessione sequenti amplectatur, cujus modo capax non est, monitionem confessarii. Regulariter itaque consiliis, adhortationibus, monitionibus res agenda erit; ante oculos ponendum, quod adit periculum; ut peccatum timere discat, timendo fugiat et deprecetur.... Non autem cum nulla est spes fructus, et multo minus cum discrimen est gravioris damni spiritualis, pœnitentibus facienda conscientia de mortali, pro ipsa, quam ponunt, actione periculosa; quam citra monitionem vix ullus illicitam habet; cum non sine veri specie existiment homines; sibi licere, quodcumque vident alios etiam probos facientes; quodque, pro seculi genio, necessarium sibi arbitrantur. Quin etiam si oportunum judicarem saluti pœnitentis, ei, etsi non certe indisposito, ad tempus absolutionem differre; ut huic periculo intendat fit et ab eodem adeundo absterreatur; putarem tamen eidem expresse declarandum; non velle ei facere conscientiam, quasi de mortali, de ipsa lectione, sed de lapsu, ex lectione timendo; cuique præcavendo hæc dilatio maxime potest conferre. Subinde tantum expediet omnem veritatem, de illiceitate similis lectionis, si certa illa sit, pandere; signanter ubi nimis apertum incurrunt periculum; ubi abest bona fides, vel certior hac via affulget spes fructus; aut cum dilata, etsi actualiter disposito, absolutione, alacrius allaboraturus prævidetur pœnitens amovendæ occasioni externæ [1].

Ceterum quamvis frequentissima hodie sit, per lectionem scriptorum tam immoralium quam impiorum, subversio, præsertim in juventute levi et jocosa, temeraria et confidenti; sat rarum tamen putem casum; quo quis de juvene individuo dicere possit; eum per talem lectionem incurrere morale periculum incredulitatis aut corruptionis; nisi pro scriptis valde obscœnis aut valde impiis, præsertim si diu et sola sine antidoto legantur. Interim in vero dubio tutius eligendum, ut dictum est. Ut autem istiusmodi periculi gravitas dignoscatur, eædem hic adhibendæ regulæ sunt; e quibus generatim de occasione proxima judicatur.

[1] Cfr s. Alph. *tr. de pœn.* n. 463 et 605, *Praxi conf.* c. IV, n. 65, 69 et 114.

SECTIO IV.

Quandonam solo jure positivo librorum impressio, lectio, retentio.... prohibeatur.

306 Q. Quibus casibus, juris positivi præcepto, libri cujuspiam prohibetur impressio, lectio, retentio....? R. Hos casus generalibus hisce regulis resumi posse crediderim :

1° Si liber una ex 10 regulis ind. Trid. sit prohibitus.

2° Si prohibitus a ss. Pontificibus, aut conciliis œcumenicis, anterioribus indice Trid. Has namque prohibitiones confirmavit regula prima ind. Trid.; Alexander autem VII, tantum reduxit, qua pœnales.

Hoc titulo notanda generalis prohibitio [1] sess. IV, Trid. « Ne » liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros, *de rebus* » *sacris*, sine nomine auctoris (nisi, ut ex Clem. VIII, vidimus, » n. 195, ex justa et judicio Episcopi probata causa, hunc defec- » tum suppleat ejus qui librum examinavit, subscriptio) neque illos » in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi prius exami- » nati probatique fuerint. » Quo quidem loco nomine *libri*, con- ciones quoque et lectiones, aliaque breviora scripta comprehendi, declaravit s. congr. conc. (supra n. 278) idque ideo, quia concilium Trid. eodem loco remittit ad pœnam statuti Later., quo *omnis scriptura* comprehenditur. Hanc pœnam sess. IV et Lat. V ab Al. VII, abrogatam docuimus, s. 2. Abrogata pœna, remanet legis prohibitio. De usu vero Belgii cfr finem cap. V.

3° Si comprehensus decretis generalibus [2] aliisve additamentis, indici Tridentino præfixis [3].

[1] Dico *prohibitio;* excommunicatio enim, quæ adjecta fuerat, ab Al. VII, videtur sublata (supra n. 294.)

[2] Confer hæc decreta, passim indici prævia, nominatim, § 1, n. 1, 2, 3, 7, 9 et 10, et § 2, n. 13.

Notandum vero circa hæc decreta : 1° quod libri, iis retenti, simpliciter scriptis prohibitis accenseantur; atque adeo eosdem imprimere, legere, tenere... non liceat. 2° Quod in inscriptione vox, *libri* non stricte accipienda, immo nec determinate; sed omnino late et indeterminate, pro singularum dispositionum terminis : enimvero aliis decretis soli memorantur libri; aliis quæcumque brevia scripta; quin immo et certæ imagines parte tertia decretorum prohibentur. Unde consequens est, pro singularum dispositionum valore capiendo, non ad inscriptionis, et multo minus ad aliarum dispositionum terminos esse attendendum. Quapropter cum hodie manuscripta librorum nomine non ita veniant, et ista § II, præ ceteris n° 11 et 13 expresse memorentur: non videntur ea generatim omnibus decretis aut voce, *libri* comprehendi.

[3] Hoc loco etiam, recensenda lex Clem. VIII; ne libri *quicumque* edantur

4° Si vetitus regulis generalibus; quæ a ss. Pontificibus aut ss. congregationibus serius emanarunt [1].

5° Si simpliciter sine pœnæ adjectione insertus fuerit indici, aut particulari alicujus s. congregationis decreto, aut s. Pontificis edicto prohibitus [2].

6° Si simpliciter sine pœnali sanctione ab Episcopis aliisve, pro locorum varietate, legitimis superioribus sit proscriptus.

Pro his tamen omnibus prohibitionibus positivis sedulo notandum; hic pene abstrahi ab iis, quæ in sectionibus præcedentibus dicta fuere; ex quibus simul cum hac prohibitione sæpius adest pœnalis sanctio, et pene semper, respectu plurium lectorum, legis naturalis vetitum; licet possit, ut juris naturalis, ita quoque et juris positivi prohibitio seorsim existere. Quod si tamen in particulari casu jus naturale cessaverit; per se loquendo, integrum manebit præceptum positivum; quod independenter ab adjunctis omnibus imponitur, pro periculo, quod communiter adest, licet non singulis immineat.

307 Porro de gravitate præcepti indicis Trid. dubitare nemini licet ex verbis regulæ ejusdem decimæ : « Qui vero libros alio no- » mine interdictos, legerit aut habuerit, præter peccati mortalis » reatum, qua afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur. »

De aliarum quoque, quas recensuimus, prohibitionum, gravitate jam minime dubia potest esse sententia; cum in materia pariter gravi, sub gravi obligare legislator sit existimandus.

Nominatim vero obligationis gravitas de lectione et retentione librorum sacrorum, in linguam vulgarem, etiam ab auctore catholico translatorum, certa est ex ipsa regula IV indicis; quæ peccatorum absolutionem denegandam præscribit ei, qui facultate non obtenta, talium bibliorum lectioni aut retentioni renuntiare noluerit; quod hic modo adhuc obligare propter nonnullorum hæsitationes, numero seq., breviter probabimus [3].

sine nomine auctoris; de qua quid statuendum sit, jam satis liquet ex dictis hoc numero, ad 2°.

[1] Hujusce rei exempla dedimus supra; ubi de appendicibus indicis pro locis particularibus; et ad calcem operis, in adnot. A, ubi de libris, qui docerent systema Copernicanum.

[2] Numquam enim, quod sciam, prodiit statutum quodpiam, generatim omnes aut ss. Congregationum aut ss. Pontificum prohibitiones excommunicationis sententia muniens.

[3] Cfr Harney, c. I, n. 2 et 3 et documentum quadrag. emin d. Engelberti, archiep. Mechl.; qui, anno 1841, gravem hanc obligationem suis diœcesanis intimabat.

Dico : *ab auctore catholico translatorum;* etenim versiones ab hæreticis profectas, libris omnino prohibitis accensendas, docet regula 3ia, et sub pœna excommunicationis, non reservatæ, prohibitas, docet reg. 10a : easque, si fideles sint, Episcopus de jure communi, concedit, cum delectu, viris piis et doctis, idque pro libris veteris testamenti tantum (cfr reg. 3m).

308 Scribebat quidem Lacroix, alios citans auctores, in multis Belgii « locis consuetudinem jam invaluisse, ut honestis et pru» dentibus personis secularibus bibliorum lectio permittatur; dis» simulatione potius, quam concessa licentia, neque in hoc ab » ordinariis contradici [1]. » Verum etsi forte aliquando id existimare quispiam potuerit; idem jam hodie sentire nobis non licet. Confer qui late et accurate hoc argumentum persequuntur, Harney (præsertim toto capite VI) et ill. d. Malou (t. I, p. 62).

Suffecerit vero unum modo citasse monumentum, laudato theologo (Lacroix) coævum; quo constet auctorem errore facti laborasse; cum, forte minus exploratæ relationi nixus, scripsit de usu regionis aliquantum dissitæ.

Cum versus finem sec. XVII, abusus legendi scripturas, lingua vulgari redditas, irrepsisset in quædam monialium monasteria, et apud alias quasdam sequioris sexus invaluisset personas; ill. Humbertus Guilielmus a Precipiano, archiep. Mechl., illustrissimi Ruræmundensis, Antverpiensis et Brugensis, comprovinciales Episcopi, Bruxellis, anno 1691, in 13ia Episcoporum Belgii congregatione, una decrevere, præcipiendum unanimi decreto ut inhiberetur lectio sacræ scripturæ in lingua vulgari [2]. Mox Archiepiscopus decretum emisit, quo expresse et simpliciter innovat : « Statuta quævis et » ordinationes; quæ sive in synodo provinciali Mechliniensi; sive » in diœcesana, aliterve a prædecessoribus nostris, inquit, hucus» que emanarunt, quoad exactam observantiam IV regulæ indicis » Tridentini » idem et alios tres Episcopos decrevisse testatur p. Harney [3].

Eodem modo, quoad substantiam, in omnibus Belgii diœcesibus, quantum scire potui, viget regulæ IV Trid. disciplina; cum hoc solo discrimine, quod in variis diœcesibus [4] admissum fuerit mo-

[1] L. VII. n. 374.

[2] V. Zaccar. in hist. ad hunc annum et *Synodicum Belg.* t. I, p. 570.

[3] C. VI, n. 33.

[4] Tornacensi, scil. Gandavensi et Brugensi, ut refert ill. d. Malou, t. I, p. 62. Pro diœcesi etiam Leodiensi præfatum moderamen saltem hodie admissum credere quis potuisset ex iis, quæ publice relata fuere de commen-

deramen Benedictinum anni 1757; dum in aliis ea concessione suspensa, eadem perseverat disciplina, subrogata, ut videtur, sub hoc respectu, lege episcopali, loco legis ecclesiasticæ, a Ben. XIV sublatæ.

De hac vero moderaminis Benedictini suspensione speciatim constat pro archidiœcesi Mechliniensi, ex documento quadragesimali anni 1841, quo eminentissimus Archipræsul disciplinam in diœcesi servandam, clarissimis verbis determinavit [1].

Similis procul dubio declaratio, aut scripto, aut viva voce, facta aliquando fuerit ab illustrissimis Leodiensi et Namurcensi Episcopis; secus vix concipitur, quo modo non semper licitum fuerit habitum, acceptare gratiam concessionis pontificiæ.

Excipiuntur tamen a regula IV, usu generali, quædam scripturæ partes; quæ passim libris precum insertæ conspiciuntur [2].

309 Neque immerito eadem fere, quæ introducta per Triden-

datione versionis gallicæ, commentariis dilucidatæ a. p. Lallemant, facta e suggestu ab ill. d. Cornelio, Episcopo Leodiensi. (*Journ. de Brux.*, 1846, 29 nov.) Verum inquisitione, hac super re, studiosius facta, plane persuasum est; errore deceptum fuisse, qui ita scripsit.

[1] Notat ibidem (in medio, ad V. *vous voyez*) prohibitionem regulæ IV esse gravem; nemini ex illius regulæ præscripto dandam licentiam, nisi a periculo alienus, verum ex lectione profectum sperare possit; versiones vero hæreticas aut suspectas inter libros prohibitos habendas. « Cette règle » pergit Archipræsul, fut publiée dans ce diocèse, peu d'années après sa » promulgation, et elle y fut toujours religieusement observée, à l'exception » que la permission ne doit pas être donnée par écrit; qu'elle peut être ac- » cordée par les curés et les confesseurs, qu'il n'est pas de rigueur de rendre » à l'ordinaire même les bibles, qu'on ne peut retenir, et que les peines infli- » gées aux libraires sont hors d'usage. » Et versus finem, alloquens diœceseos suæ clerum, ait : « Remarquez bien que l'Église ne vous autorise à » accorder la permission de lire la Sainte Bible en langue vulgaire, qu'à » ceux à qui non-seulement elle ne peut être nuisible, mais à qui elle pro- » curera, au contraire, une augmentation de foi et de piété. N'accordez donc » jamais cette faveur qu'à ceux qui réunissent ces deux conditions, et bornez- » la à un temps déterminé; afin que l'expérience vous apprenne, si elle leur » est véritablement utile. Obligez-les à ne se servir que de traductions ortho- » doxes; expliquez-leur les précautions à prendre et les règles à suivre pour » lire avec fruit, et pour bien comprendre le texte sacré; enfin recommandez- » leur avec soin de lire la parole de Dieu avec le plus grand respect, avec » une intention pure, et dans cet esprit d'humilité et de soumission à l'au- » torité de l'Église, qui seul peut écarter tout danger et leur rendre cette lec- » ture salutaire. »

[2] V. Dens de fide, n. 64.

tinum fuit, nominatim in Belgio, conservatur disciplina : etenim timenda sunt etiam hodie incommoda, quæ longa octodecim seculorum experentia, si scripturæ plebi permittantur, passim timenda docuit; manetque idem, qui recentius invaluerat independentiæ spiritus; quem quaquaversum, ardentius autem in quibusdam Belgii provinciis, disseminare adnituntur fidei hostes : noti namque omnibus sunt vàni quidem, favente Deo, at repetiti et pervicaces conatus societatis biblicæ, quæ, per suos bibliorum venditores et distributores, id unum obtinere nititur, ut ait Gregorius XVI, ut populi « Assuescant paullatim ad liberum de scripturarum sensu » judicium subimetipsis vindicandum, atque ad contemnendas tra- » ditiones divinas ex Patrum doctrina in ecclesia catholica custodi- » tas, ipsumque ecclesia magisterium repudiandum [1]. » Statutum, nempe, est illis, ait idem sanctissimus Dominus, « Populos omnes » conscientiæ seu potius erroris libertate donare [2]. » Merito imminente pertinacius, variis locis, hoste, huc vigilantius oculos vertendos ducunt eorum locorum præsules; ut exacta disciplinæ ecclesiasticæ observantia in irritum mittantur protestantium conatus [3].

Neque est adeo quod dicat quis, actum jam dudum esse de protestantismi figmento. Etenim hoc verum est de ea, in qua primum ille prodiit, religionis positivæ forma; cum sensim pene singula tam Lutheri, quam Calvini dogmata fuerint abrasa, saltem in Germania. Nullatenus vero idem dici valet de principio ipsius, omnis religionis destructivo; de omnimoda, scil. rationis privatæ, in religionis negotio, independentia; quod immo vivit et rationalismi et indifferentismi et scepticismi ramis validius, quam seculis præteritis, increscit [4].

340 Quod autem attinet peculiaria, pro Belgio, circa librorum lectionem, retentionem..... statuta; quod reperire potui [5], duo prodiere decreta, quibus libri prohibentur, ad hanc sectionem revo-

[1] In litt. encycl. an. 1844, ap. Kersten, t. XI, p. 87.

[2] Ib. p. 90.

[3] Hujus societatis biblicæ technas palam detegit ill. d. Malou, t. II, c. VIII et IX; ridiculos autem simul et irritos eorum conatus, sive ad docendos in fide Christianos; sive ad convertendos a paganismo infideles, ibidem traducit, c. XI et XII.

[4] Cfr Balmes, *Le protest. comp. au cathol.*, ch. X, éd. de Louv. p. 80 et seqq.; Champagny, *préf. de ses observ. sur quelques travaux prot.; Revue cath.* t. I, p. 74 et seqq.

[5] Libri, recensiti appendice regia Phil. II, reduci debent ad regulas Tridentinas; quarum normam exacte, ut iisdem proscribendis, servatam fuisse, ex ipsa ejusdem præfatione constat. Libri vero Guilielmi Vanroost, ab em.

canda. In primis huc revocandum est decretum ill. Belgii Episcoporum, datum in 15ª eorumdem congregatione, anno, scil. 1697, quo varii proscribuntur libri, qui cum hodie ferme interciderint, nec sub speciali pœna, sint prohibiti; eos scire cupidus adire potest *synod. Belgicum*, t. I, p. 626.

311 Alterum, pro dierum nostrorum necessitate, prodiit, 5 aug. 1843 sub nomine, *Instructio pastoralis illustr. Belgii Episcoporum de libris perniciosis;* de qua Instructione, pro argumenti ejus gravitate, et frequentissima præscriptionum ejus applicatione, hic latius agere visum fuit. Illius vero Instructionis, § 6 edicitur : « I. Nous renouvelons, autant qu'il est en nous, les défenses faites » par l'église, sous peine de péché mortel d'imprimer, de vendre, » colporter, distribuer ou donner tous livres, journaux, revues, » feuilles périodiques, contraires à la foi ou aux mœurs, sous quel- » que dénomination que ce soit. »

« II. Nous renouvelons également la défense faite à tous les en- » fants de l'église, d'acheter lesdits ouvrages, de les accepter, lire, » conserver, proner, conseiller. »

312 Ex quibus manifestum est; quidquid sit de præterita legum ecclesiasticarum circa libros prohibitos, aliquibus Belgii locis, promulgatione, aut earumdem per consuetudinem contrariam abrogatione, saltem nunc generatim, per totum Belgium, obligare omnes ecclesiæ leges contra *libros, fidei moribusque inimicos*, latas.

Renovatur lex per abusum neglecta, per desuetudinem sopita aut per non-acceptationem aut consuetudinem abrogata. Pastorali hac instructione omnes ecclesiæ, de perversis libris, leges renovare profitentur Episcopi. Possunt autem Episcopi, sicuti leges ecclesiæ generalis, huc usque in suis diœcesibus non acceptatas, promulgatione suis subditis applicare; sic et leges non modo sopitas, sed et consuetudine abrogatas instaurare. Nec dubitem; quin sic renovatæ; leges habituræ sint vim legis universalis ecclesiæ, quam Episcopi, jure suo, abrogare non possint. Quod si quis contenderit; Episcopos sicuti leges generales ecclesiæ abrogare non possunt, ita nec posse abrogatas, qua tales, restituere; hoc saltem concedat necesse est; posse Episcopos eas leges suas facere : in quo idem habebitur Instructionis pastoralis effectus; dum profitentur ill. Præsules nostri, omnes ecclesiæ leges, *quantum possunt*, renovando suis subditis applicare.

Negari interim posse non videtur; quod, non obstante generali

domino Thoma Phil. de Alsatia damnati fuerunt, ut libri hominis hæretici, hæresim continentes; adeoque ad casum bullæ cœnæ debent revocari.

hac legum ecclesiasticarum renovatione, quædam earum dispositiones, sed minus principales, favente consuetudine, sopitæ maneant : tales sunt, quæ in regula indicis decima leguntur de venditione librorum a defunctis relictorum... Hujus autem exceptionis extensionem usus quotidianus, cum tacito Episcoporum consensu conjunctus, indies magis magisque declarabit.

Cum dicatur Gallice, *de l'église*, cum articulo; manifestum est; intelligi ecclesiæ universalis leges; id quod manifestius adhuc pandit secunda paragraphe : *la défense faite à tous les enfants de l'église.*

Palam etiam est; vocibus, *défenses faites par l'église*, non mere inculcari legis naturalis prohibitiones, de quibus supra s. III; sed legis positivæ intimari statuta.

Verba, *défenses* et *sous peine de péché mortel*, nulla pœnarum facta mentione, innuunt; nihil renovari, quoad censuras aliasque pœnas, usu forte abrogatas. Renovatio namque legum, sicut ipsæ leges, non operatur ultra terminos mentemque ejus, qui leges renovat.

Comprehenduntur non solum libri, sed et scripta quæcumque, sub quacumque denominatione aut forma, *contraria fidei aut bonis moribus;* si tamen ipsæ ecclesiæ leges quæ renovantur, quamcumque scripturam continerent. (Quid per solam vocem, *libri* significetur; vide n. 278.)

Nominatim hic notanda renovatio regulæ decimæ indicis Trid. cum statuto Lateranensis V, per eamdem confirmato, et decreti sess. IV Trid.; quibus vetatur imprimere vel imprimi facere quamcumque scripturam anonymam, aut censura ordinarii destitutam; eamdemque, postquam impressa fuerit vendere ac retinere; si de re sacra tractet, et simul anonyma prodeat ac censura destituta. (Confer n. 194 et 195.) Recole alias leges c. IV et VI passim.

Cum dicatur, *renouvelons*, nulla nova lex priscis ecclesiæ, contra pravos libros, legibus superaddita intelligitur : quapropter actiones variæ in *Instructione pastorali* recensitæ (*imprimer*, *vendre*, *colporter*, *distribuer*, *donner*); et varia, quæ enumerantur, renovatæ prohibitionis objecta (*livres*, *journaux*, *revues*, *feuilles périodiques*) conferri debent ad ipsas ecclesiæ leges; ut liqueat; quid, qua ratione, singulis earum interdicatur.

Dicitur in *Instructione past.*, *contraires à la foi ou aux bonnes mœurs :* ex qua restrictione patet; nihil hic renovari de libris anonymis vel censura ordinarii destitutis, præcise qua talibus. Quapropter licet præsertim apud typographos sit instandum; ut nullum opus, nisi prævia cum censura, typis mandent, et apud fideles, ut huic approbationi maxime sint attenti; tamen non videntur, quæ

supra, de consuetudine, hic ecclesiæ legibus contraria, dicta sunt (cfr c. v in fine) per Instructionem pastoralem esse revocata. Nec minus hodie librarii, qui catholici audiunt, venales offerunt libros quoscumque, censura destitutos, nominatim libros precum, qui huc aliunde magno numero, advehuntur.

313 Nec aliud a dispositione *Instructionis past.* medium suppetiisse videtur; quod tam oportune ingruenti pravorum scriptorum pesti opponeretur : præcisam enim certarum conscriptionum confixionem vetabat inconstans nimium, qui lucubrationibus periodicis præsidet spiritus; major eorum quæ minus probanda forent, scriptorum numerus; et timor ne scriptores magis exacerbati in pejus ruerent; dum nunc eo blandius ad bonam invitantur redire frugem, quo facilius ecclesiasticum evadunt interdictum.

Prætcrea et hoc notandum est; non vacare hodie Episcopis eorumque in ministerio adjutoribus; quo distendantur quotidiana hac plurimorum librorum excussione; nec decere etiam, ut potestatem sacram cum ea, quæ ex simili scriptorum censura prævideri jam deberet, omnigenorum hostium incursione commisceant. Accedit, quod pro necessitate, melius possit ad tempus excusari bona legentium fides, et eo quoque efficacius, quo prudentius, paullatim eradicari possint zizania, quæ agro dominico superseminat inimicus homo.

314 Hunc vero ut assequi detur finem; non modo optimum, sed et necessarium videtur consilium; unitis studiis ac viribus, successive, prout prudentia suaserit et locorum circumstantiæ permiserint, hujusmodi lethifera aggredi malorum omnium fomenta, sensimque fideles reducere ad salubria integræ doctrinæ pascua. In quo catholicos omnes, qui auctoritate valent, pro sua cujusque conditione, partes suas conferre decet; ut ea, quæ in religionis ipsiusque societatis civilis perniciem tantopere invaluit, perversorum scriptorum lectio cohibeatur [1].

Quoniam vero frustra mala scripta e fidelium manibus eripientur, nisi bona aut saltem innoxia eorum loco volvenda substituantur; satis laudari, et qua subsidiis, qua honoribus, qua cooperatione satis stimulari haud potest zelus eorum virorum; qui talenta sua veritati in diariis aliisque scriptis periodicis vindicandæ mancipant. Quod vere de Gallia pronuntiat ill. Episcopus Lingonensis [2]; ephemeridum editores in efformandis hominum opinionibus primas

[1] Cfr ill. Frayssinous, *Disc. sur la nécessité de la religion pour le bonheur public.*

[2] *Cas de consc.* au 7e cas. 1re part. 1 ch. éd. de Louv. p. 146.

tenere, atque adeo societati conservandæ ac promovendæ potissimum esse principium; etiam Belgio, servata proportione, applicari debet Quapropter necesse est; ut quicumque auctoritate vel talentis aliquid valent catholici viri, omnem opem conferant; quo bona hujusmodi scripta multiplicentur ac propagentur. Nec solius id cleri munus esse, sed ipsis etiam laicis apostolatum illum competere, docet idem ill. Præsul. Quibus tamen, ut numquam a recto tramite deflectant, specialibus sæpe opus est cautelis; quas, in laudato opere egregie evolutas, require [1].

Præterea deficiente tribunali, quod cum auctoritate perniciosa scripta configat, priorum pariter doctorumque virorum hoc officium est; ut, quæ indies emittuntur lucubrationes, discutientes; eas vel debito commendent encomio, vel nigro stigmate notent, exagitent atque confutent. Nec est quod auctores succenseant id eos, qui ejusmodi crisin vel sponte vel cum auctoritate exercent, viros. Quid enim? Eadem, qua illi scribentes utuntur, et nos utimur libertate in gratiam eorum, qui libere nos audiunt, et doceri a nobis volunt; quid regulis rectæ fidei sanisque moribus conveniat; quid repugnet.

315 Neque sine fructu tentata fuit, de qua egimus, *Instructionis pastoralis* œconomia, ut testantur documenta quadragesimalia ann. 1845 in laudata præfatione, de iis nominatim provinciis, quibus exitiosior incumbit pravæ lectionis pestis. Insuper, ex quo data fuit *Instructio past.*, non unum scriptum periodicum aut intercidisse, aut parcius requisitum lectumque fuisse, facta publica, ipsorumque, qui non ita pridem suo gloriabantur dominatu, editorum confessio et tabularum publicarum authentica documenta publici fecere juris [2]. Quod tamen merito querebantur, laudatis documentis, Eminentissimus Engelbertus atque illustrissimus Leodiensium Episcopus, plures pastorum suorum voci surdos se præbuisse, et hodie merito deploramus cum cl. editore collecta-

[1] L. cit. et 7° cas, 2e part. 1 ch. éd. de Louvain. p. 197.

[2] Constat ex documentis publicis (statistique des timbres) evulgatis in ephemeridibus januarii 1844, diarium quoddam, pseudo-liberalium, tum temporis, princeps vexillum, cujus scriptores, cum ederetur *Instructio pastoralis*, gloriabantur, numero lectorum præcedere omnes alios, in Belgio, diariorum editores, trium mensium spatio ita concidisse; ut plusquam quingentis conscriptis, a suis æmulis vinceretur. Quid causæ fuerit, non quæro : novæ post tres menses, inito decrescente patronorum suorum computu, eorumdem scriptorum in *Instructionem past.* iræ atque latratus satis indicarunt; unde ipsi se peti crediderint.

neorum, *Journ. hist. et litt.*, cujus, præcidentes tamen a placitis ejus politicis, quæ etiam post recentem declarationem (*Journ. hist.*, t. XIV, p. 397-404) novimus pluribus non probari, in hanc rem nostram verba (t. XIV, p. 136 et 194 et seqq.) clero commendare non dubitamus; ut zelo armemur contra funestum illum plurium catholicorum abusum; qui et ipsi legendo diaria, sub speudo-liberalium nomine edita, sensim eorumdem principiis, omnis religionis omnisque etiam ordinis subversivis ipsi imbuuntur; et pecunia sua dictas ephemerides promovendo, latæ cooperantur earumdem in religionis, status ac omnis societatis perniciem, diffusioni.

316 Quia vero pluribus incauti illi prætextibus suam agendi rationem excusare utcumque solent; visum est; ex principiis, in dissertatione quaquaversum dispersis, hujuscemodi familiares quasdam excusationes et objectiones dissolvere.

Allegant varii varia : ego, inquit unus, nihil mali reperio in istis ephemeridibus aut in tali altero scripto : 2° saltem, si quid occurrit minus rectum; excusat me necessitas seculi, cujus ignorare non licet spiritum et progressus; excusant necessitudines status, officii, artis, commercium : 3° si quid minus orthodoxum est, probe novi illud discernere a doctrina catholica; quam ab infantia studiose didici. 4° In vanum autem eadem, quæ ex diariis, quæ liberalia dicuntur, haurio commoda, in scriptis religiosæ servituti mancipatis, prosequerer; deest enim illis omnis artis decor et omnis mentis vigor : nova tum demum referuntur in diariis catholicis; cum omnibus nota viluerunt; vel quod torpeant editores nova venari; vel quod timeant diffamationis videri participes. 5° Tantum, inquit alter, casu lego in diversorio, et 6° missam facio pagellam (feuilleton), 7° neque pecunia editores stimulo; cum vel sufficienter eis sit provisum, vel gratis illud ab amico recipiam. (Quæ sæpius oggeritur, recentius acquisitam libertatem esse meram tolerantiam seu impunitatem in foro civili, satis superque dictum fuit n. 80 et seqq. cfr.)

317 R. ad 1 Utique, nec mirum : pauci enim ita sunt in religione instructi; ut quod perversis libris subtili arte conditum est venenum, illico detegentes, censorium de scriptis judicium ferre valeant [1]. Qui ejusmodi lectionibus assueti sunt, numquid, vitiato palatu, noxiam inscii combibunt potionem? Cujus, quæso, est, de intimis incubantium morborum symptomatis, et de latentibus ægritudinum causis judicium ferre; an male patientis; an periti, sanandi arte, medici? Ecquis, de apposito mediis dapibus ferculo

[1] Cfr quæ relata fuere supra, § III, et quæ dicentur infra, § V. q. 10.

lethifero, ipse incauta refectione periculum exploret; et non artis cheminæ periti requirat judicium [1]? Similiter et in ea, de qua agimus, materia statuendum est : etiam hic, si nullus monet, discrimen sæpe non advertitur; nisi cum jam lapso animus deest assurgendi; aut cum eorum, quorum nobis incumbebat cura, jam medium nullum ferunt vel flagitia vel triste funus.

Regerentibus igitur, quod ista scripta non sint ita periculosa, aut se nihil mali in istis reperire, respondendum, quod olim zelosissimus archiep. Mechl. Humbertus Guil. a Precipiano ad clerum diœceseos suæ scribebat in epistola pastorali, 12 oct. 1692, apostolico commendata Innocentii XII encomio; in qua postquam de omni ministerii sacerdotalis parte, nominatim vero de pravorum librorum lectione, varia protulit, meditatione nostra dignissima, zelumque nostrum excitare aptissima; hæc ad clerum suum verba dirigit ill. Præsul : « Non est autem nostrum curiose hic excutere; » qua potissimum de causa liber proscriptus sit, atque hac ratione » vel nos ipsos vel alios fallere. Satis esto, proscriptum esse; ut » excutiamus manibus, et anguem latere in herba suspicemur; qui, » priusquam pedem referamus, mordere possit, et occultum animis » ac lethiferum venenum inspirare : multo minus fucos, ac colores » quærere; quibus vel nos vel alios studeamus eximere ecclesiasticis » præceptis et censuris, lectionem ejusmodi librorum severe inter» dicentibus [2]. »

318 R. ad 2 Pro varia opponentis qualitate et intentione :

a) In fide et moribus progressus nullus : spiritus Christi semper idem : *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est* [3]. Pro scientiis et artibus haberi sæpe potest idem commodum e scriptis auctorum orthodoxorum, quos supra n. 20 et 87 ostendimus, per se et generatim loquendo, ad verum scientiarum artiumque profectum, præ ceteris conferre.

b) Quod si cui, pro suo munere, necesse fuerit infectos consulere fontes; numquam ab ecclesia necessaria denegabitur legendi licentia. Quam immo necessitatem agnoscentes ill. Episcopi nostri, in instructione edixere his verbis. « Lorsque dans l'intérêt de la science, ou » pour l'accomplissement des devoirs d'une profession, d'un état » honnête, des fidèles croiront nécessaire de lire ou de consulter » soit un livre, soit un journal ou quelqu'autre publication périodi» que, utile en partie à ceux, qui cultivent cette science ou exercent

[1] Confer p. Dechamps, *Conférences*, p. 28.
[2] C. 2. (In synod. Belg. t. I. p. 397.)
[3] I ad Cor. c. III, v. XI.

» cet état, cette profession; mais en partie dangereuse pour les » principes religieux ou les mœurs; ils devront s'adresser à leurs » curés ou à leurs confesseurs, afin d'obtenir par leur intermédiaire » la permission requise..... » Monitum in casu servandum subjicitur : « Ceux qui auront obtenu cette permission, devront toujours » prendre les précautions nécessaires, pour qu'il n'en résulte au- » cun dommage, ni pour eux, ni pour les personnes de leur mai- » son [1]. » Eadem hæc, monens, iterato inculcat ill. Episcopus Leodiensis, in documento quadragesimali anni 1845 [2]. « Si pour vos » affaires, votre commerce, vous aviez un besoin indispensable de » ces journaux; serrez les sous clef; afin que le poison, qu'ils recè- » lent, ne se répande pas autour de vous. »

Hanc licentiam dari non posse; neque, si daretur, aliquid affecturam esse, si prohibitio juris naturæ sit; sect. III cautum est.

c) Seclusa vero necessitate, si tantum prætendant lectionem curiosam; meminisse debent fideles obedientiæ, debitæ superioribus; qui melius norunt discernere, ubi periculum adsit fidei aut morum; quorumque adeo judicio submittere se debent; primo omnium loco, salutem curantes animæ suæ [3]. *Eritis, sicut dii, scientes bonum et malum* [4], inquit per emissarios suos, aut per suggestiones internas, satan homini, per aliqualem præsumptionem elato, vel etiam sinistra educatione vel prava lectione, licet inscie, præjudiciis jam imbuto : at quis olim exitus fuerit promissionum patris mendacii meminimus : an post tristem nimis experientiam major ei habenda fides?

519 R. ad 3. Cum cl. auctore libelli, *Les mauvais livres* : « Autre » chose est de connaître sa religion pour la pratiquer avec simpli- » cité et soumission, et autre chose de la connaître assez, pour

[1] *Instr. past.* § 6. IV.

[2] P. 294.

[3] *Les mauvais livres*... au premier préjugé « à force d'entendre sans cesse, » dit l'auteur, progrès, mouvement, émancipation intellectuelle, civilisation » nouvelle, tolérance, principes humanitaires, on serait vraiment tenté de » croire, que tout ce qui est vieux ne convient plus du tout à notre époque ; » que nous allons voir un monde tout nouveau avec des hommes qui ne doi- » vent plus être conduits ni sauvés, comme autrefois; que les défenses de » l'église, en fait de lecture, ne sont plus de saison ; qu'il faut laisser à chacun » la liberté de lire, d'examiner, de discuter et de juger, que tout entrave, » mise à cette liberté est un empiétement sur les droits imprescriptibles de » l'homme. » Illi sane qui scientiam habet, et spiritum religionis suæ, sufficerit hæc et similia stolidæ rationis deliria legisse, ut et indignanter eadem repudiarit et tacite secum confutarit.

[4] Gen. III.

» discerner l'erreur et pour ne pas se laisser tromper par une foule » d'objections, présentées souvent de la manière la plus astucieuse. » Voyez de près, *ait auctor, et verissime*, ces catholiques imprudents, » qui pour se mettre, au niveau de leur siècle, lisent indifféremment toute espèce de productions littéraires. Conservent-ils la » foi intacte? Hélas! L'expérience nous force de dire que mille » préjugés contraires à la doctrine, à la morale ou à la discipline » de l'Église faussent leur esprit, et dénaturent leur foi. Cependant ils se croient encore très-bons catholiques; car n'ayant pas » assez d'instruction religieuse pour distinguer.... [1]. »

320 R. ad 4^m^. Necessitati sufficienter prospectum esse vidimus, in R. ad 2^m^. Plerumque autem quod oggeritur vanus prætextus est; signum animi per leviores lectitationes molliti, depravatique gustus, qui solidum jam non fert cibum; vel fœtus nimii acerbæ criseos pruritus, cujus titillatio jam severam veritatis gravitatem fastidit; aut simile quodpiam minus rectæ mentis vitium. Quid de stylo et arte scriptorum Romanensium statuendum sit; supra c. 1, peritorum testimoniis declaravimus : de sinistri ominis diariis generatim idem omnino statuendum esse, nullum est dubium. In cujus rei, passim notæ, confirmationem adducere liceat, quæ dabimus in app. adnot. (J.) Certe quidquid veritati præjudicat aut virtuti bellum movet, viri sani non habet assensum; neque ad veram artem pertinere potest, quidquid in naturam peccat. Veritas morumque honestas, utut antiquæ, eædemque semper perseverent, suam semper venustatem habent; novo decentique ornatu circumdatæ semper delectant virum sobrium, qui respuere novit tumidum inflati efflatique sermonis fastum.

At vero supposita ejus, quod objicitur, in quodam casu, veritate, si serio ea quidam, prava diaria temere terentes, in excusationem sui proferrent; miserationem potius mererentur nostram, quam refutationem; quod ita rebus hujus mundi demersi jaceant; ut non capiant quæ sunt spiritus. Quotusquisque enim sanus ita novorum discendorum cupiditatis impos, ut etiam cum periculo salutis corporalis, vel ad meram sui oblectationem cum aliorum damno eam notitiam sibi comparare posse censeat? Atqui a pari; seu potius, ut dicunt, a fortiori. — Prudentia dictat e duobus malis, si eligendum sit, præferendum esse minus : ipsi ergo pensitent, quodnam minus malum sit; an damnum styli, an vero damnum fidei et religionis; an damnum moræ in discendis novis, an damnum honestatis morum. Judicent et pro judicio eligant. Interim hæ similesque, quæ

[1] Au troisième préjugé. Cfr et quæ dicta fuere, c. VI. s. III et c. I. n 8.

nobis sæpe oggeruntur, querelæ, sive fundatæ eæ sint, sive non sint; motivum efficacissimum suppeditant; quo, occasione data, excitetur catholicorum editorum alacritas ac zelus.

321 R. generatim ad sequentia. Licet rationes istæ transgressionem extenuent; nulla tamen est quæ excuset a præcepto gravi et justo : etiam in necessitate postulanda licentia est, quod infra, § v, latius probaturi sumus; quomodo ergo similes penitus excusent ratiunculæ? Sed modo inspiciamus singulas.

R. ad 5. An minus in diversorio periculosa quam domi, aut cessat periculum quia casu legitur? Immo si publice legis; numquid exemplo alios inducis, ad prævaricandum; idque eo magis, si vir doctus et pius, etiam pro munere legens, ab aliis ut norma habearis vivendi?

R. ad 6. Qui ipse pagellam missam facit, sæpe tamen per exemplum, aut per concursum materialem, causa est, quod alii quicumque, signanter subditi, eamdem legant et legendo pereant. Numquid ephemerides, quæ impuræ trahunt pagellæ sentinam, in reliquis impietate carebunt et immunditiis?

R. ad 7. Mala scripta verum sunt venenum morale individuis, familiis, societati civili et religiosæ : quis porro potionem lethiferam, quia ultro oblatam, ut beneficium acceptet, vel sibi gratam fingat? Quis, quia malum per alios nihilominus fieret, sibi licitum putet libere ad illud cooperari? Quis insuper non timeat, ne per illum suum concursum, malum ingravescat aut latius extendatur?

His aliisque vulgaribus, ad fidelium captum, responsis, paullatim pseudo-educationis præjudicia expugnabuntur; discentque fideles obedire voci, tum legis naturalis tum sanctæ matris ecclesiæ, repudiando, quæcumque, periculosa sunt scripta.

322 Ex dictis, tum in hac, tum in præcedenti sectione, concludendum : longe plurimos, qui hodie prodeunt libros romanenses, diaria aliaque scripta periodica, jure naturæ sub gravi *plerisque* vitanda esse; jure vero positivo sub gravi omnibus prohibitum esse eadem imprimere vel imprimi facere.

Dicent tamen religionis hostes; quod Episcopi prohibere non possint diaria aliaque scripta indifferentia, quæ de rebus politicis tractant, deque factis dierum nostrorum; nihil namque his, aiunt, cum religione et moribus commune.

R. Non prohibent Episcopi, quatenus, mere politica aut historica, nihil contrarium habent fidei aut moribus, *contraires à la foi ou aux mœurs.* Verum abest plurimum; ut ephemerides aliaque scripta periodica politicis historicisque contineantur quæstionibus : etenim 1° Et plerumque habent segmenta de religionis dogmatis,

præceptis, disciplina, ministris; et suum pleraque indies secum trahunt foliolum, fœtidissimam omnis spurcitiæ sentinam.

2° Posito etiam, quod extra placitorum politicorum rerumque coævarum campum non exspatientur; possunt tamen plura continere; quæ aut fidei aut moribus sunt adversa. Nam cum obligationes nostras politicas sua quoque auctoritate firmet religio, jubens dari Cæsari, quæ Cæsaris sunt, vectigal, tributum, timorem, honorem; cumque non obstante utriusque reipublicæ, tum sacræ tum profanæ independentia mutua, utriusque tamen potestatis, suo genere, summæ, intimus sit nexus; quoniam de iisdem sæpe, licet sub vario respectu, disponendum habent personis, ac rebus; facili negotio, qui de una, pro lubitu statuit, alterius quoque dogmata negat ac præcepta concultat : ut si quis a debite implendis obligationibus politicis avocet, principi obedientiam deberi neget; aut civilis reipublicæ præeminentiam in spiritualem dogmatice adstruat. Atqui tamen hæc sunt, quibus pleraque peccant scripta politica. Undenam tanta apud viros, ceteroquin probos, notionum subversio; ut putent sibi, cum jura politica exsequuntur, prorsus nullam religionis habendam esse rationem; et in comitiis publicis, se non Christiane, sed politice agere dictitent; nisi ex illis, quæ indies terunt pseudo-politicorum scriptis? Subordinant illa religionem reipublicæ, resque spirituales rei temporali ea fronte ac pervicacia; ut lectores non pauci, nec minimo suborto dubio, aperte quidem perversis repugnent dogmatis, occulte tamen eorumdem adhæreant et practice suffragentur consectariis.

Ad facta vero quod attinet : eorum quoque enarratio potest variis modis fidei bonorumque morum esse subversiva : immo non alia via securius pravæ doctrinæ venenum instillari, quam amica historiarum illecebra, notum est [1].

Nunc ergo quærere liceat; penes quos sit hoc judicium, quo discernatur, an scriptum aliquod rebus politicis aut rerum novarum enarrationi dicatum, in religionis doctrinam involet? An penes eos, qui divinitus positi sunt docere, quæ religionis sunt; an penes eos qui debent discere? An penes Episcopos nostros; an penes fideles? Unusquisque pro suo ipse judicet sensu. Certe s. indicis congregatio rem minime reliquit dubiam : anno namque 1832 ab Episcopis Helvetiæ rogata;

« Utrum ephemerides seu diaria subjici debeant censuræ ordi-» narii, et an etiam quoad opiniones politicas? »

[1] V. *Journ. hist.* t. III. p. 68.

Respondit : « *Affirmative quoad utramque partem* [1].

Et interrogata :

» An eidem censuræ subjaceant non solum articuli doctrinales; » sed etiam articuli, in quibus facta narrantur? »

Pariter respondit : « *affirmative.* »

323 Porro ulterius ex præcedentibus concludendum; plures ex hoc capite lectionis, retentionis..... hujusmodi romanensium, miscellaneorum aliarumve conscriptionum versari in peccato mortali : vel primo propter legem naturalem; quando cum periculo suo legunt, retinent.....; vel cum periculo alieno suppeditant aut commendant; vel quando suæ inscriptionis pretio promovent hujusmodi scripta, valde impia aut obscœna; sicuti cum quis pecunia cooperatur ad comœdias valde turpes [2]. Vel saltem secundo propter præceptum positivum grave, latum contra omnia scripta fidei moribusque inimica, quod in materia gravi prævaricantur.

Interim si in ulla, certe in hac materia multum indulgendum ignorantiæ, bonæque fidei; quibus hic tam varium ac multiplex reperitur præsidium.

324 Practice etiam qui publice legunt, datoque nomine et pecunia, perversissima scripta promovent, tamquam *peccatores publici* haberi vix possunt; cum aut quædam bona fides possit excusare; aut saltem dispensationis justæque rationis excusatio in præsidium actionis publicæ possit afferri. Scandalum vero activum, quod advenis caupones, ac filiis suis parentes præbent; dum similia eis scripta subministrant; specietenus excusat eadem bona fides; qua non minus in alieno quam in suo cæcutiunt periculo. Privatim tamen omni modo providendum est; ut cujuscumque scandali tollatur occasio.

Aliter statuendum videtur de similium conscriptionum, si publice noti sint, auctoribus, et, qui conscii eas ederent, venderent aut vulgo legendas præberent, typographis atque librariis. Iis namque, donec peccatis suis renuntient, sacramentum nullum conferre licet. « Sacramentum illis conferre non licet, inquiunt acta » et decr. em. d. Engelberti, in congr. archipresb. ann. 1847 (de » sacram. in gen. c. IX, reg. 1). quos certo aut publice constat » peccati mortalis reos esse, nec illius pœnitere. »

In actis vero congr. archipresb. anni 1849, c. XIII, post recen-

[1] Ita ex authentico exemplari archiepiscopatus Mechlin. et ap. Kersten, t. V. p. 508.

[2] V. s. Alphonsi Theol. l. III. n. 427, aliosque probatos auctores, in hanc materiam; cujus leges huc fere sunt applicandæ.

sitos varios, qui, nisi peccatis suis renuntient, absolvi non possunt; idem em. Dominus prosequitur : « His annumerandi sunt..... » qui libros, fidei vel moribus contrarios edunt, vendunt vel aliter » distribuunt. »

Quin et ad publicam sacramentorum susceptionem admittendi non videntur, « nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet » et publico scandalo *prius* satis fecerint (*Pastor. Mechl.* de sacr. » Euch.). » Quia, (quod in laudatis actis ac decretis, pro applicatione hujus regulæ Pastoralis nostri requiritur), « eorum peccatum ita certum et ita publicum est; ut nulla probabili ratione » in dubium vocari aut excusari, nec ulla tergiversatione celari » possit. » Hæc tamen non nimia severitate applicanda iis; qui non ex professo mala scripta divendunt, sed per accidens aliquod opus minus probatum distrahunt.

325 Ne vero gravius, quam par est, doctrinæ ejusmodi in sacro pœnitentiæ tribunali sequelas apprehendamus; continuo ante oculos habendum aureum illud principium : seposita gravioris lapsus occasione, pro dubio mortali, non denegandam esse absolutionem; ne deinceps pœnitentes certo peccent formaliter cum conscientia de mortali; et neglectis sacramentis, vel in vita obduratorum desperabundi ad mortem usque devient; vel etiam in practicum indifferentismum labantur; esto interim ex nostra agendi ratione; vel etiam occasione expressæ, ne turbetur bona eorum fides, declarationis, de non deneganda, propter illam lectionem, absolutione, jam pergant materialiter peccare; modo absit perversionis periculum saltem proximum. Cfr quæ dicta fuere supra n. 305 [1].

Neque existimo, reponi posse, quod effectus malus mihi, sic agenti aut declaranti, sit imputandus; adeoque respectu mei formaliter sit malus; dum non sequitur nisi mediante errore pœnitentis. Nec quidquam facit, quod ego errorem illius, quasi medium intendere videar. Enimvero solummodo salutem ejus propositam mihi habeo et hunc in finem præservationem ejusdem a mortali; quem gravissimi momenti effectum ut obtineam, permitto peccatum ejus materiale, eique materialiter cooperor : quemadmodum alias sæpius ad obtinendum finem bonum, licite præbetur materia aut concursus quiscumque materialis ad effectum malum.

Ingens est, quod casum hunc inter et illum, de quo, sect. III, agebamus, intercedit discrimen : hic permittitur materialis transgressio; ut caveatur damnum gravissimum pœnitentis, vel etiam ut eo certius obtineatur post tempus ejusdem legis finis et obser-

[1] Cfr. Theol. s. Alphonsi. l. III. n. 310. v. *Ad hoc* et *Praxim conff.* n. 114.

vantia : illic vero agitur de indulgenda re periculi plena; qua concessa, aperitur perdendi fidem aut morum integritatem occasio.

526 In primis autem, ob bonæ fidei excusationem, in tribunali pœnitentiæ, *passim dissimulari posse videtur* cum illis, qui etiam indies legunt, et pecunia sustentant scriptum periodicum, non ita perversum; ut ex odio religionis vel de industria ad impugnandam religionem bonosque mores editum appareat. Item cum illis, qui aliquando, occasione data, legunt diarium etiam perversissimum; putantes, (licet non sine aliqua temeritate) se satis probos doctosque, ut ejusmodi cavillis resistant. Ratio est; quod maturius hodie, excultis a puero litteris, passim sit judicium, majorque habeatur seculi usus, ita ut non tam facile dicendum sit, proximum esse fidei amittendæ periculum; et quod non tam graviter apprehendant periculum, quod subeunt, uti nec concursum materialem, plus minus remotum, ad spirituale damnum communitatis.

Facilius autem datur periculum proximum, si scriptum sit valde turpe, signanter pro fragilibus.

Hac via excusari possunt viri pii, qui nunc quoque, sine scrupulo, similia scripta identidem legunt. Interim prudenter et oportune hic consulendum bono publico, paullatim submovendo illum concursum materialem, et ipsum, quod passim inscio legentes subeunt, periculum, materiales saltem imbibendi errores; qui, si non contra religionem animos obfirmant; saltem, ut jam passim videre est, a genuino religionis spiritu plus minus abducunt.

Quod si cujuspiam aut religionis aut morum integritas in discrimen adduceretur; omnino eidem inculcandum foret, quo stringitur, ipsius legis naturalis præceptum.

Quoad retinentes vero, saltem ob bonam fidem, excusantur quicumque retinent ejusmodi scripta, etiam magis perversa, in ordine ad distractionem aut usum quemcumque, quo a legentium removentur commercio.

Dixi : *passim dissimulari potest.* Cum enim prudenter præscribi et obtineri potest, quod leges exigunt; culpa non careret, qui conscius negligeret.

527 Quæritur autem, an etiam cum illis qui perversorum hujuscemodi scriptorum sustentatione, aut quotidiana lectione delinquunt, in sacro tribunali dissimulari aliquantisper possit; et nominatim, cum tabernariis, patribus-familias aliisque, qui prolibus, aliisve personis illa promiscue permittunt; si bona fide agere videantur?

R. Cum illis qui scandalum activum et formale aliis præbent, sive publicum illud sit, sive privatum ad suam cujusque familiam

tantum se extendens, dissimulari posse non videtur; nisi ad breve tempus, sub hisce duabus conditionibus : ut, scilicet, nunc sine fructu facienda foret monitio, et brevi prævideatur facienda cum successu; quia tunc et scandalizantis interest et scandalizati ut aliquantisper differatur monitio. Raro autem dissimulari potest; tum quia hic non tam facile admittenda bona fides (facilius tamen in caupone, quam in patre-familias); tum quia salus scandalum patientis exigit; ut confessarius pœnitentem, si qua ratione moveri possit, potenter absterreat ab eo, quod præbet, scandalo.

Cum aliis vero qui indies ipsi legunt; aut pretium solvendo sustentant auctores, dissimulari quidem, sed ad tempus, potest; si sic probabilior habeatur spes fructus; quemadmodum et medici ebriosis inveteratis, ægrotantibus, non illico lethiferum inhibent potum; sed paullatim dispositis, subtrahunt. Periculum personale in simili lectione non est semper æque grave; præsertim si non continuo idem, illudque solum, nullo refutante aut contradicente, perversum scriptum legant : concursus vero materialis, etsi etiam gravis, non semper talis apprehenditur : et potest ad tempus a confessario negligi propter bonum spirituale pœnitentium. Aliter autem statuendum foret si ex tolerata ad tempus lectione magis pervertendi prævideantur, nec postea rationibus convincendi, ut ad saniorem frugem redeant. Ceterum memores simus illius, quod ait s. Bern. serm. 2, in festum s. Mich. « Nemini blanditur veritas, » neminem palpat, nullum seducit, aperte denuntians, quoniam væ » homini illi, per quem scandalum venit. »

328 Dissimulandum tamen fere semper est cum uxore, et prolibus ; qui corporalem concursum præbent; quin immo concursus illis expresse sæpe est indulgendus aut etiam imponendus; quod graves molestiæ familiarumque turbæ secus oriundæ ipsis licitum eumdem faciant, et nonnumquam etiam præceptum ; esto certæ sint de abusu rei, in se non malæ, cui cooperantur.

Famulos et operarios eædem sæpe rationes excusabunt; sed hi poterunt quandoque in bonum suum, non minus temporale quam spirituale, alios, quibus serviant, invenire dominos.

Ex his vero adnotationibus disjudicari, pro circumstantiis, debet; an, tacente pœnitente, quem confessarius vetitis scriptis irretitum merito suspicatur, ipse etiam confessarius tacere possit, aut forte etiam debeat; an contra in pœnitentis aut aliorum gratiam, interrogare debeat de iis, quæ terit aut promovet, scriptis.

§ v.

Quæstiones quædam generales.

Remanent dissolvendæ quæstiones quædam generales, quæ ad nullam præcedentium sectionum speciatim pertinent : et quidem

329 Petitur 1; sintne libri, præfatis prohibitionibus pœnisque exempti; si edantur a catholicis, vel etiam a catholicis novo induantur idiomate vel adnotationibus illustrentur?

R. generatim loquendo negative. Ratio est; quod in nulla lege talis statuatur exceptio : quin contra profitetur Clem. VIII, in *Instr. de prohib. libr.* § VI, libros, a s. Sede prohibitos, in quamcumque postea vertantur linguam, sine ulla inter translatores catholicos et acatholicos distinctione, censendos esse ubique gentium prohibitos; regulæ quoque Tridentinæ in particulari determinant casus, in quibus libri, ceteroquin damnati, permitti, sed a legitima tantum auctoritate, possint. Unde et supra (n. 281) ex præfatione Ricchinii, v. *quibus autem libris,* monuimus vel ipsos, qui non tam absolute, quam ad tempus correctionis adhibitæ, sub clausula, *donec corrigantur,* prohibiti sunt, libros a nemine privato emendari posse.

330 Dicendum est itaque : 1° Privatos non posse, suo nomine, libros ullos vetitos reconciliare.

2° Posse inquisitores generales, et Episcopos *quoscumque libros, juxta præscriptum hujus indicis* (Clementini seu Tridentini a Clem. VIII adaucti) expurgare, ut ait Clem. VIII (in *Instr. de corr. libr.* § I); atque adeo posse Episcopos et inquisitores, ex mandato tum regulæ 2^dæ^, 3^iæ^, 5^æ^ et 8^æ^ Trid^narum^; tum ex mandato Clem. VIII quamplurimos recensere; et recensitos permittere libros, ceteroquin damnatos.

3° Non tamen, jure communi, libros ullos hæresiarcharum, aut illos hæreticorum qui de religione ex professo tractant; quum hi omnes regula 2^da^ dicantur *omnino prohiberi;* ita ut correctionem juxta indicem Trid. non patiantur; Clemens vero VIII tantum mittit Episcopos et inquisitores purgare libros juxta præscriptum indicis.

4° Episcopis tamen competit, judicare, quos libros a jure communi usus patriæ et consuetudo forte exceperit.

331 Quare 1° si præfatæ, de quibus quæritur, librorum vetitorum editiones, versionesque cum legitimæ auctoritatis prodierint approbatione, privati illi auctorum catholicorum labores censebun-

tur, mandato Episcopi præstiti; et adeo libri ipsi, si non per usum communem, saltem per legitimam expurgationem, aut dispensationem concessi : qua ratione recentius opera quædam de religione conscripta a cl. Cobbett, Voigt, Hurter [1]... typis catholicis, approbantibus Episcopis, prodiisse videmus.

Hic vero magnum ponendum discrimen inter varias Episcoporum censuras : cum enim librum quempiam, ab omni prohibitione immunem, ipsi probant (potius permittunt) aut librum, qui ipsis examinandus purgandusque committitur indulgent hujusmodi sententia, etiam extra diœcesim Episcopi approbantis, vim habet; nisi Episcopus loci contradiceret: cum vero librum absolute prohibitum, ipsi concedunt vi quinquennalium, aut alterius specialis potestatis; cum vera adsit dispensatio, ad Episcopi dispensantis subditos restricta intelligitur.

Si 2° nulla accesserit superiorum censura; ex dictis supra (n. 281) videtur quidem aliquando cessare pœna censuræ; si auctor catholicus opus ita reformet, ut sub bullam cœnæ, aut regulam 10ᵃᵐ.... jam non cadat; non tamen omnis auferri prohibitio.

332 Obstat quidem responsis auctoritas p. Lacroix [2] dicentis : « Putarem tamen, si liber hæretici, tractans de religione, submit-» teretur censuræ approbatorum catholicorum, qui judicarent uti-» lem fore, vel ad ecclesiæ catholicæ veritatem agnoscendam; vel » ad confutanda aliorum hæreticorum dogmata; non reprobandum » ab ecclesia.» Sed hæc est opinio particularis doctoris; nulli, quod appareat, nixa solido fundamento : est enim liber ille jam damnatus ipsis regulis, nominatim 2ᵈᵃ Tridⁿᵃ, quæ hisce verbis absolute pronuntiat : « Hæreticorum libri, qui de religione quidem ex pro-» fesso tractant, omnino damnantur. » Qua ratione igitur causetur quis, eum non fore reprobandum ab ecclesia?

Neque ullatenus absonum est; quod liber legitime prohibitus, v. g. ob suspicionem falsi dogmatis, vel in odium auctoris, postea innoxius reperiatur, et tamen maneat damnatus : cum enim justa de suspicione ab ecclesia damnatus sit; merito manet prohibitus, donec ejusmodi sententia legitime revocetur.

Quod si supponatur reipublicæ multum interesse, ut similis tollatur inhibitio; Episcoporum aut inquisitorum erit id postulare; nec dubium, quin obtineatur.

[1] Antequam, scil. ad religionem catholicam esset conversus cl. vir : exinde opera ejus a legitima auctoritate recenseri et permitti potuere ex regula indicis secunda. V. supra, n. 277.

[2] L. VII. n. 331.

Aliquale assertioni suæ subsidium quærit Lacroix; cum ait : « Ita videmus plures hujusmodi libros, in Gallia et Belgio, obste- » tricantibus doctissimis viris catholicis, prodiisse. » Quibus verbis assertionem suam, ad *approbatores catholicos* restrictam, ad quoscumque, religione et doctrina, claros viros extendere videtur. Verum nihil adducit laudatus theologus, quo constet, quod usus ille satis fuerit receptus in Belgio. Perfacile illi fuit eumdem in peregrina regione ex vago quodam rumore, quemadmodum et supra n. 308 in casu fere simili vidimus, adstruere. Quapropter quamvis id subinde factum fuisse noverim; putem tamen hunc usum generatim non probari et omnino insufficientem esse; ut suspendere valeat legem certam : non enim ob facta particularia leges cessare censendæ sunt. Hoc si admittatur, non solum regulæ indicis, et bulla cœnæ, sed et alia quæcumque, circa pravos libros, statuta brevi erunt sublata; nec ullis populi repagulis a pravorum librorum lectione arceri poterunt.

Auctor criseos cujusdam *cursus completi script. s.*, insertæ collectaneis, *Journal hist.*, t. x, p. 348, asseverat quidem : « Des théolo- » giens de grande autorité, croyent que ces livres cessent d'être » défendus, lorsque purifiés d'un petit nombre d'erreurs, qu'ils » contenoient, ils sont publiés par des écrivains catholiques, qui » se soumettent à l'approbation ecclésiastique telle qu'elle est » reçue dans leurs pays. » Quæ ex bona, procul dubio, intentione, dilatandi, scilicet, atque excitandi studium scientiarum sacrarum scripta sunt : quærit, nempe, auctor a prohibitione bullæ cœnæ atque regulæ 2 indicis excipere emptionem, lectionem..... operum hæreticorum, quæ cursui completo scripturæ s. fuerant inserta.

Verum levi admodum hæc superstructa videntur fundamento. Efficacius utique egisset auctor, citando, quibus niti profitetur, graves theologos. Speciosam auctoritatis appellationem fulciri autumat solo, quod citat, nomine p. Lacroix; quem unum, inter omnes auctores, quorum pervolvi scripta, hoc docere memini : hujus autem theologi, quæ sint argumenta, jam vidimus. Addit quidem auctor, s. Alphonsum vix obstare; quia, quasi opinans tantum, contrariam amplectitur sententiam [1]. Sed quid inde? Mira sane arguendi ratio : s. Alphonsus vix obstat : ergo....! Verum si opinioni p. Lacroix parum tantum adversetur auctoritas s. Alphonsi; qui tamen non putandus est gratis amplexus fuisse distinctionem Sporer; multum illi obstat lex ita clara; ut non videatur

[1] Cfr *theol.* s. Alph. l. vii, n. 283.

posse ulla alia sententia sustinere. « Hæresin continentes vel de » religione tractantes » ait bulla cœnæ. « Hæreticorum libri, ait » reg. 2ª, qui de religione ex professo tractant, *omnino* damnantur; » qui vero de religione non tractant, jussu Episcoporum examinati » et approbati permittuntur. » Potestne clarius, ipso jure exprimi; libros hæreticorum, etsi hæreses non contineant, omnino tamen prohiberi, si de religione tractent; nec ab ipsis Episcopis, et multo minus a privatis quibusque conciliari posse?

Confugit etiam auctor, post p. Lacroix, ad consuetudinem Galliæ et Belgii; eamque stabilit allatis quatuor exemplis librorum hæreticorum, a catholicis, nemine reclamante, editorum. Verum tametsi forte post tempus, propter usum publicum, similia opera a lege excipi possent, juxta quæ dicuntur, n. 280; ista particularium facta generatim non improbant jus. An autem, nemine reclamante, prodierint dicta opera, ignoratur. Contra editionem cursuum completorum nemo, quod sciam, reclamavit litteris, publice datis; certum est tamen; non unum virum timoratum ab eorumdem coemptione lege retineri. Silentium etsi certum esset, nihil probaret; utpote quod forte imposuere commoda, per accidens, ex simili editione oriunda vel aliæ speciales rerum circumstantiæ. Actum est de omnibus pene ecclesiæ legibus; si pauca quædam facta illas valeant abrogare. (De usu Galliarum diximus supra n. 271.)

Varia insuper præfatæ criseos auctor, sententiam suam evolvens, gratis supponit; quæ tamen parum sunt verisimilia; aut veritati parum videntur consona. Ponit libros, sic editos, a viris catholicis purgari. Verum cum ecclesia purgationem ejusmodi ne ipsis quidem Episcopis credat, quis purgationis privatæ se vadem consignet? Et ne a suscepto auctoris themate abludamus, quis in se suscepisse professus est expurgationem operum prohibitorum, quæ *Cursibus compl.* [1] fuerunt inserta?

Aliam conditionem requirit et in editione Cursuum adimpletam supponit auctor : nempe, ut editores observent leges censuræ (approbatio audit) ecclesiasticæ, qualis in eorum regione exercetur. Et sane si ea consuetudo sit legitima; causa finita est; nihil dico amplius. Verum et isthæc consuetudo, sicuti et ipsa, quæ pro speciali Episcopi potestate, in gratiam diœcesanorum accessisset licentia seu dispensatio, nihil quidpiam operatur in aliis regionibus. Aliter

[1] Dico : *Cursibus compl.* quod enim de cursu script. s. jam monebamus idem quoque dicendum venit de cursu theol. cujus tomo VIII inseruntur opuscula Leibnitzii de ss. Trinitate.

utique statuendum esset; si Episcopus, per legitimam operis discussionem et expurgationem, ipsum prohibitioni subtraheret. v. supra n. 331.

Quod vero superaddit, auctores hæreticos, quorum opera cursui scripturæ inserta leguntur, Sherlock et Jacquelot (ille exhibet prophetias promissum olim Liberatorem concernentes, ad unam omnes, in Christo Jesu adimpletas; iste easdem contra incredulos vindicat) non agere ex professo de doctrina religionis nostræ, sed de parte, ut ait, magis materiali interpretationis biblicæ; auctoris assertio est; quam, puto, admiserit nullus; qui attenderit quam in religione præcipuum sit mysterium missionis Messianicæ Jesu Christi : si enim vel una prophetia, Messiam concernens, in Christo non est impleta, vana est fides nostra. Prophetiæ Messianicæ earumque in Christo Jesu adimpletionis probatio, fundamenta totius religionis nostræ, sint pars materialis et prorsus secundaria christianismi! Talia clare exposuisse, refutasse est.

333 2. Quæri hic potest; liceatne, obtenta legitime alicujus operis censura, eamdem apponere ejusdem operis versioni et vicissim?

R. ad quæstionem, quæ nullibi, quod recorder, facta fuit obvia, dicendum puto : id non esse illicitum saltem, si in eadem diœcesi fiat impressio, et versio ejusmodi cum opere fideliter concordet: nullibi namque id prohibetur. Ea tamen adhibenda cautela videtur; qua prospiciatur; ne lapsus translatoris nomine censoris commendari, aut censor ob errorem translatoris in crimen vocari valeat. Quapropter ita oportet censoris exhibere sententiam; ut an versioni, an textui originali concessa fuerit, appareat.

Atque idem etiam convenienter sevaretur; ubi ex majori opere approbato partes quædam detractæ, sine nova censura eduntur.

334 Q. 3. Quid si liber in alia diœcesi approbatus sit; debetne iterum ab Episcopo loci approbari, priusquam denuo in lucem edatur?

R. De rigore juris, cum, ex reg. 10ª indicis et ex Lat. V, requiratur approbatio Episcopi loci, in quo fit impressio, id necessarium videtur.

Hoc etiam suadet ratio legis; cum alias fraudes præcaveri haud possint, et facile typographi nomine peregrini Episcopi abuti possent, illud vel falso apponendo, vel saltem, opere corrupto, conservando. Doctrinæ adstipulatur praxis multorum; qui, pro novis editionibus, novas continuo ab ordinariis locorum exposcere et obtinere solent approbationes.

335 Q. 4. Quid speciatim notandum quoad licentiam impri-

mendi scripturam s., missale, breviarium Rom.....; quid item quoad illicite impressorum usum?

R. I. Scripturam latinam vulgatam, sub gravissimis pœnis, aliter quam juxta exemplar Vaticanum [1], ab ipso correctum atque probatum, imprimere, vendere aut evulgare prohibuit Clem. VIII [2], *ut in posterum*, ait, *idem textus incorruptus conservetur.*

Non tamen videtur sufficere, sequi quamlibet Vaticanam Clem. VIII editionem, annorum 1592, aut 1593 vel etiam 1598; quæ omnes, eodem præfixo decreto, prodiere; sed oportet insuper, ad perfectiorem mendorum expurgationem, adhibere tres indices correctorios; qui paullo post, eodem Pontifice vidente, et annuente, editioni an. 1598 præfixi sunt; juxta methodum, quam tradit Hermannus Janssens in libro : *Prodromus sacer.* (conatu 1, c. 1, paragr. 9) cujus summa hæc est; ut in dubia lectione figenda, primum indices correctorii locum habeant : secundum ipsæ editiones Clementinæ sive singulæ sive præsertim simul collatæ. Quæ si discordent; silentibus indicibus, quod rectius visum, eligere fas est.

336 R. II. Breviaria etiam, sub excommunicatione sententiæ latæ, idem Clem. P. VIII [3], imprimere vetuit; nisi juxta exemplar Vaticanum, et de expressa licentia ordinarii; qui de collatione tam ante, quam post impressionem facta, apographi imprimendi et impressi cum exemplari Romano et de perfecta eorumdem conformitate testetur, nec minimum quid addi vel detrahi permittat; si secus fecerit, gravissimas ipse pœnas incursurus : aliter vero impressorum usu, sub eisdem pœnis, interdixit. Quo ipso tamen, si verborum rigori insistendum est, nuda eorumdem retentio, jure positivo, prohibita censeri nequit.

Conformitas præfata non materialis videtur requiri, et, ut aiunt, ad litteram; sed quoad substantiam; atque adeo quoad preces, et rebricarum sensum. Ceterum vix duo repereris breviaria, in omnibus penitus sibi conformia : alia enim continua serie exhibent plures lectiones, psalmos, capitula, antiphonas..... alia vero compendii gratia illa loco movent, et alibi reperienda indicant;

[1] Non videtur hic aut in seqq. rigorose insistendum requisito exemplaris *vaticani*, nisi pro primis scripturæ, breviarii et missalis emendatorum editionibus; cum et ipsa indicis congregatio, pro missalium correctione, quæ pariter, ut juxta exemplar vaticanum fieret, præscripserat s. Pius V. solum exigeret, emendari « ad præscriptum exemplaris, sub Pio V, primo editi, » aut ad ejus normam incorrupte atque exacte impressi. » (Ita s. congr. ind. decretum, diei 1 febr. 1601, apud Sotomajor, p. 193.)

[2] Const. *Cum sacrorum bibliorum*, passim Bibliis prævia.

[3] Bulla : *Cum in ecclesia.*

aut certas partes, ad utentium commodum, transpositas exhibent; quibus, quanta in rubricarum verbis inducatur mutatio, nemo non videt. Neque alius ab initio videtur fuisse legis sensus : secus enim, edito novo, pro universa ecclesia, officio, ne posset quidem Episcopus permittere, ut illud in recenti, quam approbare rogatur, breviarii editione, suo ordine inseratur; deberetque illud ad calcem rejici; donec Romæ novum cudatur breviarium. Id quod a mente legislatoris prorsus alienum est.

Interim tametsi non illicitum videatur ordinem breviarii aut missalis eorumque rubricas, minus principales, seu potius rubricarum generalium applicationes, commodi vel claritatis ergo, immutare; numquam tamen videntur mutandæ ipsæ rubricæ; ne quis, volendo verba mutare, etiam sensum inattentus vitiet.

337 R. III. Anno 1631 Urbanus VIII, edito novo eoque emendato breviario, præfatam legem renovavit, unaque adjunxit : « Easdem conditiones servandas in impressione eorum, quæ a » breviario Romano ortum habent; cujusmodi sunt missalia, diur» nalia, officia parva B. M. V., officia majoris hebdomadæ et alia » id genus [1]. »

338 R. IV. Quoad missalia, s. Pius V. sub pœna excommunicationis sententiæ latæ, typographis mandavit; non imprimere, nisi juxta exemplar de cujus collatione et perfecta conformitate, cum exemplari suo, legitima attestatione constaret [2]. Urbanus vero VIII, sub gravissimis in inquisitores, locorum ordinarios eorumque vicarios, pœnis, anno 1634, bulla, *Si quid est,* quæ, in fronte missalium conspicua legitur, inhibuit; nisi impletis ad amussim præfatis præscriptionibus, missalis imprimendi licentiam concedere, et missalium citra licentiam impressorum usu, sub pœna excommunicationis sententiæ latæ, omnibus interdixit.

339 Cum interim, pluribus locis, præfatæ conditiones in imprimendis missalibus, breviariis,..... negligi soleant; juverit scire; quæ desuper recentius, a s. rituum congregatione, emanaverint responsa. Anno 1832 s. congregatio consulta, pro tranquillitate conscientiæ eorum, qui breviaria, horas diurnas, missalia, officia parva B. M. V. et officia hebdomadæ maj., præfatis conditionibus, ex consuetudine diœcesis Novariensis, neglectis, edita venderent, eorumque, qui iisdem uterentur, 7ª apr. respondit : « Pontificias

[1] Ita in prolegomenis breviarii, ex bulla, *Divinam psalmodiam:* qua isthæc omnia, sicut et ipsa breviaria, sine debita licentia impressa simpliciter prohiberi declarantur; nullatamen pœna adjecta.

[2] Bulla, *quo primum.*

» constitutiones in suo robore permanere et abusum non esse » tolerandum [1]. »

Anno insequenti, in causa Namurcensi eidem s. congregationi propositum fuit sequens dubium : liceatne *in Belgio, aliisque regionibus ubi decretum Trid. et supramemoratæ constitutiones apost. communiter servantur* [2], *emere, penes se retinere missalia, breviaria* libros-que liturgicos, in aliis regionibus in quibus istæ leges servari non solent, iis neglectis, impressa, *iisque uti?* Responsum fuit 16 mart. 1833. « Non licere nisi servatis constitutionibus apostolicis. » [3]

Institere Novarienses apud s. congregationem; quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem librorum. Tum vero eadem s. congregatio decreto suo generali, 26 apr. 1834, indulsit locorum ordinariis; libros, sic editos, probare post factum; declaratione, scilicet, ad clerum facta, de reperta talis editionis cum exemplari vaticano, concordantia [4].

Ubi vero similes usus, legibus ecclesiasticis minus conformes, locorum ordinariis noti vigent; laudabiliter privati constitutionibus apostolicis se conformant : non est tamen, cur quis anxius se turbet, ut eas etiam importune observet. Enim vero cum leges sint datæ in regulam communitatis; non videtur legislator summo jure exigere; ut particularis, penes quem non stetit, ut lex communiter servaretur, eam solus nec sine molestiis servet [5]. Episcopi autem neque ipsi obligantur simul et semel, cum

[1] Apud Gardellinum, *Decreta authent. congregationis ss. rituum*, n. 4541.

[2] Prodiit quidem an. 1746 typis Plantinianis officium hebdomadæ sanctæ censura ordinarii destitutum; passim tamen videmus leges, ab ecclesia præscriptas, in Belgio servari.

[3] Gardell. n. 4552.

[4] Ib. n. 4581.

[5] Ita statuendum omnino videtur de iis legibus mere positivis, quæ in plenam abiere desuetudinem, atque ideo a canonistis *sopitæ* dicuntur, cum proprie non sunt abrogatæ; vel quod tempus, ad legitimam consuetudinem requisitum, nondum sit elapsum, vel etiam quod, usu contrario ad corruptelas relegato, abrogari non possint. Illas enim excitare solius est, cum opportunum ei visum fuerit, auctoritatis publicæ. Interim vero *laudabilis, per se,* earumdem est observantia : nemo tamen rationabiliter a particularibus exegerit; ut soli, non sine molestiis, servent legem hujusmodi, ab omnibus palam neglectam. Neque alia voluntas censeri potest ecclesiæ; quæ benigna mater est; et turbationes odit et ab omnibus gradibus debitam servari cupit subordinationem. Dixi : *laudabilis per se.* Secus enim se res haberet; si ex hac observantia oriretur v. g. difformitas in officiis sacris, vel aliud quodcumque grave incommodum.

maximis incommodis ac perturbationibus, abrogare similes, quæ per temporum calamitates invaluere, consuetudines, legibus contrariæ. Neque una ipsis patet via, similes usus, qui in rigore juris, abusus videri possent, ab eo quod vitiosum habent, expurgandi; quin hoc publice denuncient.

340 Non tamen ex præcedentibus concludendum; prædicta Biblia, missalia, breviaria..... inter libros prohibitos esse recensenda : non enim periculo aut fidei aut morum, quod vix ullum erat, prospicere, præfatis sanctionibus, voluere Pontifices; sed consulere voluere urgenti, quam moliebantur, præfatorum librorum correctioni atque emendationi et officiorum ecclesiasticorum expetitæ uniformitati; quæ non sine gravissimis hujusmodi sanctionibus poterant obtineri.

Quapropter etiam obtenta licentia legendi quoscumque libros prohibitos, per se loquendo, non licebit uti breviario, missali..... præter regulas præscriptas impresso [1].

Aliter vero sentiendum est de quodam missali Gallico, quod Alexander P. VII [2], et de quocumque missali vernaculo, quod ill. Humb. Guil. a Precipiano [3], divinorum mysteriorum venerationi atque adeo ipsorum populorum religioni consulturi, proscripserunt [4].

Risu et contemptu potius, quam seria refutatione digna sunt; quæ adversum hanc missalis Gallici prohibitionem effutit Arnaldus in libro, *Difficultés prop. à M. Steyaert*, diff. 93me et 99me : quod, silicet, curia Romana, suis ad abjectionem usque assentiendo, condemnet, quæ, cum latine permitti possint, etiam vernacule traducta, veneno carere manifestum est. Si enim propter ipsam lectorum fragilitatem prohiberi libri possint ac debeant; pervium unicuique est, excepto forte Arnaldo, quod liber, in se bonus, periculosus esse possit, si in linguam vulgarem traducatur; talis utut passim non sit habendus, si eruditorum tantum legatur idiomate.

Præterea si quod latine verum est, et honestum, gallice non potest esse erroneum, aut scandalosum; certe quod gallice additur,

[1] Aliud forte dicendum de scriptura vulgata, cujus tantum vetatur impressio, venditio et evulgatio; non vero usus ejusdem jam acquisitæ. Cfr n. 335.

[2] Decreto 12 jan. 1661, quo, sub excommunicationis sententiæ latæ pœna missale illud, Gallice conscriptum aut quomodocumque conscribendum, imprimi, legi ac retineri vetatur. Ap. Cherubinum, constit. 109.

[3] *Synodicum Belg.* t. I, p. 571. In hac adeo lege, cum episcopalis sit; dispensare Episcopus potest; ejusdemque censura seu approbatio omnem prohibitionem positivam tolleret.

[4] Cfr. quæ supra dicta c. III. n. 120.

subtrahitur, aut mutatur potest in sanam doctrinam impingere : quo modo et, quod indicabam, missale Gallicum continebat « er- » rores contra sanam doctrinam de Christo, de Spiritu sancto, de » gratia et libero arbitrio, de sacramentis, præsertim baptismi et » pœnitentiæ..... » Ita sententia Sorbonica ap. Zacc. l. 2, diss. III, p. 2, c. 2, n. 5.

Si vero justa prohibitionis adest causa; quid culpandum quærit Arnaldus, quod eam Card. Mazzarinus, aut alii demum quivis postularint, et rogata justis detulerit votis Roma?

Corruit pariter ex dictis, id, quod aiebat Erasmus; indecorum et ridiculum esse, « Quod idiotæ et mulierculæ, psittaci exemplo, » psalmos suos et precationem dominicam immurmurent; quum » ipsi quod sonant, non intelligunt » quæ ipsa est propositio 5ª, inter notatas in Erasmo, a s. Facultate Paris., 16 Dec. 1527. Nec minus concidit quod dicatur « Usus contrarius praxi apostolicæ » et intentioni Dei, eripere simplici populo hoc solatium, jungendi » vocem suam voci totius ecclesiæ » ut ferebat propositio 86ª inter Quesnellianas : quæ insuper propositiones merito notatæ fuere; quia recte tendunt ad suadendam divinorum mysteriorum celebrationem, sacramentorum administrationem, officiorumque ecclesiasticorum persolutionem idiomatis, plebi vulgaribus; quod ipsum ecclesia (Trid. sess. XXII, can 9) tum ad obsistendum ingruenti rerum novandarum spiritui; tum ad consulendum majestati cultus sacri, qui vulgatis sanctis libris, nimia familiaritate, vilesceret, prohibendum censuit. (Hanc disciplinam vindicatam vide apud auctores apologeticos.)

Magis insulsa sunt, quæ profert Dupin; quum ait (*Diss. prélim. sur la Bible,* ed. Amster., 1701, p. 260) : concilium Trid. numquam prohibitam voluisse lectionem missalis, lingua vulgari. Nullus enim est, qui id asserat : hoc solum, nempe, contendimus; quod concilium prohibens sacra religionis mysteria, linguis modernis, celebrari, simulque pastoribus injungens frequentem missæ explanationem, innuat; sufficientem hanc fore populo docendo cautelum; huic adeo dispositioni ne minimum quidem opponi, sed undequaque convenire prohibitionem, quæ serius oportuna ac necessaria visa fuit Alexandro, Papæ VII.

341 Q. 5. Quid si censura merito supponatur injusta, qualem, a congregationibus Romanis emanare posse, admittit cl. Zaccaria [1]?

R. in hoc iniquo et, quemadmodum nos docet experientia, me-

[1] In append. § 2, n. 3.

taphysico Arnaldi [1] supposito, recursum institui posse ad auctoritatem superiorem; quin et ad ipsum s. Pontificem, si a s. congregatione emanasset error. Licet vero interim non teneretur quis, cum errante, errare; tamen nemini liceret, de legitimo superiore sibi judicium sumere: contrarium namque in quovis rerum ordine stabilire, foret ipsum prorsus ordinem subvertere. Quare et contra Arnaldum [2] statuendum est; eum, qui similem librum legeret, fore peccaturum; et quidem sæpius etiam graviter, pro eo, qui in legislatorem adesset, comtemptu, vel gravi, quæ committeretur, temeritate; ex qua fit, ut nemo ullus sit hæreticus; cui non suæ ratiunculæ apparcant evidentes, cuique ipsa ecclesia, quocumque demum modo errores ejus condemnans, errori aut deceptioni patere non videatur.

Ceterum quod generatim in omni legitimæ auctoritatis statuto, etiam hic omnino tenendum est : præsumi, scilicet, legis justitiam; atque adeo etiam in dubio favendum esse legi, donec certo injusta probetur.

Prætextus ergo hominum, in ecclesiam rebellium proferunt, qui obedientiam detrectant, causati, nullam esse justæ prohibitionis causam; talem librum nulla ratione noxium esse et similia : enimvero ignorantiam isthæc eorum probant; neutiquam vero injustam esse, quæ lata fuit, sententiam.

542 Q. 5. Quid notandum venit de ea, quam ecclesia consuevit concedere, libros prohibitos legendi licentia?

R. Imprimis, quod in librorum prohibitione naturalis aut divini est juris numquam ecclesia dissolvit [3]; sed quod salubriter, pro

[1] Quæstione 1ª inter difficultates propositas *domino Steyaert*, parte quinta. Cum nempe Mart. Steyaert, in l. cui titulus : *Novitas repressa*, valide vindicasset decretum Al. VIII contra 31 propositiones, in Belgio disseminatas; Ant. Arnaldus edidit adversus Steyaertium opus inscriptum : *Difficultés proposées à M. Steyaert, en 9 parties*; cui operi Steyaertius, nimium undique impetitus, negotiis obrutus et fractus viribus, ipse respondisse non videtur; ut suademur, opusculorum ejus t. II, p. 203; ubi præfatæ Arnaldi lucubrationi unice opponere profitetur, quam una cum aliis viris, communi consensu, confecerat, epistolam.

[2] L. c. q. 3.

[3] Cfr quæ supra, § III, ex s. Alphonso, Sylvio... delibavimus. Atque hæc eadem ratio est, ob quam numquam ecclesia concedit licentiam legendi libros, *ex professo obscœnos*. (*Cette permission ne peut s'accorder.... pour des ouvrages obscènes, écrits uniquement en vue d'enflammer les mauvaises passions.* Instr. past. de 1843, § VI. n. 4.) Quippe quod ipsum natura vetat; nec nisi ex justa, pro periculo vel remoto vel materiali, causa v. g. censori per-

communi periculo, ipsa constituit; non minus provide in gratiam aliquorum, non sine communi etiam omnium utilitate relaxat; quo conspicui, doctrina et sanctitate, viri, quæcumque eduntur, scripta perlustrent; et quæ in fidei morumque detrimentum sunt edita perstringant atque confutent; quæ vero periculosis libris bona atque utilia inserta sunt, in aliorum gratiam ad puriores, qui omnibus pateant, fontes deriventur.

In licentiis autem hujusmodi largiendis, contracto satis fræno semper usa fuit ecclesia; ita quidem, ut vi disciplinæ illius, etiamnum perdurantis, ipsi Episcopi non nisi per speciale privilegium libros prohibitos legere valeant [1]. Quin immo, quum, post inventam perfectamque artem typographicam, ab hoc rigore paullisper cepit recedere; plus vice simplici propter funestos exitus, ad priscam severitatem redire compulsa fuit (v. supra n. 10, ubi plures citantur Pontifices, qui concessas, a sancta Sede, licentias revocandas duxerunt).

Nunc vero, quum jam adeo multiplicata sunt, et indies adeo multiplicantur omnis generis scripta, plerumque plus minus infecta; ut plures, sine detrimento iis abstinere non possent; utque boni communis intersit, per omnem ecclesiam disseminatos reperiri pios doctosque viros, qui, hostilium technarum probe gnari, eas, qua voce, qua scriptis efficaciter et prompte expugnent; facile et leviori bus etiam de causis, similes licentias concedi conspicimus. Nec tamen eas obtinendi facilitas, multiplicem prohibitionum utilitatem tollit : ipsa enim petendi necessitas ad se quemque revocat, et fragilitatis suæ memorem judiciis ecclesiæ continuo docet obnoxium : periculosæ, qua gradiendum est, viæ reddit intentum, et quo fine, quibusque adhibitis cautelis, obtenta utendum sit licentia, monet.

Hasce cautelas prudens parochus aut confessarius pro loco et tempore licentiam obtinentibus inculcabit, juxta monitum ill. Episcopi Gandavensis, in suis, ad pastores diœceseos litteris, datis 4 sept. 1843. « Dum laicis, ait ib. ill. Præsul, conceditur licentia » legendi libros prohibitos, additur in ipso concessionis tenore; » illos licentia uti non posse, nisi de consilio confessarii. Erit itaque » prudentis confessarii perspicere, quid concedi possit; et quæ » monita requirantur ne pœnitens ex nostra licentia malum pa» tiatur. »

mitti potest. Quo modo et libros antiquos, ab ethnicis conscriptos, licet obscœnos, ob sermonis elegantiam adultis non prohibet regula indicis septima.

[1] Reiffenstuel, in l. v, decrett. tit. vii, n. 128; Herinckx, t. III, disp. ix. n. 80; s. Alph. *de cens.* n. 99.

343 Porro licentia hæc personalis est, adeoque personam legentis quocumque comitatur; ita, ut, vi licentiæ, Roma obtentæ, nec minus, ut videtur, si ab Episcopo, vi quinquennalium, sine restrictione, concedatur, libros, Romæ prohibitos, ubique legere concessum intelligatur. Verum subinde hic quoque sui licentiæ apponuntur limites; ut in formula concessionis in archidiœcesi Mechl. usurpari solita, in qua legitur « ita tamen ut libri ex nostra diœcesi » non efferantur. »

Interim indultum Romanum, nisi ex terminis rescripti, contrarium pateat, afficere non videtur [1], rescriptum vero episcopale, per se loquendo, afficere non potest, aliorum locorum prohibitiones particulares, quæ strictius ordinarii loci judicio reservantur.

344 Q. 6. Quid in rescriptis, quibus licentia conceditur legendi libros prohibitos, intelligi debeat per voces, *ex professo*, quibus ordinarie licentia restricta conspicitur, in hanc vel similem formam : *exceptis iis, qui ex professo religionem catholicam impugnant :* vel quemadmodum hodie in formula, Gandavi usurpata, legitur : *exceptis de obscœnis et contra religionem ex professo tractantibus?*

R. Sensus horum verborum numquam authentice fuit determinatus : videtur autem hæc restrictionis expressio manasse ex ipsis legibus, in quibus iidem termini occurrunt. Porro occurrunt hæc verba 1° in regula ind. 2^da^. « Hæreticorum libri, qui de religione » quidem ex professo tractant, omnino damnantur; qui vero de re» ligione non tractant... »

Cum qua legis dispositione coincidere videtur ea, quam auctores tradunt, explicatio bullæ cœnæ, cum (supra, n. 282) dicunt in sensu bullæ cœnæ de religione tractare eos libros; qui, etsi non principaliter, ita tamen notabiliter de religione tractant, ut ex professo, seu instituto de illa disserere dici debeant.

Leguntur ea verba 2° in reg. 7^a^ « libri, qui res lascivas seu ob» scœnas ex professo tractant, narrant aut docent..... omnino pro» hibentur..... Antiqui vero ab ethnicis conscripti propter sermonis » elegantiam et proprietatem permittuntur : nulla tamen ratione » pueris prælegendi erunt. »

Posteriorem hunc locum vertunt ill. Belgii Episcopi, Gallice per, *formellement* et Flandrice per, *uytdrukkelyk* [2]. Notat vero

[1] Papa enim, generatim loquendo, censendus est rogari et concedere relaxationem legum pontificiarum tantum; ne judiciorum ordo turbetur : nec videntur ullo jure leges Episcoporum suspendi in omnibus iis casibus, in quibus similes leges pontificiæ auctoritate supremi legislatoris suspenduntur.

[2] In *Instr. past.* 1843, § 2.

s. Alphonsus[1] hac regula 7ª, qua positiva est, non stringi universe malos Romanenses, esto etiam jure naturali vitandos; quia tantum damnantur, qui *ex professo,* res lascivas tractant, aut docent; libri autem Romanenses plerique, ait s. Alphonsus, quidem « animum » ad profanos amores mirabiliter incendendo, illum obtenebrant, a » Deo alienant et vehementer ad malum inclinant, ita ut occasione » oblata, homo facile in infandas libidines ruat, et pertinacius in » ipsis deinde perseveret, » aperta tamen impudicitia, ait, non scatent.

Ex quibus colligendum videtur quod to : *ex professo*, importet 1° directam fidei aut morum honestatis oppugnationem, saltem implicite seu ex ipsa interna scripti forma et natura. Hoc probat vis vocis etymologica (profiteri); usus communis; et præsertim, quem vidimus, usus Patrum Tridentinorum.

2° Notabilem, ad oppositionem et exclusionem oppugnationis levioris, quæ fit obiter et transeunter. Hoc enim omnino involvit communissima acceptio vocum : *ex professo.*

3° Non tamen necessario tractationem principalem, cujus necessitas ex nullo argumento videtur satis posse probari. In regula 2ᵈᵃ to, *ex professo* opponitur huic : *qui vero de religione non tractant.*

Hæc si vera videantur; etiam obtenta, sub præfata restrictione, licentia, legere non licebit opera, quæ directe et notabiliter tractant de obscœnis aut contra religionem : licebit tamen legere libros hæreticorum aut hæresiarcharum; qui, cum dogmata tantum individua oppugnant; ipsa totius religionis sive naturalis; sive Christianæ, sive catholicæ fundamenta conservant.

Hæc vero ultima conclusio conformis est duplici, quam Roma, ex privatis consultationibus, recepi, responsioni.

Interim semper studiose attendendi et expendendi sunt, quibus similis facultas expeditur, termini; cum non semper iidem sint, et pro postulantium conditione, modo amplientur, modo restringantur.

345 Q. 7. In rescriptis quibus ista conceditur licentia ordinarie apponitur hæc aut similis restrictio : ad affectum eos impugnandi; quid igitur in casu, in quo minus verificatur prædicta conditio?

R. Satis patet, quod illa clausula non sit stricte accipienda; cum primum, ut videtur, apposita pro libris, contra religionem editis, nunc apponi soleat etiam 1° pro libris, qui bonis moribus sunt contrarii, quique non directe impugnari solent aut debent, sed potius indirecte eripiendo e manibus fidelium; et 2° pro legentibus libros

[1] In diss. *De justa prohib. et abolitione librorum nocuæ lectionis*, c. 1. n. 9.

impios in ordine ad propriam eruditionem tantum, quique proinde remote admodum et indirecte noscuntur libros, quos legunt, impugnaturi. Aliunde nulla adest ratio, quæ convincat ejusmodi conditionem esse restrictivam, aut revocatoriam licentiæ; ideoque merito ab auctoribus habetur, ut mere modalis tantum : ita ut qui legeret ex mera curiositate, nullo modo, ne habitualiter quidem, ex præfatis rationibus motus, censeretur agere non tam contra, quam præter concessionis tenorem; adeoque tantum venialiter peccare : nam in dispensatis supponitur abesse periculum, dum in supplica præter causam finalem, *ad effectum impugnandi*, superaddi solet causa motiva; quod orator gratia sit dignus.

Ratio p. Lacroix [1], Quod « in re gravi ageret contra finem salutem extrinsecum; quem legislator serio et efficaciter intendit, » non videtur solida; quia, ut dicit s. Alphonsus [2], cessante hac una, non cessat altera causa motiva licentiæ concedendæ, quæ est ipsa absentia periculi. Insuper dispensantes sciunt, paucos esse oratores, in quibus hæc conditio ita stricte verificetur, nec finis legis cadit sub præcepto.

In hoc consentiunt nobis adversarii nostri; legentem certe non incursurum excommunicationem; cujus ablatio, quæ est finis intrinsecus dispensationis, semper adest; immo videtur, ob eamdem rationem, nequidem incursurus dictam censuram, etiamsi legeret ad discendam aut propagandam hæresim; etenim non legens aut actus ejus censuram inducunt; sed legislator.

Si tamen liber aliquis prohibitus supponatur, ipso naturæ jure, quod non ita infrequens esse vidimus, c. VI, sect. III; præfata quidem licentia excusare poterit quandoque retinentem; si retentio nullum offerat morale periculum; sed, ut patet, nihil quidquam juvare poterit eum, qui legeret.

346 Q. 8. Quid hic sentiendum de licentia, quam dicimus, præsumpta; puta, in casu, quo a parte legentis moraliter abest periculum; præsertim ubi accedit bona, pro modulo cujusque suo, confutandi intentio?

R. I. Dicunt auctores, cessante fine legis in contrarium, quia occurrit lex superior præcipiens, v. g. conversio alicujus hæretici, per similem lectionem obtinenda et non aliter, cessat etiam lex et pœna ejus : insistit tamen Card. De Lugo [3]; ut vel tunc, dum

[1] L. VII, n. 346.

[2] In theol. l. VII. n. 291.

[3] De fide, disp. XXI. s. 2. n. 62 et seqq.

fieri potest, res cum superiore communicetur; tum ne quis se ipsum dicipiat; tum ut superior, pro sua prudentia, si expedire videatur, alio modo provideat. Sæpe enim datur necessitas respectu illius, quis convertendus est; non item respectu ejus, per quem conversio fiat.

Hæc quidem exceptio videri posset afficere certa opera ab hæreticis, in religionis Christianæ commendationem vel etiam in ecclesiæ catholicæ defensionem, conscripta; puta, librum Cobbett, Voigt, Hurter....; quippe quorum operum prohibitio reapse videatur fore damnosa. Verum cum hoc, quod per accidens oritur, damnum non ita grave sit et forte alii prohibitionis fines haud cessent; privatorum non est, legitimæ auctoritatis judicium prævertere, pro libris, quos non, sicut nominatos, usus piorum communis aut ordinarii censura probavit.

347 R. II. Si negative tantum cessaverit prohibitionum finis, certe hic non cessabit lex, juxta eumdem Card. De Lugo (l. c.) et s. Alph. (de legibus n. 199, v. Utrum et in diss. cit. c. v, n. 1) ubi et sententiæ quorumdam oppositæ negandam esse dicit probabilitatem. Ratio; quia, etiamsi cum quibusdam admitteres, quod cesset lex, cessante fine legis negative etiam in casu particulari, id tamen non admittendum est in hac materia; dum finis numquam cessat adæquate : etenim prohibitiones istæ præter salutem lectorum in particulari, alium quoque scopum habent; ne, scilicet, detur ansa, typis edendi scripta perversa; et in odium et pœnam scriptorum.

Quapropter leges quæ prohibent legere, retinere..... certos libros, vere sunt leges disjunctivæ; quarum, cum una pars facta est inutilis, aut impossibilis, obligat altera. Quod ipsum declarat generalis ecclesiæ usus; quo, dum procul abest periculum, vel justa patrocinatur causa, pro lege positiva, (id non est necessarium pro lege naturali) petitur et conceditur licentia : id quod merito, in certiorem legis naturalis observantiam induxit ecclesia; ne, in negotio, philautiæ nostræ tam gravi, nosmetipsos decipientes, periculo exponamur.

348 Hæc vero speciatim constant de casu bullæ Cœnæ; in qua expresse cavetur legi, *ex quavis causa vel colore.* Unde et communiter doctores, ut indubitatum tradunt; quod similiter legens, non modo peccet; sed et excommunicationem incurrat reservatam sententiæ latæ : ita Card. De Lugo, Schmalzgrueber [1], s. Alphonsus [2] aliique communissime.

[1] In l. v. decr. tit. VII. n. 44 et 45.

[2] In diss. c. v, n. 1 ; in theol. l. VII. n. 283.

349 Hoc vero ipsum est, quod fidelibus Belgii inculcat Instructio past., ann. 1843, § VI, n. IV, dicens : « Lorsque dans l'intérêt de » la science, ou pour l'accomplissement des devoirs d'une profes- » sion d'un état honnête, des fidèles croiront nécessaire de lire » ou de consulter, soit un livre, soit un journal, ou quelqu'autre » publication périodique, utile en partie à ceux qui cultivent cette » science ou exercent cet état, cette profession; mais en partie » dangereuse, pour les principes religieux ou les mœurs; ils de- » vront s'adresser à leurs curés ou à leurs confesseurs, afin d'ob- » tenir par leur intermédiaire la permission requise » quibus verbis, etiam iis, qui, ad officia status sui adimplenda, opus habent, legere scriptum aliquod legibus ecclesiasticis, ab Episcopis, ut supra vidimus, renovatis vetitum, expresse licentia petenda præscribitur.

350 Hæc licentia pro libris, indice ejusque regulis, legi vetitis, in Belgio ab Episcopis conceditur vi facultatum quinquennalium.

351 Conditiones vero similis licentiæ concedandæ in sæpe laudata Instructione past. exprimuntur hæ duæ : 1° ut oratores sint personæ graves, et firmæ in fide [1]; quo abesse sciatur ruinæ spiritualis discrimen, ad minus proximum, quod vel de ipso jure naturæ requiritur. 2° Ut adsit justa necessitas aut utilitas, quæ cooperationem materialem compenset.

Hæc tamen ratio non debet esse ita gravis, ut videtur : immo vel sola utilitas publica, suadere videtur; ut quique viri graves, pii ac docti, levioribus sinistri ominis scriptis intendant; quo possint ea, occasione data, pro merito, apud alios insectari.

Verum est, terrent conditiones, quas in legente scripta impia requirit cl. Zaccaria, (supra, n. 8); terrent exempla ipsorum, quibus Pontifices Romani, post tristem nimis experientiam, subtrahere debuerunt aut pravos libros legendi licentiam aut eosdem examinandi provinciam (supra, n. 10) : quod olim ipsis Episcopis prohibitum, quomodo hodie mediocribus multis commendandum? Respondeo : siquidem hæc sit seculi conditio, et, pro seculi conditione, multorum obligatio; Deum non destituere suos præsidio supernaturali, quo naturalis, quæ nunc ex quotidiana cum adversariis versipellibus lucta habetur, rerum experientia, perficiatur; et sui illæsi pertranseant.

352 Nec solum hoc virorum doctorum piorumque dicendum est officium; cum ex mandato Instructionis, (§ VI, n. III) parentibus

[1] « Cette permission ne peut s'accorder, qu'à des personnes graves et fermes » dans la foi. » *Instr. past.* de 1843. § VI. n. 4.

maxime, ludimagistris et aliis, qui subditos habent dirigendos, enixe sit proponenda gravis, quæ iis incumbit, obligatio pestiferos e subditorum manibus eripiendi libros [1]. Ii igitur omnes, etiamsi licentiam nullam habeant, neque oportune eamdem obtinerent; in necessitate (quum alias prompte malis occurrendi sæpe deficiat occasio atque adeo lex cesset in contrarium) suspectos sibi libros leviter percurrere obligantur : ita tamen, ut si pravos reperiant, aut merito suspectos, lectione etiam ipsi quantocius abstineant, et quum commode potuerint, parocho aut confessario tradant severius discutiendos; non blandientes ipsi sibi, sed memores eorum, quæ graviter ipsis inculcant Episcopi, de eorumdem præcipue integra fide sanisque moribus solliciti : « Les mauvaises lectures, *ut* » *aiunt*, ont même la puissance d'ôter aux sages leur sagesse, de » renverser le sens, et de faire oublier le ciel à ceux, qui n'avaient » regardé que Dieu et leur devoir [2]. »

Id autem præ ceteris funestum accidit, si ipsi patres-familias; quos, ut societatis duces, in veritate et virtute radicatos esse oportet, nefandorum scriptorum imbibant doctrinas : qualia namque illorum placita, talis et eorum sermo; qui, cum per omnem diem paterna cum auctoritate ceteris instilletur, non efficere non potest; ut sensim sensimque singula familiarum membra easdem amplectantur sententias. Infelices nimium erroris prosatores! Dum, quæ adversus religionem et auctoritatem, tam sacram quam profanam, ipsi subministrarunt arma, sæpe sæpius in eorum vertuntur mœrorem aut perniciem! Nullam namque, exuto apud omnes religionis sensu,

[1] Par suite de ces défenses, nous rappelons aux pères et mères, aux maî» tres et maîtresses, aux instituteurs et institutrices l'obligation grave de » veiller avec le plus grand soin, pour que ces livres ne soient point intro» duits dans leurs maisons; de les retirer au besoin des mains des enfants » ou sujets, dont ils devront répondre devant Dieu et de n'épargner aucune » peine, pour que la funeste contagion ne pénètre pas plus avant » Neque hæc ill. Episcoporum nostrorum sunt statuta; sed ipsius sacrosanctæ religionis nostræ; cujus dictamina non minori sollicitudine nec minus energice in novo orbe parentibus denuntiant Patres conc. prov. Baltimorensis, ann. 1843, his verbis : « Nous avertissons les parents du compte terrible, qu'ils auront » à rendre au tribunal de Dieu; si leurs enfants, par leur négligence, ou » leur concours sont imbus de faux principes ou détournés des voies du salut. » Les parents sont strictement tenus, comme le fidèle Abraham, d'enseigner » à leurs enfants les vérités que Dieu a révélées; et s'ils souffrent qu'ils » soient égarés; les âmes de ces enfants leur seront demandées. » Apud Kersten, t. X, p. 219.

[2] *Instr. past.* § v. V. *Faut-il.*

jam a filiis subordinationem expectandam; nullam ab uxore fidem; a suis rei domesticæ sollicitudinem; non teneros suorum affectus præstolandos, non senectutis vel ægritudinis levamen sperandum, frequens nimium docet experientia.

Crescit exitiosum funestæ lectionis nocumentum, si ipsi, quibus pueri vel juvenes instituendi creduntur, perversis hujuscemodi scriptis inhæreant ludimagistri? Qua ratione enim, quod indies ipsi, etiam inscii, attrahunt infecti aeris elementum, quo reficiuntur et vivunt; non itidem inscii, vice sua, discipulis commune faciant, in compendiosam integræ subinde regionis subversionem? Numquid verbis et exemplis alumnis suis instillabunt, quo abripiuntur ipsi, studium lectitandi sinistri ominis scriptiunculas; quæ tamen tam periculosæ sunt juventuti; quam per millenas adulationes atque illecebras dementare contendunt, et, proh dolor ! tam frequenter dementant et a suis in parentes et societatem officiis avocatos in omne flagitii genus præcipitant.

Vere desipiat oportet, et quid sibi e re sit, non intelligat ille, qui assiduo pravi cujusdam scripti lectori confidat, eique summi momenti negotia concredat; quale in primis hæc est pueros informandi provincia.

Præter patres-familias, ludimagistros aliosque, qui de potestate paterna participant; quæ muneris sui sunt, etiam graviter sunt docendi typographi et librarii; qui vera sunt malorum omnium causa prima.

353 Q. 9. Numquid patribus-familias in hoc librorum negotio id unice incumbit officii, aut competit potestatis, ut superiorum jussa a suis servari curent?

R. Haudquaquam hic paterni aut juris aut officii limites defigi posse, manifestum fit ex ipsis natura et scopo potestatis paternæ; præsertim ubi cum aliis superioribus potestatibus fuerit collata : etenim

1° Cum primores reipublicæ leges ferant, quæ toti reipublicæ prosint, ad necessitates individuorum aut singularum etiam familiarum animum advertere vix possunt : quapropter quæ etiam legibus permissa sunt scripta; at quæ suorum fidei aut moribus nociva fore perspicit pater-familias, amovere ab iis debet, utpote eorumdem curare educationem et in fide moribusque integritatem adstrictus. Non possunt censores ob levia quæcumque errata, quæ forte particularibus damnosa existunt, continuo denegare permissionem imprimendi; ne scriptores, (quorum de ingenii sui fœtibus philautia, vix ulla in mundo ardentior) animo exasperati, ad inimica transeant vexilla aut saltem difficultatibus territi aciem solis hostibus dimit-

tant. In quo igitur lex deficit, privatorum erit supplere : nec ulla hic cautela censeri debet nimia; cum et unum verbum minus honestum, et respectu adultorum minime scandalosum, gravissimas quandoque habere possit sequelas. Ut vero exemplo res declaretur; quis putet v. g. historiam ecclesiasticam, etiam animo satis æquo conscriptam, a simplicioribus inoffenso pede decurri posse; si non oportuna subinde, nota illustretur? Idem de centenis libris dicendum [1].

2° Quoniam, qui toti præest reipublicæ, potius malo avertendo studere debet, quam bono procurando possit incumbere; huc patrum-familias, qui suos ad vitam, quæ nunc est et futuram informare, eosque in bono promovere debent, vertendum studium est; ut in libris legendis, ea habeatur delectus ratio, quæ uniuscujusque necessitati consulat et capacitati proficiat [2].

[1] Cfr *Journ. hist.* t. XV, p. 119 et seqq. ubi sapienter admonetur; ex ipsis, quæ in catholicorum usum aperiuntur, bibliothecis, non sine prudentis viri delectu libros esse assumendos; tum quod in promptuaria isthæc publica quædam adsciscenda sint opera, quæ relative quidem determinatæ conditionis hominibus bona, aliis tamen nocere possint; tum etiam quod ea, quæ simpliciter bona sunt, non tamen omnium congruant captui et conditioni.

[2] Per integrum hunc librum de *pravorum* librorum lectione locuti arripimus occasionem commendandi bonorum scriptorum cultum : tum ut ipsi excitemur omni studio cooperari eidem propagando ac fovendo; tum ut refellamus calumnias eorum, qui ecclesiam de artis typographicæ adinventione ingemuisse, atque etiamnum litterarum cultum aversandum sibi ducere criminantur. Audiamus igitur verba, quibus Leo X ante recentiorum scriptorum calumnias bonæ lectionis lucra celebrabat, in bulla, *Inter sollicitudines* (est apud Cherubinum 12a). « Sane, inquit, licet litterarum peritia per librorum » lectionem possit faciliter obtineri, ac ars imprimendi libros temporibus po- » tissimum nostris divino favente numine, inventa seu aucta et perpolita, » plurima mortalibus attulerit commoda, cum parva impensa copia librorum » maxima habeatur, quibus ingenia ad litterarum studia percommode exer- » ceri, et viri eruditi in omni linguarum genere, præsertim autem catholici » (quibus sanctam Romanam ecclesiam abundare affectamus) facile evadere » possunt; qui etiam infideles sciant et valeant sacris institutis instituere, » fideliumque collegio per doctrinam Christianæ fidei salubriter aggregare » quia tamen.... »

Audiamus et insigne ejusdem librorum cultus encomium, diebus his nostris, religionis catholicæ nomine omnibus denunciatum. « La lecture charme l'en- » nui dans les moments où les occupations cessent. Elle suspend le sentiment » des peines dont la vie humaine n'est jamais exempte, nous procure les lu- » mières de ceux que la distance des lieux et des temps nous empêche de voir » et de consulter; elle nous rend comme présents les plus grands maîtres de » l'antiquité, et même ces hommes privilégiés, que Dieu a inspirés, pour nous

3° Quinimmo cum supremam, in sua quique familia, patres-familias auctoritatem gerant; possunt et tenentur, pro ea, in qua versantur, bonum spirituale et temporale ejusdem procurandi obligatione; suis eos prohibere libros, qui fini vel spirituali vel temporali societatis domesticæ sunt nocivi [1].

» rendre de sa part les grandes vérités, que les Socrate, les Platon, les Démos-
» thène, les Cicéron..... ont ignorées. La lecture dissipe les ténèbres de l'igno-
» rance, elle est comme la clef et le canal des sciences.... Un bon livre est un
» sage moniteur, qui nous fait remarquer le faux, qui règne dans la plupart
» des conversations des hommes; qui nous découvre la laideur du vice dans
» les désordres de nos semblables, et la beauté de la vertu dans les mœurs des
» gens de bien; qui nous empêche de nous laisser surprendre par la subtilité
» des sophismes et par le brillant du discours, surtout dans un siècle, où l'on
» sacrifie tout à l'ornement de la diction; où tout est bien reçu, quelque ab-
» surde qu'il puisse être, pourvu qu'il soit bien dit. » *Les mauvais livres, les mauvais journaux et les romans*, 4e édit., p. 153.

[1] Non hæc potestatis paternæ jura latius discutienda sunt; nec probanda, quæ ipsi familiarum institutioni coæva, et in intima earum natura fundata, manifestius in omnium oculos incurrunt : est tamen huc studiosius vertenda attentio; ex quo non solum (quod omnibus pseudo-politicis commune) ecclesiæ, in informanda juventute jura infringere conati sunt homines, scepticismi non minus quam potestatis civilis limitibus extendendis mancipati; verum etiam patrum-familias in educandis prolibus liberam potestatem in publicis consessibus aperte convellere et lege coercere tentarunt. Anno 1844, 22 apr. in comitiis publicis Galliæ, aiebat celebris orator : « Le pouvoir du père de fa-
» mille n'a rien d'absolu par lui-même » et citatis quibusdam exemplis, in quibus, ob abusum potestas civilis interveniat, necesse est, concludit, « ainsi,
» même au foyer domestique, le pouvoir paternel a ses limites. » (M. Cousin, V. *Journal de Brux.* n. 113, col. 9.) Quæ commenta ne latius disseminentur, ingenuos quosque iis attentos atque præmunitos curemus oportet. Sufficerit autem sequentem potestatum ordinem atque primævam earumdem institutionem in memoriam revocasse; quo falsa ejusmodi pseudo-politicorum principia debitis excipiant indignatione et contemptu.

Potestas patrum-familias primigenia est mundoque coæva, eum in finem comparata, ut ii non solum ad vitam physicam inter domesticos parietes transigendam suos instituerent, sed etiam ad societatem eosdem informarent; religionis naturalis dogmata docerent et per morum efformationem ad beatitatem etiam æternam disponerent : ipsis igitur primitus credita omnis educatio, physica, civilis, religiosa et moralis; quibus homo ad societatem domesticam, civilem et religiosam perfectus constitueretur.

Propagato latius genere humano, institutæ fuere societates civiles et politicæ; ut, quæ singuli ægre admodum, aut etiam nullatenus comparare poterant, commodius societatum ejusmodi primores, per unitas, et sapienter directas civium vires, consequerentur; quorumdam etiam individuorum damnosa negligentia aut calamitas suppleri, aliorum abusus corrigi possent :

Hujus potestatis, harumque adeo obligationum patrum-familias, servata proportione, participes sunt et heri respectu famulorum,

Nullus tamen pater-familias abdicare potuit educandæ familiæ jus; quod. propter eam, quæ indivulse eidem a natura adnexa fuit, instituendæ prolis obligationem, vel ipse per semet exercere debet vel per alios viros idoneos exsequi : quapropter quoties male mandatum geritur, quamprimum illud revocare obligatur. Hoc ipsa naturæ vox clamat : hoc nativa parentum de prolium bono sollicitudo manifestat. Princeps igitur civilis numquam hic primas habuit; sed secundo semper venit loco; ut paternæ potestati utilius et facilius exserendæ media suggereret; et abusus, si qui essent, corrigere satageret. « L'état peut avoir le droit d'offrir une éducation nationale; disait M. le » comte de Montalembert (séance du 26 avr. *L'Univers*, 27 avr. 1844), mais » il n'a certes pas le droit de l'imposer, » et le comte de Beugnot : « c'est le » droit du père de famille d'élever ses enfants; et s'il ne peut pas le remplir » lui-même, de choisir librement ceux, à qui il juge convenable de confier » cette mission importante... l'état dans le système, que je combats, ayant » attiré à lui tout l'enseignement, le choix des pères de famille n'existe véri- » tablement plus; donc il y a lésion et lésion évidente du droit naturel. Non » pas que je croie, que le droit de surveillance de l'état doive céder à tous les » caprices des pères de famille; mais je pense que ce droit, dont nul ne con- » teste la légitimité, ne peut aller jusqu'à faire disparaître le droit, qui ap- » partient aux pères de famille » (ib n. 609, col. 6.) Nec dissentit ipse d. Guizot, certe potestatis civilis coarctandæ minime suspectus. Is in oratione, quam habuit in comitiis publicis Galliæ 30 jan. 1846 ingenue fatetur : « Les » premiers (droits) sont les droits des familles; les enfants appartiennent aux » familles avant d'appartenir à l'État. L'État a le droit de distribuer l'ensei- » gnement, de le diriger dans ses propres établissements; de le surveiller » partout : il n'a pas au fond le droit de l'imposer arbitrairement et exclu- » sivement à toutes les familles sans leur consentement et contre leur vœu. » Potestatis autem civilis missio sat late explicatur, in omnibus iis, quæ profanam instructionem spectant : verum quia de communi omnium sensu, instructio profana ab educatione, seu institutione morali ac religiosa separari nequit [1]; hanc autem potestas temporalis independenter a potestate

[1] Veritas hæc, pro Belgio nostro, in legem sancita fuit in art. VI legis organicæ, pro juniorum puerorum instructione : « L'instruction primaire, est-il dit, comprend » nécessairement l'enseignement de la religion et de la morale. » Eam veritatem solidissime probatam videre licet apud ill. d. Episcopum Leodiensem in opere : *Exposé des vrais principes sur l'instr. publ.* nominatim, parte I, c. I et VII, et p. II, c. VIII. Verissime, apud eumdem ill. dominum de educatione d. Guizot : « Ce » qu'il faut, c'est que l'atmosphère de l'école soit morale et religieuse : il s'agit ici » d'éducation plutôt que d'enseignement; et si l'instruction morale et religieuse ne » plane pas sur l'enseignement tout entier, vous n'atteindrez pas ce but; ainsi cette » instruction morale et religieuse doit s'associer à l'instruction tout entière, à tous » les actes du maître d'école et des enfants. » (Analyse du même exposé, p. 93.) Recentius etiam ipse d. Cousin insigne huic veritati testimonium detulit; cum videns meliora probansque, universitatis, cujus per fas et nefas patronum agebat,

et ludi-magistri, pædagogi, alii; quibus patres-familias suam educandi, informandi aut gubernandi provinciam demandarunt.

spirituali et jure suo moderari haud potest [1]; necessarium prorsus est, ut spiritualis et temporalis potestates, amico fœdere consociatæ, singulæ, in suo genere, summæ atque independentes, quæ suarum partium sunt, ad amussim exsequantur.

Nec sufficit, ut qui ad humanitatem studiosius informantur, infimæ plebis puerorum instar, religionis elementa in ecclesiis doceantur. Quum enim destinantur ad altiores in societate gradus; debent sicut litteris et artibus; ita et religionis notitia et morum disciplina aliis eminere ac præire. Religionis cognitio morumque institutio, etiam apud invitos, primas tenent, partemque haud spernendam vitæ, ac mutui, cum concivibus, commercii complent. — Qui, plures gravioresque erga concives obligationes habet, nec, pro gradu suo, consilium ab aliis capere minusque officio ab aliis contineri valet, per religionem studiosamque morum informationem, ad maturam prudentiam et invictam animi magnitudinem et constantiam institutus sit, necesse est.

Serius instituta fuit, quæ primas hodie in institutione morali et religiosa tenet, potestas unice spiritualis : cujus tamen institutio jus debitumque priorum potestatum non sustulit. Quoniam vero Apostoli, eorumque succes-

nomine perfricte asseveravit : « Oui, l'éducation donnée dans l'Université est essen-» tiellement religieuse » (ib n. 607, col. 9.) Suæ, scilicet, universitati, tam asseveranter ducebat adscribendum, quod, multis accusantibus, eidem quam maxime necessarium esse, ipse negare non poterat. Nec minus expresse plures magistratus nostri oratores in comitiis publicis; cum discuteretur præcitata lex. « Pas d'ensei-» gnement, surtout pas d'enseignement primaire, sans éducation morale et reli-» gieuse, disait M. le ministre Nothomb; et nous entendons par éducation religieuse, » l'enseignement d'une religion positive. Nous sommes tous d'accord sur ce prin-» cipe, c'est notre point de départ. Nous rompons, il faut le dire et le dire tout » haut, nous rompons avec les doctrines politiques du XVIIIe siècle, qui avaient » prétendu séculariser complètement l'instruction et constituer la société sur des » bases purement rationalistes. Nous ne voulons pas d'une instruction exclusivement » civile, nous proclamons l'instruction inséparable de l'éducation, nous voulons un » enseignement complet et nous ne voyons d'enseignement complet que dans l'in-» struction jointe à l'éducation morale et religieuse. » (Disc. du 8 août 1842.)

[1] Cfr laudatum opus : *Exposé des vrais principes*, p. 170; ubi ad evidentiam ostendit ill. auctor; hoc, quod recentius quibusdam regnis invehere pseudo-politici conati sunt, axioma, « l'éducation publique appartient à l'État, » et theologice pro omni tempore et loco falsum esse; utpote eversivum independentis, quam ecclesia, Matth. XXVIII, a Christo domino accepit, potestatis; et hic manifestis regni nostri legibus contrarium, et nativis certissimisque familiarum juribus inimicum. Nec dissentit ipse d. Guizot, quum dicit : « Il (Napoléon) ne » comprit pas toujours assez, que les croyances religieuses et les hommes chargés » de les maintenir dans la société, ont le droit de les transmettre de génération en » génération par l'enseignement, telles qu'ils les ont reçues de leurs pères. Et ce » n'est pas là un privilége de la religion catholique; cela s'applique à toutes les » croyances, et à toutes les sociétés religieuses : le pouvoir civil doit laisser le soin » de cette transmission des croyances entre les mains du corps et des hommes, » qui ont le dépôt de ces croyances. » (*Journ. de Brux.* 1845. n. 247.)

354 Q. 10. Dictum fuit supra, ex Instr. past., fidelibus, cum opus habent, legere librum aut scriptum vetitum, recurrendum

sores sine ulla restrictione et cum omnimoda independentia divinitus missi fuere, docere *omnes gentes* [1]; principes juxta ac populos, — parentes æque ac proles, — non solum dogmata atque præcepta positiva religionis Christianæ, quæ nulli alteri fuerunt potestati commissa, — sed et quæcumque veræ religionis constitutiva sunt; non nisi dependenter ab ecclesiæ doctrina et institutis, suum illud munus et status civilis et patres quoque familias exsequi jam possunt [2]. Cum tamen hæc supereminentis auctoritatis institutio naturam familiæ aut societatis civilis nequaquam immutaverit; neque Christus servator, ecclesiam instituens, hoc suos docendi onere ullum levare declaraverit, quando potestatem hanc sacram prorsus independentem, ceterisque adeo superiorem instituit; etiamnum principes civiles et patres-familias primævo suo muneri facere satis, pro circumstantiis, debent.

Qui ad triplicem hanc docendi instituendique attenderit potestatem, et intimam earumdem perceperit naturam, facile intelliget; rem nostram quod attinet, triplicem quoque statui posse prohibendi perversos libros potesta-

[1] M. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes* et J. XX. 21, *sicut misit me Pater et ego mitto vos.* Crhistus dominus non principes Judæorum, non ipsos eorum pontifices rogavit; ut liceret prædicare, populum convocare, novum cultum docere et instituere : pariter nec Apostoli, cum religionem Christi per orbem propagarent universum, principum sibi consensum exspectandum judicarunt. Utquid ergo ecclesia, eadem Christi et apostolorum potestate instructa, principum obnoxia sit voluntati? Addit Christus loco prius citato : *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis;* non illa solum, quæ principi visum fuerit, ut prædicentur; sed *quæcumque mandavi vobis.* Cfr Em. d. Debonald, *Instr. past. sur la liberté de l'église*, éd. de Brux. p. 7 et 12.

[2] Cfr propositiones quas, ex consilio synodico Leodiensi, an. 1841, subscriptione, ut orthodoxas, agnoscere debuit d. Moens. Earum primæ ita sonant : Propositio I : « Episcopo in sua diœcesi ita proprium est doctrinam christianam » seu cathecismum docere (non tantum definire); ut nemini, nisi cum ejus tacito » vel expresso consensu fas sit; eam doctrinam publice tradere sive in ecclesiis, » sive in licæis, sive in scholis. »

« Propos. II. Parentibus nullum jus est; quo clerico vel cuicumque laïco missio» nem aut delegationem aliquam tribuant; vi cujus illi clerico vel cuicumque laïco » competeret doctrinam christianam seu catechismum publice docere, sive in eccle» siis, sive in licæis, sive in scholis. »

« Propos. III. Neque parentum locum ullo modo tenere potest magistratus civilis, » cui profecto nullum jus docendi doctrinam Christianam aut per se aut per dele» gatos competit. » (*Journal hist.* t. VIII. 194.) Cfr ill. Leodiensium Episcopi *Réponse à un honorable membre de la chambre*, p. 3 et 9, et, *Examen des faits et des doctrines consignés dans le rapport adopté par le conseil communal de Liége*, p. 50, 52, 58 et 59. Præsertim vero : *Exposé des vrais principes sur l'instr. publ.* 1re partie et 3e p. dern. chap. Notum etiam omnibus est, quam apostolico zelo suum illud jus et officium sibi nuper vindicarit illustrissimus Præsul Monasteriensis. (*Journal hist.* t. XIII, p. 255.)

Quam patres-familias prolibus impendunt educationem, qua moralis et religiosa est, ecclesiæ obnoxiam vide ap. eumdem ill. Dominum, *Analyse de l'exposé des vrais principes*, p. 94—5.

ad parochum aut confessarium, ut iis mediantibus, licentiam obtineant : quæres nunc ex qua regula fideles dignoscere possint; quorum scriptorum lectio sibi vetita censenda sit? Hoc enim ipsum Episcopi in Instructione sua non determinant; quum generatim tantum ex legibus ecclesiæ prohibeant quæcumque scripta *fidei aut moribus adversa?*

R. Optandum, ut ad idem parochi aut confessarii judicium recurrant : quod non solum suademur ex laudata Instructionis past. dispositione; sed etiam ex responso s. indicis congregationis ad dubium sequens, ordine IV, inter proposita nomine fidelium diœcesis Lausanensis : « An fideles salva conscientia, legere possint » ephemerides, vel libros, qui censuram ordinarii non subierunt. »

Responsum fuit an. 1832, ad IV.

« *Recurrant ad confessarium* [1]. »

Hæc quidem pro fidelibus princeps regula est, ut scripta inter et scripta discernant. Attamen in illo s. Congregationis responso non tam strictum proponi præceptum videtur, quam ordinarium et prudens, dilucidandi ejusmodi dubii, medium suggeri : quapropter et testimonium viri cujusque prudentis, et fama publica non immerito sententiæ confessarii, cujus jam certum alicui sint præjudicium, vices supplere sæpissime posse intelliguntur [2].

333 Q. 11. Quid notandum circa libros prohibitos sub restrictione : *donec corrigantur?*

R. Libri, sub hac clausula prohibiti, nec legi nec retineri possunt, donec purgati fuerint; ut constat ex propositione, inter damnatas ab Al. VII, 45ª. « Libri prohibiti donec expurgantur possunt

tem; cum prior ista potestas, alterius fundamentum sit, et theoretice loquendo, omne, circa pravos libros, jus et officium in ipso docendi instituendique munere contineatur. Facile quoque perspiciet, inter illas potestates, ecclesiasticam, extremo loco institutam, auctoritate et potestate divinitus a Christo accepta, quam longissime supereminere duabus prioribus; quas nativo suo jure dirigit ac moderatur. Nos de singulis illis potestatibus latius egimus iis locis; quos instituti nostri ratio postulabat. (Cfr. c. II, s. 1 et 3, et c. VI s. 5.

[1] Ita ex copia authentica archiepiscopatus Mechl. Reperitur et in collect. *Journal hist.* t. V. p. 508.

[2] R. p. Boone, *les Mauvais Livres*... au 1^er^ préjugé, et r. p. Deschamps, *confer.* p. 33 suffragia impiorum a parte una et reprobationem ministrorum ecclesiæ a parte altera, in regulam proponebant; qua libri mali dignoscerentur. Cfr perversorum nostri ævi operum et auctorum catalogos, quos appendicum instar quartæ editioni operi, *les Mauvais Livres*, subjecit r. p. Boone. Satis commendari clero non valent istiusmodi indices, qui utinam indies novis meritisque accessionibus augerentur!

» retineri usque dum, adhibita debita diligentia, corrigantur.» Sed neque a privati corrigi posse certum est [1].

356 Q. 12. Quinam libri in catalogis subhastationum hodie asterisco reprobationis notandi veniant?

R. Prænotandum. Libros malos vendere, sicut eosdem legere non necessario malum est; hæc enim tam ad bonum, quam ad malum finem ordinari possunt : alias nullo casu eos vendere aut legere foret licitum. Promiscue tamen illos, *citra justam causam*, vendere illicitum est; quia charitas vetat proximo subministrare rem, qua is in suam aut aliorum perniciem prævidetur abusurus. Veritas sane gravis, iis præsertim, qui libros, singulatim, lecturis divendunt. Charitati magis adversari manifestum est; si periculosæ ejusmodi merces ignorantibus offeruntur. Idcirco provide introductum est; ut, defectu censorum ecclesiasticorum, qui, conformiter ad regulam 10m, ex officio libros noxios a venditione arcerent, in catalogis subhastatorum, qui vi conditionis suæ, commissos sibi libros publice divendere posse videntur, asterisco notarentur; quæ fidei moribusque periculosa, ecclesiastico interdicto subjacerent, opera. Merito tamen in dubium vocaveris; an præcautio ista suum ubique attingat scopum. Innumera sunt præsertim in genere librorum obscœnorum, (qui non *ex professo* tales sint) opera, maxime periculosa; quæ tamen non illico quis ab ecclesia prohibita possit asserere. Præterea quis, in tanta scriptorum pravorum et suspectorum copia, novit omnes, qui venales occurrunt libros noxios; ut eos etiam, qui solis regulis vetiti sunt, debito indicet asterisco?' Quis eos omnes, quorum non sufficiens ipsi notitia est, excutere ipse velit et possit? Si autem quidam tantum mali libri notentur; nonne periculum est; ne emptores, ob notatos hinc inde libros securi, gravius decipiantur? Si nulli notentur, est periculum; sed omnibus notum; inde et minor ementium securitas et congrua cautela. Si interim pro circumstantiis utiliter apponi videantur asterisci; non solum ii libri notandi sunt, qui in indice leguntur recensiti; sed ii etiam omnes, qui regulis decretisque generalibus sunt prohibiti. (V. supra n. 254.) Quin immo quæ solo naturæ jure passim periculosa et generatim adeo vitanda sunt scripta, signo distinctivo notari expediret. Quia vero tam difficile est, ne dicam vere impossibile, omnes libros periculosos attingere; prudens est, quam alicubi adhibitam novimus, cautela; qua declaret censor, se quidem pravos libros, quoad sciret, notasse; non tamen per hoc

[1] Cfr Herinckx, parte 3. tr. de virt. disp. IX. n. 91, et quæ diximus supra, c. IV, S. III, et c. VI, S. I.

approbatos velle, quos ipse, velut innoxios, ab omni nota liberos dimisit [1].

387 Quoniam vero omnes prohibitiones, ab ecclesia et prælatis factæ, parum proficient; nisi illæ a parochis aliisque ecclesiæ ministris, spiritu zeli vere apostolici, indies inculcentur et earumdem urgeatur observantia; in Instructione sua præcipiunt sæpe laudati Belgii Præsules [2]. « Mandamus dominis pastoribus aliisque curam » animarum habentibus, ut ovibus suis diligentissime in hoc per- » versorum librorum puncto invigilent. » Quæ obligatio procul dubio non minus est gravis, quam gravis est prohibitio, fidelibus facta, et gravissimus, qui intenditur, harum legum finis. Dein in particulari statuunt, Episcopi; ut *publice et per domos, oportune et importune*, in omni patientia et doctrina, fortiter, sed tamen prudenter, partes suas adimpleant pastores; præsertim vero apud eos alacriter agant, qui quomodocumque aliorum curam gerunt, vel auctoritate valent. « Omnes confessarios, pergunt ibidem Episcopi, » attentos volumus gravi huic puncto, in missionibus fortiter instent » concionatores et confessarii..... *accingimini accipite armaturam* » *Dei,.... scutum fidei..... et galeam salutis..... et gladium spiritus* (quod » est verbum Dei) *per omnem orationem et obsecrationem orantes omni* » *tempore in spiritu, et estote filii potentes..... ut pugnetis adversus* » *nationes has, quæ convenerunt adversus nos, disperdere nos et sancta* » *nostra..... quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala* » *gentis nostræ et sanctorum.* »

His monitionibus et ego obtemperans, pro modulo meo, laboravi, felix nimis futurus, si quid lectorum commodo, fidelium utilitati et saluti; Episcoporum fini et (quod maxime omnium cordi esse condecet), si quid Dei optimi gloriæ contulisse contigerit.

Quod si forte in obscuris, præsertim hujus VI. capitis quæstionibus, quas pensatis fideliter rationibus et auctoritatibus, pertractare studui, minus alicubi veritatem assecutus fuerim; nemini opiniones pro veritatibus obtrudere volens, paratus sum a quocumque, melius sapiente, doceri; si tamen non opinionem undecumque leviter arreptam; sed sententiam solidioribus prætulerit

[1] In rigore verborum ipsa biblia, vulgaribus linguis reddita, nec ab ecclesia probata, signari deberent; quoniam et ipsa legere aut retineri sine peccato fideles nequeunt. Quia tamen hujus prohibitionis sat Clara habetur passim notitia, forte consultius fuerit ab ejusmodi notis abstinere, ne detur ansa malevolis, calumniandi nos, et conturbandi simpliciores; quasi ecclesia libros sanctos proscribat.

[2] § 6. v.

rationibus fundatam. Hoc tamen monendum putem : plures quæstiones, in hoc opusculo tractatas, his præsertim diebus, non esse leviter lectorum vulgo submittendas.

Ceterum prælatorum votis et luctantium agonibus benedictione sua adsit omnipotenti, qui solus sapiens et potens; cui soli honor et gloria in secula seculorum!

ADNOTATIO *A* AD N^m 92.

Compendium historicum eorum, quæ circa Galileum, ejusque doctrinam, Romæ, seculi decimi septimi initio, gesta sunt.

Prænotandum. Quamquam proscriptio duarum propositionum Copernici et condemnatio personalis Galilei thesin nostram stricte non afficiant; quia tamen intime cum ea, quæ nobis objicitur, librorum, qui Copernicanum systema docerent, prohibitione sunt connexæ; et nisi illarum accedat notitia, decretorum indicis, quæ nobis opponuntur, indoles nosci nequit; visum est, totam causæ Galileanæ seriem, quoad potest, ipsis coævorum documentorum verbis enarrare; et tum paucis, quid de his censuris Romanis, statuendum sit, disquirere.

Rem hanc penitus ad lucem pertrahere, jam quidem sperandum haud videtur; quoniam authenticum s. congregationis inquisitionis fidei decretum, quo primum Copernicana hypothesis reprobata fuisse creditur, et quo omnia causarum Galileanarum acta nituntur, nec post duo secula et, qui supersunt, annos, apud ullum auctorem relatum aut in ullis regestis repertum, merito existimatur intercidisse: est tamen, quo paullo securius pedem defigamus; ex quo, curante Giamb. Venturi prodiere, *Memorie e lettere inedite finora, o disperse di Galileo Galilei.* (Ven. 2 vol. in-f. 1818) : quo opere, non solum privatum, Galileum inter et amicos, litterarum commercium exhibetur; sed plurima etiam panduntur documenta, hanc quæstionem nostram spectantia; eaque conformia actis causæ posterioris Galileanæ, anni 1633; in quibus pene cuncta recensentur, quæ annis 1615 et 1616, in priori ejusdem Galilei causa, gesta fuerant [1].

[1] Hæc acta, sub eversione rerum Romanarum, in Galliam asportata, ibique iterato rei Gallorum civilis turbine loco mota, penitus deperdita credebantur, (*Revue de Brux.* t. 1, p. 73) : magnam tamen partem, Gallice translata, reperta jam dudum fuerunt; eaque a cl. Delambre, Parisiis, scientiarum academiæ a secretis, laudatus Venturi, testatur ad se fuisse transmissa, cum jam operis sui tomum secundum ad pag. 197^am perduxisset. Complectuntur autem hæc acta posterioris causæ Galileanæ historiam, inde ab ejusdem initio, ad 30^am usque Aprilis 1633; eaque cum iis, quæ suo jam recensuerat libro, conformia ibidem testatur Venturi : cujus fidem simul atque actorum integritatem, hoc ipso manifestam arbitramur; quod edita a cl. viro documenta satis consentiant iis, quæ apud auctores, ante illum diligentissime in præsenti controversia versatos, occurrunt; ipse vero tam quæ certis personis favere, quam quæ iisdem adversari creduntur, eadem fide referre videatur, et accurate citet eos, ex quibus documenta sua depromit, fontes publicos.

Ex his porro fontibus, et iis, quæ apud auctores, quæstionem hanc studiosius tractantes, occurrunt, totam Galileanæ causæ historiam, sequenti modo, resumi posse crediderim:

N. 1. Jam a medio seculi XV[i] Nicolaus Decusa, postea Cardinalis, in libro, quem inscripsit, *De docta ignorantia;* tradiderat solem immotum persistere; terram autem, motu diurno, moveri. Eadem vero hypothesis, favente Roma [1], in libro, *De revolutionibus orbium cœlestium*, latius evoluta, novisque argumentis commendata fuerat, ante medium sec. XVI, a Copernico, a quo et Copernicani systematis nomen traxit. Exinde autem Romæ publice in disciplinis physicis docebatur.

Copernicus illud suum systema asseruit conforme ss. Bibliis [2]; immo primus jam illud tractare cepit, non ut meram hypothesin; sed ut veritatem exploratam atque certissimam [3]; quæ tamen, pro illo scientiarum statu, confidentius fuisse scripta, evincit cl. De Lambre [4].

[1] Liquet : *Le nouveau conservateur*, t. II. p. 198, et Tiraboschi : *Letteratura ital.* vol. VIII.

[2] Constat tum ex litteris P. Dini, ad Galileum datis, 2 maji 1615, apud Venturi, t. I, p. 221 ; tum ex ipsa Copernici, Paulo III operis dedicationem deferentis, præfatione ; ubi in pericope, a s. congregatione resecta, de systematis sui adversariis ait : « Qui cum omnium mathematicorum ignari sint ; tamen de illis judicium » sibi sumunt, propter aliquem locum scripturæ, male ad suum propositum de» tortum. »

[3] Aliter quidem fuit existimatum a Galilei adversariis. Verum ut putabant illi, se haud res habent. Copernicani enim systematis asseclæ illud a magistro suo in certis repositum merito contendebant. Quod ipsum et s. indicis congregatio indubitatum habuit ; ut liquet ex hisce verbis decreti, quo an. 1620 librum Copernici, *de revolutionibus orbium*, purgari mandavit, purgatumque indulsit : « Quumque scripta Nicolai Copernici, nobilis astrologi, *De mundi revolutionibus*, » prorsus prohibenda esse Patres s. congregationis indicis censuerunt ; ea ratione, » quia principia de situ et motu terreni globi s. scripturæ ejusque veræ et catho» licæ interpretationi repugnantia (quod in homine Christiano minime tolerandum est) non per hypothesin tractare ; sed ut verissima adstruere non dubitat ; » nihilominus, quia in iis multa sunt reipublicæ utilissima, unanimi consensu, in » eam iverunt sententiam ; ut Corpernici opera, ad hanc usque diem impressa, » permittenda essent, prout permiserunt ; iis tamen correctis, juxta subjectam » emendationem, locis, in quibus, non ex hypothesi ; sed asserendo de situ et motu » terræ disputat. » Extat integrum decretum in libello, cui titulus : *Librorum post indicem Clem. VIII prohibitorum decreta*, Romæ, ex typogr. rev. Cameræ ap. 1624. (In bibl. oppidi Lov. ad calcem indicis, in lucem missi, curis Magdaleni Capiferrei.

Et quid mirum, cum clara esset laudata Copernici præfatio ? En ipsa ejus verba : « Quanto absurdior plerisque nunc hæc mea doctrina de terræ motu videretur ; » tanto plus admirationis atque gratiæ habitura esset ; postquam, per editionem » commentariorum meorum, caliginem absurditatis sublatam viderent *liquidissi*» *mis demonstrationibus.* » Ex quibus patet a vero aberrare auctores illos ; qui Galileum omnium primum hanc hypothesim, ut certam, asseruisse scripserunt.

[4] *Revue de Dublin*, 1836 juillet, statim post principium præclaræ, quæ ibidem a p. 72, texitur, super hac quæstione, dissertationis. In laudanda lucubratione

Initio seculi XVII idem systema propugnandum propagandumque suscepit Galileus Galilei filius, Florentinus, Copernici discipulus; qui, cum esset homo indomiti ardoris [1], mirum non est, quorumdam eum excitasse zelum indiscretum, fortassis etiam invidiam; non quod primus illud tamquam certum proponeret, quod voluerunt quidam [2]; nec præcise quod illud e Scriptura stabilire aut in dogma erigere contenderet, ut aliis placet [3]; sed quod illud insolentius propugnaret, cum typho, jactans, quæ ad illud firmandum, investigasse et reperisse semet aiebat, naturæ phœnomena. Hæc, ut aiebat ille, cogebant scripturam, quæ nec Ptolemeum, nec Copernicum sonat, utpote utriusque satis sententiæ accommoda, e recentiorum explorationum norma interpretari.

Delatus Romæ fuit, an. 1615, a quodam Dominicano, Lorino; qui cum argumentis deficeret, s. Inquisitio, ne citato quidem Galileo, supersedit negotio, hoc uno expresso voto: expedire; ut Galileus abstineret ab interpretandis scripturis; quæ alterius sint palæstræ, aliorumque adeo cultorum judicio relinquendæ.

Constat ex litteris, eo tempore, a Petro Dino ad Galileum datis [4], conclusum fuisse ex hoc s. Inquisitionis processu; quod Copernicanum systema, ut hypothesis defendi posset [5].

2 Galileus nihilominus illud suum systema omni promovit industria

illa paginas citare haud possum; quia usus sum versione ejusdem Gallica manuscripta, quæ eodem paginarum ordine non erat distincta.

[1] Talem eum exhibent litteræ, super hoc negotio recensitæ apud Venturi, t. I. passim: nominatim vero testimonium Guicciardini legati Toscani, in suis ad Ducem Toscanum, de Galilei negotio, litteris, p. 267.

[2] *Revue de Dublin*, l. c, et in miscellaneis: *Revue de Brux.* (nouv. sér. déc. 1847, t. IV. p. 491, 506 et 509), vicecomes De Falloux, post eruditum ecclesiæ Anglicanæ virum, Dav. Brewster, in opere, *The martyrs of science, or the lives of Galileo, Ticho Brahe and Kepler.*

[3] *Le Nouveau Conservateur*, t. IX, p. 159, et cl. Feller, post Mallet Du Pan, in collectaneis: *Journ. hist. et litt.* 15 mai 1785. p. 113.

[4] Apud Venturi, t. I. p. 221, *litt.* 2 *maji* et in *Revue de Dublin*, idem constat ex epistola cujusdam religiosi S. J. data, 11 apr.

[5] Referunt quidem plures, quorum fidem etiam secutus est cl. Bergier, accusatum fuisse Galileum a p. Scheiner, S. J; sed hoc ad fabulas ablegandum ostendit, *Journal historique et littéraire*, 1er mai 1782. p. 32.

Etiam d. vice-comes de Falloux. (*Revue de Brux.* nouv. sér. t. IV. p. 508), primam apud inquisitionis tribunal incriminationem motam dicit a p. Caccino, Dominicano; eamque refert ad tempus anno 1615° anterius. Non memini apud ullum auctorem id legisse. Sed hoc passim, quemadmodum et ap. d. De Falloux, legitur: patrem Caccinum sat prompte in Copernicanum systema e cathedra fuisse invectum, citatis leviter his *actuum Apost. verbis: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* Interim utut res sit; nihil inde mutatur hujus historiæ substantia; cum nihil omnino sit, quod prodat, quidquam eo in negotio a ss. congregationibus fuisse statutum, ante spontaneum Galilei in urbem adventum; qui demum ad finem an. 1615 locum habuit.

et indomiti characteris energia; quamvis apud plures male audiret; accusatus maxime, quod novam induceret interpretationem locorum scripturæ, qui ipsi adversari putabantur. Galileus ergo non citatus et a nemine coactus, sed omnino sponte [1], versus finem anni 1615 Romam sese purgaturus, doctrinamque suam propagaturus, advenit. Æmuli ejus jam non doctrinam ejus juridice denuntiabant; sed palam discurrendo astrologum nostrum impetebant : ipse autem mox, aut in urbem pervenit, plures invisit s. collegii eminn. Dominos; a quibus ita fuit singulariter habitus; ut 16ª febr. 1616, ipsemet ad amicum Picchenum perscriberet, se jam posse tuto suos penates repetere [2].

Sed non destitit homo ardentis genii, molitus obtinere, ut systema suum s. paginis declararetur consonum. Hunc in finem animos incendit Cardinalis Orsini; qui aliquando, media s. Inquisitionis sessione, cum gravissima negotia tractarentur, Galileum Pontifici commendavit : quo monente, ut Galileo suaderet, Copernicanam missam facere opinionem; acrius instetit ille. Tum respondit s. Pontifex, Paulus V. « Se remissurum » negotium dd. Cardinalibus s. Officii; et profecto Orsino, accersivit » sua Sanctitas Bellarminum; et re discussa, conclusum, ait Guicciar- » dini [3]; quod opinio Galilei esset erronea et hærctica. » (Cfr infra n. 13, coroll. 2ᵐ.)

3 Nihil tamen vel levissime suadet legitimum doctrinæ judicium ante primos martii dies latum fuisse: verum de ipso Galileo actum fuit in sessione s. inquisitionis, 25 febr.; in qua coram Sanctissimo, decretum fuit : « Em. d. Cardinalem Bellarminum intimaturum tibi (ad Galileum » loquitur Cardinalis de s. Onuphrio in sententia an. 1633) omnino *de-* » *serere doctrinam falsam;* quod si recusares, a Commissario s. Officii » tibi injunctum iri, desercre dictam doctrinam, et non posse eam docere, » defendere aut tractare. » Quod et exsecutioni datum fuisse declaratur eodem loco his verbis : « et tibi a p. Commissario s. Officii, istius tem- » poris, datum præceptum, coram notario et testibus; quod omnino de- » beres deserere dictam *falsam opinionem;* et quod deinceps non tibi » liceret amplius eam defendere, aut quovis modo docere neque voce » neque scripto [4]. »

[1] Hoc contra modernum Drinkwater in miscellaneis, *Revue de Dublin*, constat ex litteris magni Ducis Toscani, ipsiusque Galilei, apud Venturi, t. I, p. 257. Ceterum esto etiam, quod ex adversariorum ejus delatione ortum sumpisset causa (quod cum nullis documentis coævis probetur, ex sola æmulorum ejus, Romæ præsentia collegerint quidam), id judicii, de ejusdem systemate ferendi, substantiam nihil quidquam immutat.

[2] Ap. Vent. t. I. 264.

[3] Litteris 4 mart. 1615 ad magnum Ducem Toscanum, ap. Vent. 1. 167.

[4] Apud Venturi, t. II, p. 173; cujus documenti ex laudatis ibidem fontibus, integra prorsus fides videtur. Patescit autem, ex verbis hic laudatis, a veritate

Nulla vero eidem imposita aut pœnitentia, aut ipsius etiam doctrinæ revocatio : cum enim id Galileo objicerent ejusdem adversarii ; Card. Bellarminus declaravit : « Solum ei denunciatam declarationem factam a » s. Domino, et evulgatam a s. Congregatione indicis; in qua contine- » batur : doctrinam adscriptam Copernico, quod tellus moveatur circa » solem; sol vero centrum occupet universi; quin ab oriente ad occiden- » tem moveatur; sit contraria s. Scripturis et proin non possit defendi » nec teneri [1]. »

4 Scribit dein, loco cit., 4 mart. 1616, laudatus Guicciardinus : « Ut » inaudio, nudiustertius habita Congregatio, ut (opinio Galilei) declara- » retur talis (scil. hæretica), et Copernicus aliique auctores, qui eamdem » tenent sententiam aut corrigentur aut prohibebuntur. » Talis tamen, quod certis postea docebimus argumentis, eo s. Congregationis consessu (cujus decretum neque apud ill. Sotomajor in decretorum, de libris vetitis, collectione; neque apud alios auctores obvium, merito deperditum creditur) haud fuit declarata; ut forte vel hinc juste in suspicionem vocarentur, quæ idem Guicciardinus enarrat, prætensæ definitionis, Pontificem inter et Card. Bellarminum, præambula; quæ facile ex iis, quæ mox proferenda sunt, factis, potuerunt conjici; et, pro illo scientiarum physicarum statu, leviter admitti.

Aliquod tamen decretum a s. inquisitionis Congregatione conditum fuisse, quo Copernicanum reprobaretur systema; negari posse non videtur; tum ob fidem omnium publicam; tum ob varia documenta, quæ, seq. numero, proferentur. Videntur namque emissa deinceps, ea in re, statuta, unice in exsecutionem præfati decreti fuisse data. Quid autem illo contineretur; felicius, saltem quoad substantiam, colligere licebit; cum alia, quæ brevi secuta sunt, documenta expenderimus.

Hoc notandum statim est; hunc s. Congregationis consessum, ex præfixo Guicciardini litteris die, locum habere debuisse, secunda martii; quæ isto anno præcise incidebat in feriam IV. Constat autem Pontificem so-

historica, post Mallet du Pan, aberrare cl. Fellerum (*Journal hist. et litt.* 1785, 5 mai. p. 116) ubi exhibetur Cardinalis Bellarminus solummodo vetare, ne prætensam systematis cum sacris Scripturæ textibus conformitatem propugnaret; quin ulla fieret ipsius hypotheseos physicæ proponendæ inhibitio.

[1] Ap. Venturi, t. I. p. 273, ex bibliotheca Nelliana. Ex ultimis autem hujus declarationis verbis patet, quousque, ut vera, admitti possit hæc assertio d. vice-comitis De Falloux : « L'inquisition condamna juridiquement cette première tentative » de compromettre les saintes Écritures dans les querelles scientifiques, et lui » imposa le serment de ne plus se le permettre à l'avenir. Ce fut le cardinal Bel- » larmin, qui reçut cet engagement de ses mains, lui garantissant en retour, par » une sorte de reconnaissance écrite, qu'il pourrait en sûreté, désormais, pour- » suivre ses recherches *purement astronomiques*. » *Revue de Brux.* nouv. série, t. IV. p. 509.

litum assistere solis iis s. Inquisitionis consessibus, qui feria V celebrabantur [1].

Hanc vero legitimam, absentis a conventu 2dæ martii Pontificis, præsumptionem, historice confirmat cl. Tiraboschi, *Letteratura Italiana*, vol. 8, in 2da, super hoc facto dissert. apud Venturi, t. 1, p. 273. Caute igitur audiendus est auctor coævus, Querenghus, qui paullo post, 5 martii, ad quemdam Cardinalem scribebat; quod declarasset s. Officium seu s. Inquisitionis Congregatio : *sustinere istam opinionem esse manifestum ab infallibilibus ecclesiæ dogmatis dissensum* [2]; id, quod jam promisimus probare ab spurio incremento non esse alienum [3].

5 Refert autem em. d. Cardinalis de s. Onuphrio loco cit., quod, cum vellet sacrum inquisitionis tribunal obviare incommodo « ac damno, » inde (ex tua Galilei doctrina) oriundo et in detrimentum sanctæ fidei » latius proserpenti, de mandato s. Domini et eminn. dd. Cardinalium » hujus supremæ et universalis Inquisitionis, a censoribus theologis cen- » suratæ fuerunt (an. 1616) duæ propositiones de immobilitate solis et de » motu terræ. Hoc est : *quod sol sit centrum mundi et immobilis motu* » *locali*, est propositio absurda et falsa in philosophia et formaliter hære- » tica; quia expresse contraria s. scripturæ.

« *Quod terra non sit centrum mundi nec immobilis; sed quod moveatur* » *etiam motu diurno*, est similiter propositio absurda et falsa in philoso- » phia; et theologice spectata, adminus erronea in fide. »

Addit, eodem l. Card. de s. Onuphrio, (idem sane quod supra in declaratione sua referebat Card. Bellarminus, exhibens) quod sequitur : « Ut » penitus tolleretur tam perniciosa doctrina, et non ultra proserperet, in » grave catholicæ veritatis præjudicium, a s. Congregatione Indicis pro- » diit decretum, quo prohibebantur, qui istam doctrinam tractabant, » libri; ipsa vero doctrina declarata falsa et omnino contraria s. Scrip- » turæ [4]. »

Decretum hoc Congregationis indicis ita sonat : « Quia etiam ad noti- » tiam præfatæ s. Congregationis pervenit, *falsam* illam doctrinam Py- » thagoricorum, *divinæque Scripturæ omnino adversantem*, de mobilitate

[1] Conf. Ben. XIV. const. *Sollicita*, quæ passim præmittitur indicibus librorum prohib.

[2] Apud Venturi, t. I. p. 269.

[3] Narrat quidem cl. Feller, *Dict. hist. Galilée-Galilei*, jam ab an. 1611, a s. Inquisitionis Congregatione confectum fuisse decretum contra Copernicanam doctrinam. Verum cum id apud nullum alium auctorem inveniam; nec simile decretum prostet apud ill. Sotomajor; neque in ullo memoretur documento coævo; procul dubio supponendus est anni error, aut lapsui memoriæ, aut amanuensis negligentiæ aut mendo typographico tribuendus et Felleri assertio accipienda est de decreto s. Congregationis inquisitionis fidei, anni 1616, quod modo diccbamus intercidisse; a Querenghio vero falso explicari.

[4] Apud Venturi, t. II, p. 172.

» terræ et immobilitate solis..... jam divulgari et a multis recipi, ... cen-
» suit : dictum Nicolaum Copernicum : *de revolutionibus orbium,* et Di-
» dacum a Stanica, *in Job,* suspendendos esse, *donec corrigantur;* librum
» vero p. Pauli Foscarini, Carmelitæ, omnino prohibendum; *atque omnes*
» *alios libros, pariter idem docentes, prohibendos; prout præsenti de-*
» *creto omnes respective prohibet, damnat atque suspendit.* In quorum
» fidem præsens decretum manu et sigillo ill. ac rev. d. Cardinalis sanctæ
» eccl., Episcopi Albanensis signatum fuit, die 5 Martii 1616 [1]. »

Anno vero 1620 s. Indicis Congregatio publici juris fecit correctiones; sub quibus, damnatus Copernici liber deinceps permitti posset : correctiones autem illæ eo videntur collimare; ut systema Copernicanum tolere-tur, ut mera hypothesis; nullatenus proponatur, ut veritas demonstrata [2].

Fuerunt autem indici librorum prohibitorum insertæ præfatæ Congregationis indicis sententiæ; et in eodem conspicuæ remansere; donec a Benedicto XIV totum, quod de his libris erat, supprimeretur decretum [3]; licet jam ante ipsum erasa fuisset generalis hæc decreti clausula : *atque omnes alios libros, pariter idem docentes.*

Monente etiam s. Inquisitionis Congregatione, ut omnes se conformarent veritati, variis locis, denuntiata Congregationis, in Copernicanam doctrinam, sententia est [4].

6 Nihilominus scripsit post hæc, ann. 1633, ipse Galileus [5]; quod s. Congregatio unice *decrevisset, hypothesin in bibliis ss. minime fundatam esse* (decreverat, contrariam scripturis) et quod etiam post damnatum, de quo mox sermo erit, suum dialogorum librum, suæ de terræ motu doctrinæ Romæ palam, favente vaticani bibliothecario, tolerarentur. Immo coram

[1] Apud Vent. t. 1. p. 268, et in indice ill. ac rev. Antonii a Sotomajor, parte 2. p. 208. (In bibl. oppidi Lovan.)

[2] Huc spectat, quod pro to : *motus* substituatur *hypothesis... motus;* quod, mota hac libri 1. c. XI inscriptione : *de triplici motu telluris demonstratio,* inducatur hæc alia : *de hypothesi triplicis motus terræ ejusque demonstratione;* ut videre est in exemplaribus, jussu Congregationis indicis expurgatis; etiamnum exstan-tibus; quale obvium mihi factum fuid apud cl. d. Waterkeyn, doctissimum in facultate scientiarum professorem. Hujus decreti initium dedi supra n. 1, in adnot.

[3] Testatur hoc d. Delambre in : *Revue de Dublin,* et Venturi, t. I, p. 274. Debet ergo laudatus Pontifex decretum illud suppressisse post suam indicis editionem, an. 1758 adornatam, in qua præfata adhuc recensentur opera. Hoc certum, quod modo in ultima editione Rom. et in Mechlin., ex illa expressa, non inveniantur. Talem vero suppressionem pro operibus, quæ regulis generalibus non comprehen-duntur, revocationi æquipollere, dubium esse non potest; dum sciunt Pontifices authenticam suorum indicum copiam ab omnibus, et quidem merito, haberi ut absolutissimum omnium, quæ in vigore sunt, prohibitionum catalogum.

[4] Ap. Vent. t. II. p. 274. Ubi et nuntius apostolicus, Bruxellis commorans, per litteras an. 1633, Corn. Janssenium, prof. Lov., monet; ut ceteros quosque istius universitatis professores, edoceat; Copernici sententiam sacris paginis pror-sus repugnare.

[5] *Nouveau Conservateur,* t. IX. p 160 et 162.

ipsis judicibus suis, nemine reclamante, opinionem suam exhibuit, ut condemnatam ad tempus [1]. Addit Delalande, qui, utpote atheismum aparte profitens, non Pontifici aut Congregationibus nimium censendus est detulisse : « Semper licuisse, etiam Romæ, systema Copernicanum » amplecti, ut hypothesin [2]. » « Juxta Buonamici vero, decretum pon- » tificium [3], cum eo redactum fuit moderamine; ut ordinaretur, non » posse defendi, nec teneri systema stabilitatis solis et mobilitatis terræ; » eo quod *videretur* contrarium Scripturæ [4]. » Sua etiam, quod ex Card. Bellarmino jam vidimus, relicta Galileo sententia est; modo eam homo ardens, et in præconcepto semel proposito nullum tenens modum, non doceret.

Cum anno 1630, quodam die, p. Ciampanella retulisset s. Pontifici, Urbano VIII, convenisse ipsum quosdam hæreticos Germanos; qui sat bene ad fidem catholicam dispositi viderentur; illos autem aversos fuisse propter condemnationem systematis Copernicani; respondit illico sua Sanctitas; quæ olim sub nomine Cardinalis Barberini Congregationi s. Officii seu Inquisitionis, in dicti systematis reprobatione, præsens adfuerat : « Talis numquam fuit nostra intentio; quod si per nos stetisset, » non fuisset factum decretum [5]. »

Testatur quoque Buonamici (l. c.), systema Copernicanum, in prædicta Congregatione, in qua emm. Cardinales Maffeum Barberinum et Bonifacium Gaëtanum suffragantes inducit, nequaquam fuisse declaratum erroneum aut hæreticum.

Insequenti etiam anno, idem s. Pontifex, agens cum Card. Zoller, hæreseos notam a dicta Copernici opinione amovit dicens : est solummodo temeraria [6].

Durissimæ quoque illius censuræ inustionem longissime ablegant leviores, quas vidimus, operi Copernicano a s. Indicis Congregatione inductæ mutationes; nec minus honores favoresque tum eodem illo condemnationis tempore, systematis asseclis et Galilei discipulis impensi; tum serius promoto, ad sedem Pontificiam, Urbano VIII, ipsi Galileo ejusque amicis singulariter impertiti [7].

[1] *Revue de Dublin*, ex documentis citatis a d. Delambre, p. 75.

[2] *Nouv. Cons.* t. IX, p. 160 et 161.

[3] Decretum hoc videtur esse decretum s. Congregationis indicis, supra citatum, n. 5 : nullum enim decretum proprie pontificium, in hoc negotio nobis prodit historia. Decreta Romana sæpius a Pontifice appellari, notum est; quia illius nomine vel auctoritate emittuntur.

[4] *Revue de Dublin* post medium; apud Vent. t. II. 178 in relatione causæ, quam citatus Gianfr. Buonamici, Galilei in causa an. 1633 patronus, exaravit.

[5] Ap. Vent. t. II. p. 113.

[6] *Revue de Dublin.*

[7] *Revue de Dublin,* post medium, et Venturi, t. II, p. 205; ubi ipse Pontifex sollicitum se præbet de tempestiva persolutione pensionis, Galileo, subdito ducis Toscani, liberalissime constitutæ.

7 Galileus autem (quia suis tumens, placitis et ob prohibitionem anno 1616 sibi factam, animo exacerbatus [1], continere se haud valebat) beneficiis injuriam rependit : adversus eos, nempe, quos olim judices erat expertus, calumniam parans, librum exaravit inscriptum : *Dialogus Galileo-Galilei de duobus præcipuis mundi systematis ; Ptolemaico et Copernicano*. In quo, ut fassus ipse postea fuit [2], altercando inter varias disputantium partes, ita subtiliter utriusque sententiæ temperavit momenta ; ut, cum ipse videretur suspicere eam, quæ Roma emanaverat sententiam, opinio tamen contraria apud lectorem vinceret. Immo eodem libro in præcipua dialogi persona, Simplicio, reproduxit et excussit eas, quas ipse s. Pontifex, olim illi familiaris et amicus, nunc autem et Mecænas ejus, in privatis conversationibus systemati opposuerat rationes [3]. Hanc vero lucubrationem suam, obtenta subreptitie approbationis censura, in lucem protrusit an. 1633. Tunc merito, puto, Urbanus VIII, injuriam, Sedi apostolicæ et eminn. Dominis illatam, vindicandam judicavit. Ejus igitur mandato, Inquisitionis Congregatio Galileum citat et interposita juramenti religione [4] ipsum reum ad confessionem adigit. Nihilominus (miram utique supremi tribunalis clementiam !) unice de prævaricatione mandati, Galileo olim, an. 1616, injuncti, et de subrepta, per reticentiam factæ sibi, ullo modo eam suam opinionem docendi, prohibitionis, censura reum agit [5] : excusavit ille quod, superfluum duxisset de isto mandato monere; et quod, cum in sententia declaratoria Cardinalis Bellar-

[1] Id ex variis Galilei scriptis deducit vice-comes De Falloux, l. c. p. 514.

[2] In relatione Card. de s. Onuphrio, apud Venturi, t. II, p. 173, V *Confessasti*.

[3] *Conservateur*, t. IX. 392 ; *Revue de Dublin ; Venturi*, t. II, p. 193. Et certe ipsum s. Pontificem sub arcadico Simplicii nomine exhibitum a Galileo fuisse, et alios pariter, in priori causa, judices ipsius, sub jocosa imagine, traductos fuisse, fatebitur ; quisquis in Dialogi exitu conspexerit fictos systematis Copernicani defensores, post producta validissima suæ opinionis argumenta, subito ad Simplicii vocem, mystico correptos silentio, conticescere. His expensis, necessarium non est, cum pluribus gratis supponere æmulorum Galilei apud Pontificem criminationes ; ut rationem ineamus mutati Urbani VIII in Galileum animi. Quid enim ? quia olim familiaris Pontifici, licebit impune traducere s. inquisitionis judices et venerandos semper, etiam cum humanæ imbecillitatis, falli haud nescii, argumentum præberent, ecclesiæ Cardinales ?

[4] Ita textus latæ in Galileum sententiæ. Quod notandum contra malignas quorumdam insinuationes ; quasi adhibita tormenti quæstione, confessio fuisset extorta. Vent. l. c. Quando igitur in sententia condemnatoria leguntur voces, *rigorosum examen*, eæ ex aliis contextus verbis intelligendæ sunt ; eo etiam magis, quod benigna cum Galileo agendi ratio, ut ait d. Biot (*Biogr. univ.* t. XVI, p. 327) omnem severitatis suspicionem procul amoveat. Eamdem tormenti quæstionem validissimis argumentis explosam vide apud vice-comitem De Falloux, *Revue de Brux.* nouv. sér. t. IV, p. 524.

[5] Hæc sola profertur judicii causa, tum in ipsa, contra Galileum lata sententia ; tum alibi. Cfr litteras Galilei ad Renieri, ap. Venturi, t. II, p. 181. Alii vitiose, ut videtur, legunt *Receneri*.

mini suppressæ fuissent voces *quovis modo* et *docere ;* ipse post tanti temporis lapsum, terminorum fuisset oblitus.—At repostum : quod, cum dicta Bellarmini declaratio assereret, opinionem esse *contrariam Scripturæ*, in damnum et judicium suum, eamdem tractare et defendere, et probabilem suadere fuisset ausus [1].

Præsupposito itaque mandato anni 1616, condemnatus fuit Galileus, ipsiusque liber improbatus; non solum, qua in s. Sedem et ss. Congregationes injurius; sed etiam qua doctrinalis : « Nullo enim modo, ait » sententia condemnatoria, probabilis potest esse opinio, quæ declarata » fuit contraria divinis Scripturis [2]. »

8 Ipse Galileus damnatus ut « vehementer suspectus hæreseos, ait sem- » per eadem s. Inquisitionis sententia, quia crediderat et tenuerat, doc- » trinam *falsam et contrariam s. scripturis; quod sol sit centrum uni-* » *versi et non moveatur ab oriente in occidentem ; et quod terra moveatur* » *et non sit centrum mundi;* et quod possit teneri, defendi, tamquam » probabilis opinio, quæ declarata fuit ac definita contraria esse scrip- » turæ s.;... et consequenter incurreris (ad Galileum sermo dirigitur) cen- » suras omnes et pœnas a ss. canonibus et aliis constitutionibus genera- » libus et particularibus in similiter delinquentes impositas et promulgatas; » a quibus, aiunt Patres, volumus, ut sis absolutus, modo corde sincero » et fide non ficta, coram nobis abjures, maledicas ac detesteris supra- » dictos errores et hæreses..... juxta normam quam tibi præscribemus. »

Subnectitur, loco citato, formula retractationis Galileo proposita, et ab eodem subscripta et juramento firmata; quæ verbotenus ex tenore citatæ modo sententiæ erat exarata.

Pro justa autem juris, in simili delicto, pœna, mulctatus fuit Galileus carcere; sed cui judicis clementia, pro sontis ætate et in scientiis merito, non dico amaritudinem et duritiem; sed et fastidium omne ademit; ut ipse Galileus copiosissimus nobis est testis [3].

[1] *Revue de Dublin*, et ap. *Vent.* t. II. 173 et 193.

[2] Ap. *Vent.* l. c. 172.

[3] *Epist. ad Renieri* ap. *Venturi*. t. II, p. 181 ; *Nouv. Conserv.* t. IX. p. 161 et 392; ubi immo liquet deliciarum loco fuisse Astronomo nostro suam, apud intimos amicos, detentionem. Ecce, inhumanum, qui, seculo elapso, quamplurimis scriptoribus bilem movit tantasque in Pontificem et Congregationes invexit criminationes, cum insigni viro agendi modum!

Veridicos sane scriptores, et, omni fide dignissimos; qui cum miserantur monumentorum deperditionem, ipsi benigne supplere dignantur! Facta congerunt; verba etiam, syllabatim personis affingunt; et quasi ex antiquis, quæ tamen minutim, non citare affectant, hausta documentis, in medium proferunt! Felices nimium, si quod tam audacter credulo afflarunt lectori, nullo evertatur documento! Ceterum si fuisset etiam durius habitus, post tam atroces in Pontificem et Cardinales injurias; quis justas irrogari, pro delicto, pœnas, merito in crimen ducat? Ceterum minutim rem inspiciamus. Detentionem causæ discussioni et diremptioni præviam, fuisse humanitate singularem, ap. cl. Fellerum (*Journ. hist. et litt.* 1785,

Quoad librum ejus statutum fuit : « Ut edicto publico prohiberetur. » Et reapse anno seq. 1634, die 23 aug. a s. Indicis Congregatione prodiit decretum [1], quo inter alia, etiam præfatum opus proscribitur; quod etiam in indice librorum prohibitorum remansit, saltem usque ad tempus Ben. XIV, cujus adhuc indice continebatur : hodie tamen ex indice jam est erasus [2].

9 Enarrata nunc tota rei Galileanæ historia, ut determinatum quid circa decretum s. Congregationis inquirendæ fidei, quod deperditum creditur, amplecti, opinando, valeamus; removenda statim ea sententia videtur; qua statuunt nonnulli : Copernicanum systema reprobatum *tantummodo* fuisse, qua illud in scripturis fundatum assereret Galileus, hypothesimque suam (neque aliud tum erat) ut novum fidei punctum doctrinæ theologicæ conaretur inferre. Ita post Mallet du Pan, cl. Fellerus, (in collectaneis, *Journ. hist. et litt.*, 15 mai 1785, p. 113) et auctor lucubrationis insertæ collectaneis, *Nouveau Conservateur* (t. IX, p. 159).

Hanc opinionem, ut notat *Revue de Dublin*, penitus removere videntur, quas edidit Venturi (t. I, p. 203), litteræ, datæ 21 dec. 1613. His enim litteris, non solum reprobat; sed et vehementer impugnat Galileus eos, qui in conclusionibus naturalibus, argumentorum loco, textus scripturæ s., sæpe etiam male intellectos, in medium proferunt; dum scriptura, ait, plures sæpe patitur sensus, etiam a prima littera alienos; in

15 mai, p. 117) manifestum est. Certum ex litteris coævis est, ait d. Biot (*Biogr. univ.* t. XVI. p. 327), etiam non obstante sententiæ judicialis tenore, quæ pro more carcerem memorat s. Officii, concessam eidem fuisse habitationem superiores apud s. Tribunal administri (Fiscal); ubi et qui Galileo inserviebat famulus, præsto erat; et amplissima illi agendi circumeundique tributa fuit facultas. Ita ex litteris, quibus Niccolinus, ducis Toscani, cui Galileus domicilio subjectus erat, Romæ orator, 16 apr. 1633. suum, de rerum statu, gubernium edocet. (Ap. Vent. t. II.) De pœna vero a s. Tribunali inflicta, idem 22 jun. ejusdem anni nuntiat; quod ipso condemnationis die, sua Sanctitas sententiæ carcerem commutasset cum relegatione ad hortos *Trinita de' monti*. Et 10 jul. scribit; profectum jam Galileum, permittente Pontifice, ad ill. Archiep. Senensem Piccolimini, amicum ipsius. Cfr *Revue de Brux.* nouv. sér. (t. IV, p. 519); ubi d. Brewster, eruditus Anglicanus, utut, pro suo in ecclesiam Romanam odio, ibidem manifesto, reprobans s. inquisitionis tribunal, rerum evidentiam fateri cogitur : « Nous devons admettre » que dans cette occasion les délibérations ne furent pas dictées, par la passion, ni » son pouvoir dirigé par la vengeance. »

[1] Prostat in indice Sotomajor, l. c. p. 235.

[2] Non est quod triumphum agant hostes ecclesiæ; quum simile decretum prohibitorium serius revocari contingit. Certe nemo ullus negaverit; justas fuisse causas, ob quas hujusmodi liber in indicem mitteretur; eoque detineretur in perpetuum. Verum benignius agere postea consultius duxit sedes apostolica; cujus, ut ait Paulus IV, in quodam suo diplomate (in bullario magno sub, n. 37.) « Pro» videntia circumspecta nonnumquam ea, quæ consulte statuerat, ex saniore judi» cio, consultius revocat; prout ex rerum eventu conspicit in Domino salubriter » expedire. »

quorum delectu facile aberraverit, qui sic interpretari præsumit : quod ubi acciderit, jam pro sua, auctoritatem divinam invocandi, prurigine, obligabitur ille, ut veras propugnare conclusiones illas naturales, *quas forte experientia aut ratio falsas aliquando convincet.* Natura, ait, et effectus ejus nullam admittunt captui hominum accommodationem, metaphoram nullam : has tamen in bibliis passim reperiri persuasum habent omnes : quare inquit, *cum et scriptura s. et natura ab eodem verbo Dei promanent, et impossibile sit; ut duæ veritates sibi contradicant* « viden» tur effectus naturales, quos aut certa experientia, aut necessaria stabi» livit demonstratio, nullatenus in dubium revocandi propter loca quæ» dam Scripturæ, in diversissimos, cavillando, sensus distorta; quia non » omne dictum Scripturæ tam severis adstringitur legibus, quam effectus » naturales. »

Hæc, quoad sensum, conveniunt iis, quæ consultus desuper, an. 1612, 12 jul. eidem Galileo responderat Card. Conti : quod possit dici, scilicet, scriptura loqui more vulgi, quando dicit, solem gyrare et cœlos moveri; » qui tamen modus, ait, non est admittendus, sine urgenti necessitate. » Conveniunt item cum verbis Card. Bellarmini; qui, teste p. Grassi, aiebat, alio novoque modo explicandas fore scripturas; quando motus terræ foret demonstrative probatus. (Vide hæc duo testimonia in, *Revue de Dublin.*) Hanc porro urgentem necessitatem, et probationem demonstrativam jam haberi, non primus, sed præ magistro suo Copernico, insolentius jactabat Galileus : ideoque ab aliis non idem illico sentientibus, vapulabat, et temere scripturas detorquere dicebatur.

Recentius quidem post editam lucubrationem *Revue de Dublin* non minimi nominis auctor contendit, eam fuisse Galilei præsumptionem; ut ipsum Pontificem sententiæ suæ, utpote scripturis nixæ, quasi ex cathedra, promotorem voluisset. « Il entreprit de prouver théologiquement » qu'il (le système de Copernic) est *fondé sur* l'écriture. Il exigeait que le » Pape en fît presque un dogme [1]. Laudat eam in rem cl. scriptor litteras, quas Guicciardinus, legatus Toscanus, 4 martii 1616, dedit ad ducem Toscanum, (non ad ducissam, ut male vertunt quidam, cum articulus Italice masculini sit generis *al granduca*). Verum qua ratione id ex allatis litteris extundi possit; non video. Enimvero (apud Venturi, t. I, p. 267) manifestus quidem apparet nimius Galilei tumor, tantaque ejusdem præsumptio; ut, cum plures pateretur æmulos, per Cardinalem Orsinum, interpellari pro se curaverit ipsum s. Pontificem, media s. inquisitionis sessione; quod autem Galileus sententiam suam, in scripturis fundatam assereret, aut in dogma vellet erigere, in præfatis litteris haud legitur; ex dictis vero Galilei typho et ausu gratis conjicitur. At largiamur etiam, quod Galileus, missa, quam jamjam proferebamus, ipsius de valore argu-

[1] In miscellaneis, *Revue cath.* Louvain, t. II. p. 98.

menti, e scripturis in rebus physicis arrepti, sententia, anno 1616 urbem Romanam oppleverit libellis; in quibus hanc suam, e Copernico sententiam, in dogma erigere voluisset; nondum, puto, solida probabitur ea, quam reprobandam duximus, opinio; cum illa quæ allata fuere, documenta publica, constanter Copernici systema rejiciant, ut *falsum* et *contrarium scripturæ s.*, non vero præcise, qua e scripturis probatum. Non defuit tamen appareps, quod in istam sententiam laudatos auctores deduceret, motivum : etenim sæpius Galileo intimatum hoc fuit monitum; ut ab interpretandis scripturis abstineret. Anno 1614, 14 mart., nomine ill. Barberini, illum monebat Petrus Dinus, ut caute loqueretur, ut mathematicus. (ap. Vent., I, 211.) Eumdem P. Dinum et, hoc mediante, ipsum quoque Galileum sponte prævenit Card. Bellarminus, nihil ei adversi obventurum; donec solis hæreret astronomicis. (Ib., p. 221.) Anno vero 1615, 2 maji scribit idem Dinus; hoc jam Galileo acquisitum esse; posse, scil., libere suum docere systema; *si tamen*, ait, *ut alias dictum, abstineat ab ingressu sacristiæ.* (Ib., l. c.) Paullo ante d. Ciampoli, 28 feb. ejusdem anni, nomine Card. Barberini et iterum 21 mart., post auditos eminn. Cardinales Dalmonte et Bellarminum (ib., p. 219 et 220), Galileum monet; nihil quidquam ei vexæ timendum, donec abstineat a scripturis, quæ theologorum judicio sint linquendæ. Verum hæc nequaquam argumento esse possunt, ad probandum; quod Galileus Copernicanum systema scripturis superstruere et doctrinæ fidei inserere voluerit. Hoc unum ista probant; Galileum scripturæ textus interpretatum fuisse; ut, scil. adversariorum objectiones dilueret, ostendendo scripturam s. cum demonstrato, ut contendebat, Copernici systemate conciliari posse. Hæc scripturæ interpretatio vera videtur fuisse tumoris adversariorum ejus et incriminationis occasio seu prætextus.

10 Constat autem (quantum iis, quos consului et in notis adjectis continuo citavi, fontibus, fides est) Congregationem s. officii seu supremæ inquisitionis reprobasse quoquo modo Copernici systema (n. 3), deinceps vero a s. indicis Congregatione illud fuisse declaratum falsum et omnino contrarium ss. Scripturis (n. 5); pluresque adeo proscriptos fuisse libros, qui dictam exhiberent hypothesim : de mandato etiam non speciali, sed generali (statim videbimus, quid sit mandatum generale) s. Pontificis et s. Congregationis inquisitionis censura notatas fuisse duas propositiones, quæ Copernicanum complectuntur systema.

Verum illud ipsum s. inquisitionis decretum aut mandatum apud nullum auctorem, sive coævum, sive recentiorem obvium, cujus fuerit tenoris, non constat.

Privati quidam statim ab initio, opinionem hæreseos damnatam, autumati sunt (liquet supra variis locis). Eos tamen aut vago incertoque rumore; aut solemnibus Congregationis præludiis; aut sola qualificatorum auctoritate, aut ancipiti demum verborum : *contraria sacræ Scripturæ*

significatione [1] fuisse deceptos, suadet occasio motæ quæstionis; convincunt vero, quam laudavimus, authentica Urbani VIII declaratio; solemnes, nemine reclamante, Galilei et Buonamici protestationes, aliorumque testimonia; correctiones an. 1620 libro Copernici inductæ; et tota Curiæ Romanæ agendi ratio. Quis namque credat ab homine, qui hæreticus haberetur, neque exigendam fore retractationem, nec ullam ei imponendam pœnitentiam; immo et pro obstinato hæreseos defensore dissimulatum iri per declarationem Cardinalis attestantis; quod nulla ei injuncta pœnitentia, nullaque imposita retractatio? Ei, a quo fidei professio obtineri haud posset, a Pontifice ex mera liberalitate constituendam pensionem? Immo honoribus et officiis cumulandos hæretici systematis asseclas? Qui gravissima illa perpenderit argumenta, atque ad absurdissimas sententiæ contrariæ sequelas animum adjecerit; ne minimo, confido, ultra detinebitur dubio.

Obj. Sunt quidem auctores, [2] qui ipsi s. officii Congregationi adscribunt censuram duarum propositionum, quibus Copernicana reprobata fuit doctrina : verum in errorem inducti fuerint ex eo, quod referebat Cardinalis de s. Onuphrio, mandato Sanctissimi et eminn. Dominorum missos fuisse censores, hanc doctrinam ad examen revocare, et debitis afficere censuræ notis; quod tamen minime probat; hanc eamdem qualificatorum censuram, a Pontifice et Cardinalibus probatam, vel iisdem auctoribus, prodiisse : etenim nihil quidquam determinati constat per mandatum injunctum fuisse; neque ullibi occurrit similis censuræ confirmatorium decretum, neque ulla similis definitionis dogmaticæ habita fuisse scitur in docendo ratio, ne in ipsa quidem, ut vidimus, urbe Roma. Hæc autem certe tanti ponderis sunt; ut flocci facienda sit censuræ ejusdem citatio, quæ apud Cardinalem de s. Onuphrio legitur; quippe qui nec ipse eam a Pontifice probatam, quod sui intererat maxime, affirmat; sed inter alia quæcumque, ad convincendum Galileum apta, refert censuram hanc, a censoribus theologis, ait, mandato s. Sedis, et s. Congregationis factam. Pro illa igitur, in qua censura isthæc prodiit, forma, privatum censorum opus existimanda est, seu paratum ab iisdem futuræ, in s. Congregationis consessu, discussionis thema. Alias diceretur, ut assolet, *propositiones a s. Pontifice vel a s. Congregatione proscriptæ;* nunc autem constanter censoribus theologis tribuitur censura [3].

[1] Sæpe sonat idem quod : *stricte hæreticum;* sæpe idem quod : *contrarium expositioni communi s. scripturæ :* qui sensus hic probatur ex argumentis statim hoc n° proferendis.

[2] Morerus, ad vocem : *Galilei Galilei* ed. Amstel. 1740, et *Nouv. Conserv.* t. II, p. 204.

[3] Ita *Revue de Dublin*. Nec dissentit d. Biot in opere : *Biographie univ. ancienne et mod.* t. XVI, p. 324, harum propositionum censuram adscribens cœtui theologorum, a S. Pontifice designatorum. Quod si moveat quempiam earumdem proposi-

Dictionnarium quidem Moreri, a variis incertisque scriptoribus adauctum, loco cit. hanc theologorum censuram, cujus datam nullibi videre contigit, referens, immediate post Galilei Romam adventum, talem stabilit ordinem factorum chronologicum; ut inde alia prorsus sit rerum facies : eo enim ordine admisso, quæcumque Congregationum acta in observantiam ejusmodi duarum propositionum censuræ ordinata videntur; eamque adeo ratam promulgatamque supponunt. Verum fallere aut falli qui ita scripsit; non una ratio plane convincit. Quisquis enim ad ejusmodi censuræ conficiendæ generale mandatum, a s. Pontifice et s. officio publice emanans, et ad ipsius censuræ tenorem vel parum attenderit; illico fatebitur, negotium hoc certe posterius esse, non solum litteris, quibus P. Dinus, die 2 maji 1615 (supra, n. 2) post primum Galilei Romam adventum, scribit, Copernicanum systema dimissum esse a judicio: litterisque Galilei, 16 febr. 1616, post secundum adventum, ad Picchenam scribentis; se, negotio composito, jam tuto domum redire posse (supra, n. 2); sed et declaratione Card. Bellarmini, 26 maji 1616, data, cujus sententia nimis esset absona, si jam tum facta fuisset legitima ejusmodi duarum propp. censura. Decretum igitur s. Congr. indicis, 5æ martii, certe illarum propositionum censuræ anterius est; nec ullatenus cum historia concordat, quem Morerus inducit, rerum ordo [1].

Insuper theologi censores, de mandato s. Pontificis et s. Congregationis inquisitionis fidei ad opus se accinxerunt : atqui nulla noscitur acta inquisitionis congregatio, ante 25 febr. an. 1616 : post acceptum vero mandatum, opus fuit tempore non modico ad evolvendum, meditandum atque recensendum librum; ita ut censura hæc certe non tam prompte ferri potuerit; ut cetera, quæ laudavimus documenta præverteret.

Nec miratum ibis, in dictionnario illo historico, ejusmodi offendere nævum; si et alia, quæ eodem occurrunt loco, errata notaveris : primum enim Galilei, apud s. inquisitionem accusati, iter, cum altero, sponte ab eodem suscepto, confundit; et Pontifices mutans, aut annos permiscens, Urbano VIII adscribit, quæ sub Paulo V facta est, systema Copernicani rejectionem.

tionum recensio in sententia condemnatoria Galilei; memor sit, quæso, in ejusmodi factorum singularium judiciis summam eorum, qui sententiam dicturi sunt, curam esse debere; ne pœna excedat delictum; ceterum non ita opus esse, ut singula discutiantur accusationis capita; signanter cum, in hac posteriori causa Galilei, in censores suos certe injurii, intenderetur sontis emendatio, et publica quædam, ad cavendum scandalum, rei commissæ reparatio : quod si etiam huic speciali argumento attenderit inquisitionis tribunal; non idcirco hanc propositionum censuram, cum de facto personali tractaretur, doctrinaliter confirmavit.

[1] Ad hæc pariter non attenderit Ben. Plazza; qui, in opere, *Dissertatio biblico-physica de litterali proprio scripturæ sensu*, n. 31, expressis verbis, alia quæcumque, Romæ in causa Galilei, anno 1616, acta exhibet ut præfatæ censorum theologorum sententiæ sequelas.

Neque ex iis quæ emissa, cum auctoritate, fuere documentis hæreseos nota Copernicano systemati inuri potest. Inprimis sacras Congregationes, per sese infallibiles esse, nullus umquam contendit [1]. Seculo autem XVII, licet ss. Congregationum inquisitionis et indicis decreta de generali Pontificis mandato, atque assensu emitterentur; non tamen speciali ejusdem confirmabantur mandato. Quod apud Sotomajor, in decretis, liquidum est; quoad Congregationem inquisitionis, pro sessionibus, scil. absente Pontifice celebratis, p. 202 et 249; et quoad Congregationem indicis passim. Quapropter s. Congregationis inquisitionis fidei decretum, si umquam in forma authentica prodiit, confirmatum a Pontifice non fuit. Sacra vero indicis Congregatio, quum, ann. 1616, 5 martii in indicem misit opera Copernici, Didaci a Stunica, p. Foscarini et alia, quæ dictam propugnarent sententiam, eaque deinceps suo detinuit catalogo; non duxit sibi ad examen revocandas quæstiones, coram altero tribunali discussas; et quidem, ni fallor, prudenter hanc tribunalia quæcumque servant legem; ut morose quæstioni semel diremptæ, retractandæ et per novas discussiones iterato judicandæ se accingant.

At, inquies, numquid Card. Bellarminus, in sua, pro Galileo, declaratione, refert, de mandato Pontificis, per s. indicis Congregationem declaratum fuisse, quod doctrina, Copernico adscripta, esset *contraria s. Scripturis, et proin non posset defendi nec teneri.*

R. I. Cum libere disputent inter se auctores, an umquam s. Pontifex, dum ss. inquisitionis et indicis Congregationum decreta confirmat, agat ut doctor infallibilis ecclesiæ [2]; certe decretum ejusmodi ut definitiva, in fidei, et morum doctrina, sententia haberi nequit.

R. II. Esto s. Pontifex, decreta ss. Congregationum confirmans, aliquando ageret, ut infallibilis ecclesiæ doctor, quod omnino admittendum suadet quod statim allegabimus decretum et alia huic similia; tamen generatim decreta, librorum prohibitoria, et nominatim hoc, de quo agimus, Congregationis indicis decretum, disciplinaria sunt; nec doctrinam ullam determinant, universo orbi inviolate tenendam. (Cfr. c. II, n. 99 et c. IV, n. 192.)

Ne vero gratuita videatur hæc nostra decreta inter ac decreta distinctio; confer apud Sotomajor, parte 2, p. 252, decretum s. Congregationis inquisitionis fidei; quo Inn. P. P. X, qui consessui præsens aderat, 24 jan. 1647, proscripsit librum, *De l'autorité de S. Pierre et de S. Paul*, unaque hæreticam declaravit propositionem, qua duorum Apostolorum in jurisdictione æqualitas adstruebatur : aliis plerisque ss. Congrega-

[1] Cfr Zacc. *Storia polem.* in append. n. 6. Responsionum ad quæstt. prop.; *Revue de Brux.* nouv. série, t. I, p. 74. Concinit nobis Ben. Plazza, loco cit. n. 33, licet auctoritatem decretorum s. congregationis maxime extollat.

[2] Zacc. l. c. et hic c. IV, s. 2.

tionum edictis, a ss. Pontificibus, speciali mandato, confirmatis, ipsorumque Pontificum decretis, per modum disciplinæ nude proscribuntur libri; quin ullum doctrinæ punctum, universis Christi fidelibus, credendum intimetur.

Quæ vero de decretis s. Congregationis indicis dicta fuere, eadem de illis quæ an. 1633, s. inquisitionis Congregatio statuit, dicenda sunt : iis namque (quod notat Venturi [1], licet Urbano VIII, ut passim in laudato sæpius opere liquet, non pronus indulgere) nulla ad trutinam revocata quæstio doctrinæ est; sed, posito justo, an. 1616. præcepto, quod personaliter Galileo fuerat intimatum; positaque viri in ipsa urbe Roma transgressione, consequens erat, ut a s. Congregatione hæreticæ pravitati per universum orbem perquirendæ, et quod serius eidem s. Congregationi delatum fuerat, criminibus plectendis, præposita, judicaretur : quidquid autem in motivis sententiæ condemnatoriæ doctrinale videtur, narrative tantum, ex sententia anni 1616, referri, textus probat.

Quod autem adversus Galileum producatur illud Scripturæ : *terra autem in æternum stat,* non doctrinæ stabiliendæ inservit; sed ex eadem hypothesi procedit, ad repellendum Galileum, qui oportune importune suam stabilire nitebatur sententiam [2].

Remanet ea, quam supra n. 2, ex Guicciardino retulimus, s. Pont. Nicolai V, cum Card. Bellarmino conclusio; qua Copernici doctrina hæretica fuisset declarata. Et hæc quidem declaratio, si tamen admittenda sit, privatam Pontificis et Card. Bell. mentem exhibet; neque ullo decretoriæ et infallibilis; universisque Christi fidelibus propositæ, doctrinæ charactere insignitur. Quod si doctrinale quodpiam decretum ex ejusmodi efformaretur voto; nova, procul dubio, sequeretur Pontificia exarati decreti recensio.

Nullum igitur ei, quam certis argumentis explosimus, opinioni, in documentis coævis, quæri præsidium potest.

Objiciet tamen quis, contra id quod jam proponebam : numquid anno 1633, ipsa inquisitionis Congregatio, ex priori, anni 1616, decreto opinionem hæreticam esse censuit, dum Galileum suspectum egit hæreseos, eumque retractare jussit suos *errores et hæreses?*

R. Apage, ait *Revue de Dublin* [3]; ut hæc sententia, auctore ipso Urbano VIII, lata, stricte accipi debeat, postquam idem Pontifex iterato declaraverat, doctrinam non fuisse hæreseos damnatam! Absit et procul absit; ut annis 1616 et 1636, doctrina aliqua sit hæretica; tempore vero intermedio, talis non sit habenda! Hæc igitur verba : *errores et hæreses,* in sententia 1633, merus videntur esse, quem dicimus, *stylus curiæ :*

[1] T. II. p. 195.

[2] Constat ex litteris Galilei ad Renieri ap. Vent. t. II, p. 181.

[3] Fere ad finem laudatæ sæpe diss.

quum enim s. Officii tribunal primitus pro solis hæreseos causis esset erectum; serius vero etiam aliis criminibus plectendis fuerit præpositum; factum fuerit, ut termini : *hæresis*, *hæreseos suspectus*..... serius in omnibus adhibiti fuerint causis; etiam cum nulla esset criminis ad doctrinam relatio; quemadmodum et in cujuscumque curiæ negotiis quosdam videmus conservari terminos, quorum in præsenti nulla iniri posset ratio [1]. Provocat laudatus scriptor ad *Inquisitorium* Nicolai Eymerici, quod tamen mihi datum non fuit consulere. Certe in *Manuali qualificatorum s. Inquisitionis*, auctore Alberghino, qui carnes comedunt diebus vetitis; contemptores censurarum ecclesiasticarum et similes tamquam *suspecti hæreseos*, judicio citantur Inquisitionis [2]. Similiter et sæpe mirari subit in documentis historiæ ecclesiasticæ, memorari hæresin, aut hæreseos suspicionem; dum quæstio agitur de factis in ratione morum, quæ nullum ad fidem respectum dicunt.

11 Neque etiam acquiescere possum sententiæ eorum, qui cum laudatæ modo lucubrationis auctore concludunt : Copernicanum systema non fuisse simpliciter rejectum; sed soli Galileo quod, nimis ardens, illud scientiis sacris intruderet simultatesque provocaret, prohibitum fuisse, illud quomodocumque docere aut tractare : quod quidem conforme est opinioni quorumdam auctorum ipsi negotio Galileano coævorum [3]; si autem et probari posset, vere ut ibidem edicitur : « Neque hodie posset » prudentior adinveniri solutio, quam illa a Cardinalibus data. » Verum id prorsus amandare videntur, (salvo tamen prudentiorum judicio) quæ prolata fuere documenta publica : in sententia condemnatoria an. 1633 ea opinio dicitur *falsa et contraria scripturis*, ideoque *nullo modo probabilis. Proin*, ait declaratio Card. Bell., *non possit defendi nec teneri.* Statuebatur, ait Buonamici, *quod systema non posset defendi nec teneri... quia videbatur contrarium s. scripturæ.* Recolenda et declaratio Urb. VIII *est solummodo temeraria.*

Neque eam, quam modo amovere satago, sententiam, ubi tam aperta eidem obstant monumenta, firmat levior emendatio operis Copernicani, quæ an. 1620 juris publici facta est, una cum licentia ejusdem, sic correcti, legendi retinendique : nullibi enim prior, anni 1616, sententia revo-

[1] Simile prorsus mihi recurrit, quod in regno, ad omnes progressus leges apicesque sectandas, sane non incurio, nuper prodiit, monumentum publicum : in sententia condemnatoria *Instructionis past.* qua Em. d. Card. De Bonald, Archiep. Lugd. proscripserat librum d. Dupin, *Manuel du droit eccl.* una continua verborum serie, legitur : « Nous avons *ordonné* et *ordonnons* ce qui suit : Art. 1^er^. Il y » a abus dans le mandement donné à Lyon. » Ubi nuda *declaratio* nuntiatur per verbum *statuere*, quia primitus similibus documentis sola statuta comprehendebantur.

[2] C. XIX, n. 22.

[3] Plura vidimus supra, quæ in hanc sententiam mire conspirant, testimonia. Cfr n. 6.

catur; sed nude, quia multa aliunde reipublicæ utilia continebat liber, permissa fuere exemplaria jam impressa, levioribus tantum inductis correctionibus; esto etiam sic correcta non plene consonarent decreto, post eorumdem impressionem lato.

12 Crediderim itaque ipsam fuisse rejectam Copernicanam sententiam; paullatim tamen, transmicante veritatis aurora, dissimulatum fuisse cum iis, qui moderatis animis procederent : anno vero 1633, ob manifestam nimis aliunde Galilei culpam, sacræ inquisitionis tribunal reum egisse violatæ prohibitionis anni 1616, et qua talem condemnasse ad pœnam et retractationem, applicata in omni rigore ejusdem anni sententia. Hæc via, putem, rationem inire possumus impunis, sub eo respectu, Galilei libertatis; pensionis eidem constitutæ; honorum et beneficiorum Copernicana opinione imbutis tributorum [1].

13 Hæc quidem ad exponendam conciliandamque intricatissimi hujus negotii historiam et salvo prudentiorum judicio : etenim et hanc rerum componendarum rationem suis premi difficultatibus non inficior; majores tamen vitasse in re ardua lucrum putaverim. At vero, quod ea in re longe præcipuum est, ex tota hac Galilæana historia, manifestum esse puto; nihil quidquam ex hoc facto ab adversariis quibuscumque, ecclesiæ catholicæ adversum, extundi posse, permissa ipsis etiam hypothesi maxime sinistra; qua statueretur s. Congregatio voluisse condere decretum fidei, (quod tamen, quam sit falsum, vidimus supra. Istud vero his, quæ sequuntur, corollariis, amplius declarare visum est.

Cor. I. Infallibilitatis privilegium, quod Christus dominus ecclesiæ suæ pro doctrina fidei et morum contulit, nullum passum est defectum. Enimvero non potest esse quæstio de errore dogmatico totius ecclesiæ catholicæ; quippe quæ nec congregata tum erat; nec dispersa, morali, quod theologi, ad unum omnes, requirunt, universalitate, illud quod supponitur, s. inquisitionis decretum approbavit.

Cor. II. Sed neque inerrantia Pontificia quidquam passa est detrimenti. Nuspiam (quod pariter omnes infallibilitatis Pontificiæ defen-

[1] Fere concinit Venturi, t. I, p. 274; qui tamen putat decretum hoc meram fuisse ecclesiæ cautelam, ad tempus duraturam. Ei præiverat p. Pattuzzi ap. Fellerum (*observ. philos. sur les systèmes de Newton... entretien* III. éd. 1788, p. 101) docens : « Numquam ecclesiam aut apostolicam Sedem damnasse sententiam de » telluris motu solisque immobilitate;.... attamen jure ac merito.... vetuisse; ne » illam quispiam, veluti thesim tueretur; quousque evidens aliqua inventa foret » demonstratio; quæ cogeret scripturæ textus per metonymiam aliumve tropum » interpretari. » Huic vero, quam auctores isti ponunt systematis, ad tempus, condemnationi favere quidem videtur rei exitus; demonstrata namque nova theoria, decretum in desuetudinem abiit. Verum quantumvis hæc rei gerendæ ratio intima eminn. Dominorum mente latuisse videatur; nihil est quod probet eos talem rerum exitum apprehendisse, eoque præviso vel minimum quid in eum sensum præordinasse.

sores requirunt), probatur s. Pontifex, ad universos Christi fideles sermonem dirigens, aliquam fidei morumve doctrinam suprema sua et irrefragabili auctoritate firmasse. Defuit igitur certo certius, in toto hoc negotio, ipsum infallibilitatis subjectum.

Cor. III. Ad auctoritatem quod attinet ss. Congregationum ; qui illam impetunt simul eadem ratione scientiarum physicarum et philosophicarum principes adoriuntur. Etenim theseos Copernicanæ impugnatio potissimum ab ipsis astronomiæ, rei physicæ et philosophiæ cultoribus, quales fuere Tycho-Brahe, Baco cancellarius Angliæ, Riccioli..... profecta est; quod latius deductum et citatis testimoniis minime suspectis, probatum videre licet in collectaneis, *Revue de Dublin* ex cl. De Lambre, et in *Noureau Conservateur* [1]. Quapropter et prudenter s. inquisitionis Congregatio per modum disciplinaris decreti, prævavisset, ne leviter contra sententiam receptam et communiorem, novella opinio in sacras inferretur disciplinas.

At largiamur etiam, quod eminentissimum tribunal volens condere fidei decretum suæ limites excessisset potestatis; non magis illud prudens quispiam contempserit, aut eversurus tetenderit, quam utilissimas quasque institutiones humanæ; quæ suæ sæpius originis tributum persolvunt. Sacra Inquisitionis congregatio, utut insignis, humanæ tamen institutionis est, falli haud nescia. « Personne ne s'est jamais imaginé, » aiebat p. Perrone [2], que le tribunal de l'inquisition fut infaillible. » Interim s. Inquisitio, intentis omnium in eam oculis, per plura secula non nisi semel, si tamen etiam semel, aberrasset a vero, eoque, non sui, proprie, fori! Ubi, quæso, aliud tam securum veritatis palladium?

Ceterum, ut ait Bailly, minime suspectus de nimio in s. Congregationem favore: « Nous ne devons pas juger de cette faute avec les lumières » de notre siècle : le système de Copernic n'avait alors de partisans, » qu'en Allemagne; la masse des astronomes était contre. » Pourquoi, ajoute M. Th. Foisset, « pourquoi vouloir que l'inquisition fût en avant » du siècle sur ce point, et que ses membres fussent meilleurs astronomes » que Bacon et Tycho-Brahé ? [3] »

Cor. IV. Immerito quoque ecclesiæ hostes hoc facto gloriantur ; quasi religio Christi et ecclesia ejus, per eam nominatim, quæ apud Romanos exercetur, librorum doctrinarumque censuram, inimicæ probentur omni scientiarum studio et profectui. Etenim vel ex ipsa hac historia manifestum est, protegentibus ab initio Prælatis Ecclesiæ, propagatum fuisse Copernicanum systema; donec creditum fuit fidei revelatæ, atque adeo veritati etiam naturali contrarium. Quin et manifestus est singularis, qui

[1] T. IX, p. 391. Cfr. et *Revue cath.* Louv. t. II. p. 98.
[2] Cfr. *Revue de Brux.* nouv. série, t. I, p. 74; et Venturi, t. I, p. 273.
[3] *Revue cath.* t. II, p. 98.

etiam post priorem inquisitionis in hac quæstione sententiam, Romæ impendebatur eruditis cultus, ipsi etiam Galileo et amicis ejus; manifesti sunt, qui, liberali manu, iis concedebantur honores et favores tributi [1].

Cor. V. Quoad vexas, et persecutiones, illustri scientia viro motas, convenit hodie inter eruditos, etiam heterodoxos [2], *vesanæ phantasiæ esse inventa, ad odium ecclesiæ Romanæ conflandum adornata.* Vidimus namque in causa ann. 1633, de qua sola hic potest quæstio moveri, ita clementer eum sub litis agitatione habitum; ita etiam æquissimam, pro delicti gravitate (præsertim ratione habita temporum et locorum) pœnam mitigatam et contractam; ut ipse Galileus, cujus tamen fervidus et exasperatus animus, accedentibus præsertim et morbis corporalibus, acerbiores etiam voces excusaret, judicum suorum non posset non laudare humanitatem. Durum quidem est, videre virum, scientiis clarum et veritatis vindicem, detentione mulctatum, et ad retractationem agnitæ, quod jam tum ipse autumabat, veritatis adactum. Verum habebat Galileus, cui infortunium tribueret suum; ipsum nempe, indomitum suum et æstuantem fervore animum. Anno 1616 nimius ejus ardor et jactantia ei præ Copernico æmulos suscitavit ac delatores : anno 1633 ejus in censores suos tumor et procacitas justos dedit judices; quos si non provocasset, certe parasset sibi dies pacis. Quod si insuper viam semper pressisset moderationis ac modestiæ; utique et dies vidisset felicitatis et gloriæ.

Igitur et infallibilitatis ecclesiasticæ dogma, et ipsius inerrantiæ Pontificiæ veritas, et ss. Congregationum auctoritas, et benignus religionis et ecclesiæ catholicæ in scientias influxus, et tribunalium Romanorum humanitas in vanum ex iis, quæ omni cum sinceritate narravimus factis oppugnatur.

[1] Latius hoc argumentum persequitur *Revue de Dublin*, l. c, versus finem.

[2] Cfr Guill. Whewel, hominis protestantis, Londini societatis geologicæ præsidis, *History of the inductive sciences from the earliest to the present times*, t. I, p. 409, et seq. et t. 2, p. 28 ubi dicit : « *communiter in hoc convenit*, quod Galileus per » integrum causæ suæ cursum indulgenter et benigne fuerit habitus. »

ADNOTATIO *B* AD N. 99.

De factis dogmaticis.

Hic oportunum foret, de ecclesiæ, in definiendis factis dogmaticis, inerrantia, pro iis, quæ recentius excitatæ fuere, turbis quædam adnotare. verum liceat remittere ad auctores, qui solidissime in quæstione versati, non ita pridem, fuerunt et præsertim ad Joann. Jos. Havelange, olim almæ universitatis, in oppido Lovaniensi, rectorem; qui libro, cui titulus, *ecclesiæ infallibilitas, in factis doctrinalibus demonstrata*, copiosissime simul et accuratissime totam hanc materiam pertractavit. Illic licebit visere, quod hæc, in factis dogmaticis decidendis, quam cum catholicis omnibus tuemur, infallibilitas, eisdem prorsus nitatur argumentis, ex revelationis tum scriptæ, tum traditæ fontibus, et ex perpetua ecclesiæ praxi, omniumque ecclesiæ Patrum et scriptorum sententia petitis; quibus ipsa probatur in fide et moribus inerrantia, in genere; et in quæstionibus, quas aiunt juris, seu immediate revelatis, in specie: hoc solum interesse discriminis cernitur; quod prior ista, in factis dogmaticis dirimendis, infallibilitas a quibusdam saltem doctoribus catholicis [1] proponatur ut veritas quidem undequaque certissima, et ut talis adversus Jansenistarum cavillationes strenue, quidquid dicat Petrus Gazzaniga [2], defendenda; non tamen, ut veritas fidei catholicæ obligantis; dum hanc, in quæstionibus juris inerrantiam, ad fidem pertinere, nullus dubitat asserere. Interim cum benignior hic (forte ad alliciendos, qui abalienatis erant animis) loquendi modus hæreseos notam inurere vetet illi, qui hanc denegaverit veritatem; etiam dum ecclesia factum aliquod doctrinale in particulari definit, ex sua in factis dogmaticis inerrantia *deductionem faciens*, ut loquuntur theologi; seu dum infallibilitatis suæ privilegium applicans, expresse aliquod factum doctrinale proponit; hæreseos stigmate non videtur notandus, qui illud negaverit; quamquam certe magnum temeritatis reatum contrahat et extra viam salutis errare sit censendus.

Interim, quia etiam hodie homines, in ecclesiam rebelles, quæstioni tenebras studeant affundere, dum ipsam facti dogmatici notionem adul-

[1] V. Liebermann, t. II, p. 2, c. III. a. 3, q. 3, et p. Perrone, *de locis theol.* p. I, n. 384 et seqq. Confer et *Revue cath.* Liége, t. II. p. 422.

[2] *Theol. dogm. pars prior.* Mogunt. 1783, c. XVI, § 152.

terari conantur [1]; hæc præcipuo adnotanda studio est, ne, dolo suo nos in insidiosos anfractus pertrahant.

Est autem facti dogmatici duplex elementum; scilicet :

(*a*) Factum non immediate revelatum, nominatim verbum, phrasis aut propositio exhibens doctrinam aliquam circa fidem aut mores, veram aut falsam; eamque non tam ad unam libri periodum æstimatam, quam ad totum potius libri contextum (id quod appellare consueverunt *sensum auctoris*); quin ullus neget, posse verba grammatice et seorsim spectata, alium quandoque sensum habere; aut auctoris intentionem personalem ab eo discrepare, quem ipsius exhibet liber [2].

Et (*b*) jus seu doctrina orthodoxa vel heterodoxa.

Ea vero bina elementa intime unita esse debent et inseparabilia : ita quidem; ut, licet ecclesia absolute et in abstracto dogma seorsim definire et proponere possit; non tamen in concreto de eodem possit seorsim decernere; seu alicujus propositionis, libri.... disjudicare orthodoxiam vel heterodoxiam, nisi etiam factum, id est, ipsius quoque propositionis, libri.... sensum disjudicet (Perr. n. 388 et 392); ita ut, ni de facto quoque sententiam ferat, neque *fidei depositum servare, neque a grege Domini contagionis periculum arcere valeat.* (Havelange, n. 52) v. g. Ecclesia proscribere potest in abstracto quinque famosas propositiones, ut fidei contrarias aut bonis moribus; sed hæc ejus doctrina in tuto non erit; si non possit quoque decernere, et fidelibus, infallibili auctoritate, intimare; easdem quinque propositiones contineri in libro, *Augustinus;* seu easdem hic in concreto proscribere. Manifestum est autem, idem prorsus dicendum esse, ubi de scriptis Georgii Hermes sermo est, et generatim in omni doctrinali seu dogmatica alicujus propositionis, libri.... condemnatione.

Ceterum, recentioris ævi esse scitur illa, dogmata inter et facta dogmatica, inducta distinctio; eaque nullo nixa solido fundamento. Nec solum arbitraria, sed et prorsus falsa est, penitusque eversiva notionis, quam de infallibilitate Ecclesiæ informatam habemus; cum nulla omnino possit, quæ ad rem faciat, assignari discrepantia propositionum, quibus in concreto, ab iis quibus in abstracto suam, de fide aut moribus doctrinam, ecclesia tradit, aut errores configit eidem oppositos : neque ulla differentia sit in discriminando facto quocumque dogmatico et investiganda fideli, ad nos usque, alicujus traditionis divinæ, vel libri hagiographi conservatione : idem ubique factum dogmaticum seu factum non revelatum, (nominatim, verbum, phrasis, propositio) cum jure mixtum et inseparabiliter connexum. (Vide Havelange, n. 21) Nec valet respondere, quod in figenda propria doctrina infallibilis sit Ecclesia, quia secus nequidem

[1] Vide *Revue cath.* Liége, t. II. p. 418.
[2] Havelange a n. 17 et p. Perrone, *de locis theol.* p. 1, n. 384.

conciperetur posse suam fidem proponere fidelibus; quod non obtinet in casu facti dogmatici. Repono enim : neque efficaciter proponet illa fidem suam; nisi errorem quoque oppositum, ubicumque insinuetur ille et sub quacumque forma, possit eadem auctoritate configere. Qua ratione e. g. efficaciter definiet doctrinam, quinque propositionibus contradictoriam; si possit eodem tempore, velut hæreticos proscribere libros, qui eamdem suam doctrinam tradunt? Numquid enim quod unum est idemque, sub eodem respectu, affirmaret et negaret? Quid credere tenebuntur fideles?

Qua fide simile factum, ab ecclesia definitum, credatur; an ecclesiastica, an divina; discussum vide apud Havelange, n. 525 et apud Muzzar. *Un fait dogmatique.. est-il objet de foi cath.?*

ADNOTATIO *C* AD N. 170.

Pii P. IV. bulla indicis confirmatoria.

Dominici gregis custodiæ Domino disponente præpositi, vigilis more pastoris non desistimus ipsi gregi ab imminentibus periculis, quanta maxima possumus cura et diligentia, præcavere, ne propter negligentiam nostram pereant oves, quæ pretiosissimo Domini nostri Jesu Christi sanguine sunt redemptæ. Etsi autem quæ ad fidei veritatem patefaciendam, et ad horum temporum hæreses confutandas pertinebant, in œcumenico, et generali concilio Tridentino, sancti Spiritus assistente gratia, nuper adeo enucleata, ac definita fuerint, ut facile jam sit unicuique sanam, catholicamque doctrinam a falsa adulterinaque internoscere; tamen cum librorum ab hæreticis editorum lectio, non modo simpliciores homines corrumpere soleat, verum sæpe etiam doctos eruditosque in varios errores, et a veritate fidei catholicæ alienas opiniones inducere, huic quoque rei esse duximus providendum.

§ 1. Cum autem aptissimum ei malo remedium esse sciremus, si componeretur atque ederetur Index, sive catalogus librorum, qui vel hæretici sint, vel de hæretica pravitate suspecti, vel certe moribus, et pietati noceant, id negotium ad sacram Trident. synodum rejeceramus; ea vero ex tanta Episcoporum et aliorum doctissimorum virorum copia delegit ad eum conficiendum Indicem multos cum doctrina, tum judicio insignes Prælatos ex omnibus fere nationibus. Qui quidem non sine maximo labore, plurimisque vigiliis eum Indicem, tandem, Deo juvante, perfecerunt, adhibitis etiam in consilium lectissimis quibusdam Theologis. Peracto autem concilio, cum ex ipsius synodi decreto is Index nobis oblatus fuisset, ut ne ante ederetur, quam a nobis approbatus fuisset: Nos doctissimis quibusdam, probatissimisque Prælatis eum accuratissime legendum, examinandumque tradidimus, et ipsi etiam legimus.

§ 2. Cum igitur eum magno studio, acri judicio, diuturna cura confectum, et præterea commodissime digestum esse cognoverimus: Nos saluti animarum consulere, eamque ob causam providere cupientes, ne libri et scripta cujuscumque generis, quæ in eo improbantur, sive ut hæretica, sive ut de hæretica pravitate suspecta, sive ut pietati, ac morum honestati inutilia, aut aliqua correctione saltem indigentia, posthac a Christi fidelibus legantur, ipsum indicem, una cum regulis ei præposi-

tis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, imprimique ac divulgari, et ab omnibus universitatibus catholicis, ac quibuscumque aliis ubique suscipi, easque regulas observari mandamus atque decernimus.

§ 3. Inhibentes omnibus et singulis, tam Ecclesiasticis personis, sæcularibus et regularibus, cujuscumque gradus ordinis, et dignitatis sint, quam laïcis quocumque honore, ac dignitate præditis, ne quis contra earum regularum præscriptum, aut ipsius prohibitionem Indicis libros ullos legere, habereve audeat. Si quis autem adversus eas regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum tanquam de heresi suspectum, inquiri et procedi liceat, præter alias pœnas super hoc ab apostolica Sede sacrisque canonibus constitutas; qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum Episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, ne excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

§ 5. Ut hæc autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit, volumus, et mandamus, ut hæ litteræ per aliquos curiæ nostræ cursores in Basilica Vaticana Principis Apostolorum et in Ecclesia Lateranensi, tunc cum in eis populus, ut Missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam, et clara voce recitentur, et postquam recitatæ fuerint, ad valvas earum Ecclesiarum, itemque cancellariæ apostolicæ, et in loco solito campi Floræ affigantur, ibique ut legi, et omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur earum exempla iisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem et affixionem, omnes et singulos, qui his litteris, comprehenduntur, post tres menses a die publicationis et affixionis earum numerandos, volumus perinde adstrictos, et obligatos esse, ac si ipsimet illæ editæ lectæque fuissent.

§ 6. Transumptis quoque earum, quæ manu alicujus publici Notarii scripta, subscriptave et sigillo ac subscriptione alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione mandamus, atque decernimus.

Dat. Romæ apud s. Petrum, sub annulo Piscat. die 24 Martii 1564. Pontificatus nostri anno 5.

ADNOTATIO *D* AD N. 173.

Regulæ indicis sacrosanctæ synodi tridentinæ jussu editæ.

REGULA I.

Libri omnes, quos ante annum MDXV aut summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, et in hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

REGULA II.

Hæresiarcharum libri, tam eorum, qui post prædictum annum hæreses invenerunt, vel suscitarunt, quam qui hæreticorum capita, aut duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Schwenckfeldus, et his similes, cujuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de Religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Qui vero de Religione non tractant, a Theologis Catholicis, jussu Episcoporum, et Inquisitorum examinati, et approbati, permittuntur.

Libri etiam catholice conscripti, tam ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati a Facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicæ, vel ab Inquisitione generali, permitti poterunt.

REGULA III.

Versiones Scriptorum etiam Ecclesiasticorum, quæ hactenus editæ sunt a damnatis Auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur.

Librorum autem veteris Testamenti versiones, viris tantum doctis, et piis, judicio Episcopi concedi poterunt; modo hujusmodi versionibus, tanquam elucidationibus Vulgatae editionis, ad intelligendam sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu utantur.

Versiones vero novi Testamenti ab Auctoribus primæ Classis hujus Indicis factæ, nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet.

Si quæ vero annotationes cum hujusmodi, quæ permittuntur, versionibus, vel cum Vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis

a Facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicæ, aut Inquisitione generali, permitti eisdem poterunt, quibus et versiones.

Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi viris piis et doctis poterunt.

Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus, et prolegomena præcidantur; ejus vero textum, nemo textum Vulgatæ editionis esse existimet.

REGULA IV.

Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii Bibliorum, a Catholicis Auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.

Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant; aliisque pœnis pro delicti qualitate, ejusdem Episcopi arbitrio, subjaceant.

Regulares vero, nonnisi facultate a Prælatis suis habita, ea legere, aut emere possint.

REGULA V.

Libri illi, qui hæreticorum Auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt Lexica, Concordantiæ, Apophthegmata, Similitudines, Indices, et hujusmodi, si quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis Episcopi, et Inquisitoris, una cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis, aut emendatis, permittantur.

REGULA VI.

Libri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos, et Hæreticos nostri temporis disserentes, non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est.

Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur; sicut nec sermones populares vulgari lingua habiti.

Quod si hactenus, in aliquo regno, vel provincia, aliqui libri sunt pro-

hibiti, quod nonnulla contineant, quæ sine delectu ab omnibus legi non expediat; si eorum Auctores Catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab Episcopo, et Inquisitore poterunt.

REGULA VII.

Libri, qui res lascivas, seu obscœnas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur; et qui eos habuerint, severe ab Episcopis puniantur.

Antiqui vero ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam, et proprietatem, permittuntur : nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

REGULA VIII.

Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem, divinationem, seu superstitionem spectant, a Catholicis Theologis, Inquisitionis generalis auctoritate, expurgati, concedi possunt.

Idem judicium sit de prologis, summariis, seu annotationibus, quæ a damnatis Auctoribus, libris non damnatis appositæ sunt; sed posthac nonnisi emendati excudantur.

REGULA IX.

Libri omnes, et scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Æromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejiciuntur.

Episcopi vero diligenter provideant, ne Astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent.

Permittuntur autem judicia, et naturales observationes, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia, conscripta sunt.

REGULA X.

In librorum, aliarumve scripturarum impressione servetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X, Sess. X, statutum est.

Quare si in alma urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium summi Pontificis, et sacri Palatii Magistrum, vel personas a Sanctissimo Domino Nostro deputandas, prius examinetur.

In aliis vero locis ad Episcopum, vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimendæ, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ pravitatis ejus civitatis, vel diœcesis, in qua impressio

fiet, ejus approbatio, et examen pertineat, et per eorum manum, propria subscriptione, gratis, et sine dilatione imponendam, sub pœnis, et censuris in eodem decreto contentis, approbetur; hac lege, et conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, et manu auctoris subscriptum apud examinatorem remaneat.

Eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatique fuerint, iisdem pœnis subjici debere judicarunt Patres deputati, quibus impressores; et qui eos habuerint, et legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur.

Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, et in fronte libri, vel scripti, vel impressi, authentice appareat; probatioque, et examen, ac cetera gratis fiant.

Præterea in singulis civitatibus, ac diœcesibus, domus, vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecæ librorum venalium sæpius visitentur a personis ad id deputandis ab Episcopo, sive ejus Vicario, atque etiam ab Inquisitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum, quæ prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

Omnes vero librarii, et quicumque librorum venditores habeant in suis Bibliothecis Indicem librorum venalium, quos habent, cum subscriptione dictarum personarum; nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacunque ratione tradant, sine licentia eorumdem Deputatorum, sub pœna amissionis librorum, et aliis arbitrio Episcoporum, vel Inquisitorum imponendis; emptores vero, lectores, vel impressores, eorumdem arbitrio puniantur.

Quod si aliqui libros quoscunque in aliquam civitatem introducant, teneantur iisdem personis deputandis renunciare; vel si locus publicus mercibus ejusmodi constitutus sit, ministri publici ejus loci prædictis personis, significent, libros esse adductos.

Nemo vero audeat librum, quem ipse, vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum jam esse omnibus permissum.

Idem quoque servetur ab hæredibus, et exequutoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defuncto relictos, sive eorum Indicem, illis personis deputandis afferant, et ab iis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacumque ratione eos transferant.

In his autem omnibus, et singulis pœna statuatur, vel amissionis librorum, vel alia, arbitrio eorumdem Episcoporum, vel Inquisitorum, pro qualitate contumaciæ, vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati aut examinarunt, aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rursus excuderentur, concesserunt, quidquid illos statuisse constiterit, tam Bibliopolæ, quam ceteri observent.

Liberum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis, aut provinciis, vel diœcesibus expedire judicaverint.

Ceterum nomina cum librorum, qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illi hanc provinciam dederunt, eorumdem deputatorum Secretarius Notario sacræ universalis Inquisitionis Romanæ descripta Sanctissimi Domini Nostri jussu tradat.

Ad extremum vero omnibus Fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum Regularum præscriptum, aut hujus Indicis prohibitionem, libros aliquos legere, aut habere.

Quod si quis libros Hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.

Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.

ANNOTATIO *E* AD N. 177.

Ex bulla Clementis VIII quæ incipit, Sacrosanctum.

§ 4. « Nos tam eadem Pii, prædecessoris, constitutionem et indicem, » ac regulas, quorum omnium tenores haberi volumus pro expressis, » quam hæc ipsa illis addita, prout inferius descripta sunt, omnia et sin- » gula, auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et præsentis » scripti patrocinio communimus, atque ab omnibus, tam universitatibus » quam singularibus personis ubique locorum existentibus, sub eisdem » pœnis, in dicta Pii constitutione contentis observari præcipimus et » mandamus. »

ADNOTATIO *F* AD N. 181.

Decreta de libris prohibitis nec in indice nominatim expressis.

Cum non omnes libri, qui vi Constitutionum Apostolicarum, aut Decretorum Congregationum S. Officii, et Indicis prohibiti sunt, singillatim describi in Indice propter eorum ingentem numerum possint, necessarium visum est, hujusmodi libros ad certa quædam capita revocare, ac per materias, de quibus agunt, eorum veluti Indicem conficere, ut, si quod circa librum aliquem in Indice non descriptum, aut in Regulis ejusdem Indicis non comprehensum, exoritur dubium, intelligi possit, utrum inter prohibitos sit computandus.

§ 1.

Libri ab Hæreticis scripti vel editi, aut ad eos, sive ad Infideles pertinentes prohibiti.

1 Agenda, seu Formulæ precum, aut Officia eorumdem.

2 Apologiæ omnes, quibus eorum errores vindicantur, sive explicantur, et confirmantur.

3 Biblia sacra eorum opera impressa, vel eorumdem Annotationibus, Argumentis, Summariis, Scholiis, et Indicibus aucta.

4 Biblia sacra, vel eorum partes ab iisdem metrice conscriptæ.

5 Calendaria, Martyrologia, ac Necrologia eorumdem.

6 Carmina, Narrationes, Orationes, Imagines, Libri, in quibus eorum fides ac religio commendatur.

7 Catecheses et Catechismi omnes, quamcumque inscriptionem præferant, sive librorum Abecedariorum, sive Explicationum Symboli Apostolici, Præceptorum Decalogi, sive Instructionum ac Institutionum Religionis Christianæ, Locorum Communium, etc.

8 Colloquia, Conferentiæ, Disputationes, Synodi, Acta Synodalia de fide et fidei dogmatibus ab eisdem edita, et in quibus explicationes quæcumque eorum errorum continentur.

9 Confessiones, Articuli, sive Formulæ fidei eorumdem.

10 Dictionnaria autem, Vocabularia, Lexica, Glossaria, Thesauri, et similes libri ab iisdem scripti, sive editi, ut Henrici et Caroli Stephani, Joannis Scapulæ, Joannis Jacobi Hofmanni, etc., non permittuntur, nisi deletis iis, quæ habent contra Religionem Catholicam.

11 Instructionum et Rituum sectæ Mahometanæ libri omnes.

§ II.

Libri certorum Argumentorum prohibiti.

1 De materia Auxiliorum Divinorum libri, vel compositiones ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi S. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione tractantes, impressi, nulla obtenta licentia a Congregatione S. Officii.

2 De Beatæ Mariæ Virginis Conceptione libri omnes, Conciones, Disputationes, Tractatus impressi post annum 1617, in quibus asseritur, B. Virginem Mariam cum originali peccato conceptam esse; vel in quibus affirmatur, opinantes, B. Virginem fuisse in originali peccato conceptam, esse hæreticos, vel impios, vel peccare mortaliter.

3 Declarationes, Decisiones, Interpretationes Congregationis Concilii Tridentini, earumque Collectiones tam impressæ, quam imprimendæ, mentito ipsius Congregationis nomine.

4 De Controversia exorta inter Episcopum Chalcedonensem, et Regulares Angliæ libri omnes, et singuli tractatus impressi sive manuscripti, et omnia alia, quæ spectant directe, vel indirecte ad prædictam controversiam. Per hoc autem Decretum nihil intendit sacra Congregatio statuere de meritis causæ, vel ulli auctori aut operi ignominiam aliquam vel notam malæ doctrinæ inferre.

5 De doctrina libri Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, qui inscribitur *Augustinus*, libri omnes, et libelli, aut epistolæ tam impressæ, quam manuscriptæ, seu in posterum edandæ et publicandæ, in quibus illa eo modo damnata, quo eam damnavit Alexander VII, vel ut est in V Propositionibus damnata, propugnatur, vel quomodolibet approbatur aut defenditur.

6 De Constitutione *Unigenitus* Clementis XI libri, aliaque scripta, in quibus illa subdole eluditur, temere carpitur, aut contemnitur, et impugnatur.

Item Libri, sive libelli vel scripti, vel typis editi, aut edendi in defensionem Libri inscripti : *Le Nouveau Testament en François avec des Réflexions morales sur chaque verset*, aut alio titulo : *Abrégé de la Morale de l'Évangile, etc.*

Item Actus, sive Instrumenta Appellationum quæcunque a Constitutione *Unigenitus* ad Concilium generale; nec non Judicia Theologorum, aut Facultatum Theologicarum, sive Academiarum, earumque Deliberationes, Consultationes, Acta, Decreta; quorumcumque etiam aliorum Mandata, Ordinationes, Arresta, Epistolæ; Interpretationes etiam, et Declarationes, ac scripta quælibet, quibus explicationis, aut alio quovis prætextu aliquid dicitur, vel scribitur, quo dictæ Constitutionis robur, atque auctoritas, et obligatio minui, aut infringi possit.

7 De Duellis agentes libri, litteræ, libelli, scripta, in quibus eadem duella defenduntur, suadentur, docentur. Si qui vero hujusmodi libri ad controversias sedandas, pacesque componendas utiles esse possunt, expurgati, et approbati permittuntur.

8 De Joannis Calà asserti Anacoretæ prætensa sanctitate, miraculis, vaticiniis, visionibus, aliisque hujusmodi signis libri, codices, et folia quæcumque sive manuscripta, sive impressa.

Item Omnia et singula transumpta, seu copiæ tam impressæ, quam manuscriptæ Decreti a Vicario Generali Cassanensi emanati, per quod idem Vicarius ausus fuit definitive pronunciare, eumdem Joannem fuisse in quasi possessione cultus, atque ideo in eo manutenendum.

9. Libri omnes immunitatem Bonorum Ecclesiasticorum impugnantes.

10 De Laminis plumbeis Arabico sermone, et antiquis characteribus conscriptis, ac in cavernis montis Illipulitani, dicti Sacri, prope Granatam repertis, et de Scripturis in turri Torpiana ejusdem civitatis inventis, libri omnes, Tractatus, Responsa, Consulta, Commentarii, Glossæ, Additamenta, Annotationes, et quæcumque alia, sive manuscripta, sive typis impressa. Alii vero libri, sive tractatus, qui ad alia argumenta spectant, obiter vero de his Laminis, vel de earum doctrina tractant, permittuntur, expunctis locis, quæ de his Laminis agunt.

11 De SS. Apostolis Petro et Paulo libri omnes tam impressi, quam manuscripti, in quibus asseritur et defenditur, quod S. Petrus, et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt : vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coryphæi ac supremi Duces, summa inter se unitate conjuncti : vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt : vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt; atque ita explicantur, ut ponatur omnimoda æqualitas inter S. Petrum, et S. Paulum sine subordinatione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema universalis Ecclesiæ.

12 De vera, et non interrupta successione filiorum S. Francisci, et de vera forma Caputii ejusdem libri omnes impressi, et qui inconsulta sacra Congregatione imprimentur, tractantes hanc eamdem controversiam.

13 Pasquilli omnes ex verbis sacræ Scripturæ confecti.

Item Pasquilli omnes etiam manuscripti, omnesque conscriptiones, in quibus Deo, aut Sanctis, aut Sacramentis, aut Catholicæ Ecclesiæ, et ejus cultui, aut Apostolicæ Sedi quomodocumque detrahitur.

14 Libri omnes agentes, ut vulgo dicitur, *delle venture, e delle sorti.*

§ III.

Imagines, et Indulgentiæ prohibitæ.

1 Imagines cum laureolis, aut radiis sive splendoribus, eorum, qui neque canonizationis, neque beatificationis honore insigniti sunt a sede Apostolica.

2 Imagines Domini Nostri Jesu Christi, et Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, et Sanctarum quarumcumque sculptæ, aut pictæ cum alio habitu, et forma, quam in Catholica et Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, vel etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis.

3 Imagines, Numismata insculpta pro Confraternitatibus Mancipiorum Matris Dei, Italice *Schiavi della Madre di Dio,* sodales catenatos exprimentia.

Item Libelli, in quibus eisdem Confraternitatibus regulæ præscribuntur. Confraternitates autem, quæ catenulas distribuunt confratribus, et consororibus, brachiis, et collo circumponendas, atque gestandas, ut eo signo Beatissimæ Virgini emancipatos se esse profiteantur, et quarum institutum in eo mancipatu præcipue versatur, damnantur, et extinguuntur. Societatibus vero, quæ ritum aliquem, aut quodcumque aliud ad mancipatum ejusmodi pertinens adhibent, præcipitur, ut id statim rejiciant.

4 Imagines, catenulæ, folia, libelli pro usu Confraternitatum sub invocatione SS. Sacrementi, B. Mariæ Virginis Immaculatæ, et S. Josephi sub titulo *Gregis boni Pastoris* erectarum, et in quibus repræsentantur homines penduli a Christo, a sacra Pyxide, a B. Virgine, a S. Josepho, et a quovis alio Sancto.

5 Imagines, ubi repræsentatur puer Jesus in sublime elatus, et sub ipso tres Ecclesiæ Doctores, et in locum aliorum trium (qui repræsentantur in Imaginibus ejusdem formæ jam pridem impressis) substitutl sunt tres Presbyteri Regulares cum his versibus : *Jesu Doctorum intima, qui nubes ignorantiæ pellis virore gratiæ, etc.*

6 Imagines sive depictæ, sive sculptæ, sive impressæ Joannem Calà quocumque sanctitatis, vel beatitudinis signo repræsentantes.

7 Imagines, ubi repræsentatur B. Virgo cum Filio in medio duorum Sanctorum Societatis Jesu, quorum uni tradit librum, alii Rosarium cum hac inscriptione : *Deipara Virgo cum Filio inspirat, commendatque Societati Jesu institutionem Sodalitatum, et Officii, Rosariique usum.*

8 Inscriptiones omnes Imaginum SS. Francisci, et Antonii de Padua, in quibus dicitur, formam habitus, qua depicti sunt, esse eamdem, qua ipsi usi fuerunt : vel in quibus asseritur, in hoc, vel illo ordine S. Francisi esse veram, legitimam, et non interruptam ejusdem S. Patris in filios successionem.

9 Indulgentiæ omnes concessæ coronis, granis, seu calculis, crucibus, et imaginibus sacris ante Decretum Clementis VIII an. 1597 editum *de forma Indulgentiarum.*

Item Indulgentiæ omnes concessæ quibuscumque Regularium Ordinibus, Confraternitatibus secularibus, Capitulis, Collegiis, aut eorum Superioribus, ante Constitutionem ejusdem Clementis VIII *Quæcumque*

d. 7 Decemb. 1604, et Pauli V *Romanus Pontifex* d. 13 Maii 1606, et *Quæ salubriter* d. 23 Novemb. 1610 revocatæ sunt, atque aprocryphæ habendæ, nisi ab iisdem summis Pontificibus, aut eorum successoribus renovatæ, ac confirmatæ fuerint.

10 Indulgentiæ concessæ coronis S. Birgittæ ab Alexandro VI, declarantur apocryphæ, et nullius roboris, ac momenti : sine præjudicio tamen Indulgentiarum a Leone X dictis coronis concessarum VI Id. Jul. 1515.

11 Indulgentiæ concessæ crucibus S. Turibii ab Urbano VIII, tamquam falsæ habendæ sunt.

12 Indulgentiarum libri omnes, Diaria, Summaria, Libelli, Folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia S. Congregrationis Indulgentiarum.

§ IV.

Quædam ad Ritus Sacros spectantia, quæ prohibita sunt.

1 Benedictiones omnes Ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint a sacra Rituum Congregatione.

2 Exorcismorum formulæ diversæ ab iis, quæ præscribuntur in Regulis Ritualis Romani, et earumdem usus, absque prævio examine coram Ordinario.

3 Litaniæ omnes, præter antiquissimas, et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de B. Virgine, quæ in sacra æde Lauretana decantari solent.

4 Missalis Romani omnia exemplaria alterata post edictum Pii V, præsertim quæ *Venetiis* apud *Junctas, Sessas, Mysserinum,* et *ad Signum, Syrenæ,* atque *Europæ,* et quoscumque alios, impressa sunt ab anno 1599.

5 Officia B. Mariæ Virginis, vel Sanctorum, aut Sanctarum, aliaque hujusmodi absque approbatione S. Rituum Congregationis edita, vel edenda.

6 De Ritibus Sinicis, eorumque controversiis, aut illorum occasione exortis, Libri, Libelli, Relationes, Theses, Folia, et scripta quæcumque post diem 1 Octobris 1710 edita, in quibus ex professo, vel incidenter quomodolibet de iis tractetur, sine expressa, et speciali licentia Romani Pontificis in Congregatione sanctæ et universalis Inquisitionis obtinenda.

7 Rituali Romano additiones omnes factæ, aut faciendæ post reformationem Pauli V, sine approbatione Sac. Congregationis Rituum.

8 Rosaria quæcumque de novo inventa, aut invenienda, sine opportuna S. Sedis facultate, quibus authenticum Rosarium Deo, et B. Mariæ Virgini sacrum antiquaretur.

ADNOTATIO *G* AD N. 210.

De indicibus expurgatoriis.

N. 1 Indices expurgatorii libris, qui postquam jussu inquisitorum aut Episcoporum examinati fuissent atque purgati, a Tridentino permittebantur, juxta normam, in ipsis ejusmodi indicibus exhibitam, corrigendis inserviebant. Romæ, an 1607, auctore r. p. Quanzelli... de Brasichellen, s. palatii magistro, prodiit « Indicis librorum expurgandorum, in studio» sorum gratiam confecti, tomus 1, in quo 50 auctorum libri, præ ceteris » desiderati, emendantur. » Verum quam auctor sibi proponebat, de mandato s. Pontificis, operis continuationem pressit; quoniam illico experientia docuit, ait Papebrochius. (*Resp.* t. 2. p. 469) id « futurum semi» narium litium infinitarum, quibus sustinendis nec unus nec plures » forent pares, quantavis auctoritate subnixi. » Ita res optimas, ad præcavendos abusus sæpesæpius supprimere, tristis cogit necessitas.

Alii alibi prodiere expurgatorii indices.

2 In Belgio quoque jam, anno 1571, similis index purgatorius, Antverpiæ, in lucem fuerat emissus, curis Philippi II : etenim rex catholicus, ut obtemperaret Tridentinis, super librorum negotio, dispositionibus, omnibus hieresiarcharum scriptis per provincias suas incendio aboleri jussis, quæcumque alia purgationem facilem admissura videbantur, servari atque ab inquisitoribus fidei, Episcopis et theologis, examini subjici curaverat : sunt enim libri « permulti, aiebat Rex, in omni facultate scientiaque, qui » alias castigati deinceps bona sui parte utiliter et cum fructu legi pos» sint ; » quapropter noluit eos perire ; quod non fieret « sive magna mer» catorum jactura et studiosorum damno. » (Ita decretum regium huic indici prævium.) Distributa itaque prælatis, academiis virisque eruditis eorum, quæ præ ceteris desiderabantur, damnatorum operum exemplaria. Hi novem fere mensium spatio, commissas sibi partes exsecuti « una cum » sententiis suis, indices miserunt locorum omnium, ut scribit Arias » Montanus, in Præfatione ad hunc indicem, in quibusa liqua vel minima » offensio vel offensionis suspicio notari posset, nullis etiam levissimis » rebus prætermissis.... ut postea.... quid tandem rejiciendum omnino, » quid corrigendum, quid admittendum tolerandumve esset, censorum » etiam collegio, eam ad rem instituto, decerneretur. » Porro collegio huic, Antverpiæ instituto, cum auctoritate spirituali, præsidebat Episcopus religiosus et eruditus ; cum auctoritate vero regia assistebat Arias

Montanus. Illic vero omnia, accurate revisa et discussa; ordinatusque index; qui normam præscriberet expurgandi opera variorum scriptorum; ut, quæ jam typis prodierant, operum exemplaria, præscripta correctione adhibita, deinceps tuto ad omnium usum permitti et divendi possent. Impressus itaque fuit hic index purgatorius, non ut distraheretur; sed ut clam distribueretur iis, qui munere suo in corrigendis præfatorum operum exemplaribus religiose versarentur viris (v. decretum regium et præfationem in hunc indicem).

3 Invehitur Junius (in sua *ad indd. purg. præfatione*) in hunc clancularium agendi modum, quasi fraude plenissimum doloque. (idem fere conqueritur Arnaldus, in *sua ad Danielem Francum Epistola*, quæ posterioris hujus *de indicibus librorum prohib. disquisitioni* præmittitur et ipse Francus, ib. c. 1, § 3) Sed ne similibus diutius immoremur observasse sufficiat; hæc aliud nihil esse, quam, ut dicimus, petitionem principii: si namque evictum fuerit; jure merito, libros fidei morumque eversivos ab ecclesia proscriptos fuisse; provideque aliorum, tum ut lectorum consuleretur utilitati; tum ne mercatorum noceretur emolumentis, præceptam fuisse expurgationem; quis non ultro fateatur eum præ ceteris adhibendum, in negotio prosequendo modum, qui certius, pro circumstantiis, ad optatum perducat exitum? Si statim distractus fuisset ille index; numquid non prævideri debebat, quod plures ex eo minus religiose, vel etiam infideliter aut fraudulenter in damnum lectorum et in novam typographorum calamitatem essent correcturi? Modus itaque ille clancularius communis quædam est in agendo prudentia.

4 Porro carpendus venit index ille; si verum est, quod contendunt Espenius (*De prom. legum*, p. 4. c. 2. § 3) et Leplat (*Vindiciæ assertorum in præf. codicis conc. Trid.* c. V) et innuere videntur ipsa, si presse urgeantur, prælaudata Phil. II verba (*quæcumque vero alia purgationem facile admissura*); voluisse, scilicet, regem censorio suorum judicio subjicere ipsum Tridentinum indicem; expurgando aut permittendo opera, quæ absolute per illum fuerant proscripta. Rigido quidem hoc sensu laudata verba regii intellexisse videntur expurgatores: nam, cum plures regulæ plura Episcopis et inquisitoribus examinanda et vel permittenda vel expurganda committerent opera; quædam vero regulæ ita absolute proscriberent certos libros; ut nulla jam Episcopis aut inquisitoribus generatim ea permittendi aut expurgandi facultas relinqueretur [1]; ipsi posterioris quoque generis opera expurgarunt, vel simpliciter indulse-

[1] *Instructio Clementina, de correctione librorum*, § 1, potestatem facit inquisitoribus et Episcopis, quoscumque libros expurgandi, sed tantum juxta præscriptum ait, hujus indicis; scilicet, Tridentini, ab ipso Clem. VIII aucti; adeoque juxta normam ipsis regulis indicis exhibitam. Sequitur ergo non posse illos expurgare libros, quos regulæ libris absolute prohibitis, nequaquam vero expurgandis accensent.

runt. Quamvis v. g. reg. 2^da^ omnia hæreticorum de religione, scripta simpliciter interdixisset; Caroli Molinæi, auctoris damnati primæ classis ind. Trid.; adeoque certe hæretici, in decretales et regulas cancellariæ scripta expurgata permittunt censores (in classe jurisprudentiæ).

Suadet tamen totus diplomatis regii et præfationis Ariæ Montani contextus, sincerusque, qui in omnibus apparet Tridentinæ dispositioni obsequendi animus, bona fide omnes potestatem usurpasse non suam, ex pravo regulæ 2^dæ^ intellectu, qui in præfatione manifestus occurrit : ibidem enim opera omnia, quæ non forent hæresiarcharum, tam theologici, quam cujusvis alius argumenti debite examinata, et vel probata, vel purgata, indice Tridentino permitti dicuntur; cum tamen e contrario hæreticorum scripta, quæ de religione ex professo tractant, omnino damnentur; reliquis tantum examini et purgationi permissis.

Quod si minus probaveris; cum auctoritate spirituali præsidere Episcopus eruditus; æquitas postulat; ut, sin minus prævius, saltem subsequens summi Pontificis assensus requisitus ponatur : nec enim quæsitum videtur supponere, quod pro specialibus, in quibus versabatur, circumstantiis, laudatus Episcopus instructus esset singulari privilegio, quædam opera, ceteroquin vetita, indulgendi. Quidquid sit; amotis hodie omnibus illis potestatis civilis implicationibus, index Romanus hic simpliciter editur retento v. g. etiam nomine Molinæi, tanquam auctoris damnati in prima cl. ind. Trid.

3 Hoc circa indices purgatorios notandum superest : quod nulli indicibus hujusmodi vitio vertendum sit; si diversissime etiam diversi de eodem libro statuant : operis enim alicujus, quod sæpe jam monuimus, lectio potest a tempore loco personisque periculum habere et quod unus censor non advertit scriptoris erratum, alteri potest merito videri censura aut purgatione dignum.

ADNOTATIO *H* AD N. 247.

De placeto regio.

N. 1 Privilegii regii, quod placeti nomine appellabatur, licet hodie favente 14° constitutionis nostræ articulo, feliciter abrogatum sit, pro hujus tamen argumenti nostri intelligentia, exacta danda notitia est.

In primis notandum est hoc monitum cl. Zallinger: « Cum et potes-» tates et res ecclesiasticæ et civiles distinctæ sint; altera ab altera inde-» pendens; utraque in suo genere suprema; profecto liquidissimi juris » est, quod Greg. II in ep. ad Leonem Isauricum scripsit. *Quemadmodum* » *Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet;..... sic nec* » *Imperator in ecclesias introspiciendi* [1] » proprio scilicet et nativo jure.

2 Ex benigno interim ecclesiæ consensu, saltem tacito, introductum pluribus in regnis fuit; ut leges novæ, quæ disciplinam ecclesiæ tantum concernerent, vim non haberent obligandi; nisi principis civilis eisdem accederet approbatio; seu, ut aiebant, *placetum regium;* quod dici potest, esse jus quoddam, principi civili ab ecclesia benigne concessum, inspiciendi certa quædam rescripta apostolica, eaque examinandi, cum facultate suspendendi eorumdem aut promulgationem aut exsecutionem, si quædam rationabilis causa, v. g. incommoda, hoc particulari loco, secutura, id suaderent.

Est autem contra Espenium aliosque diligenter distinguendum hoc jus approbationis seu placeti regii, quod institutionis positivæ est, a jure cautionis seu defensionis sui, quod unicuique potestati contra vim externam est inditum; quodque nedum ad inspectionem et probationem omnium alienæ potestatis actuum extendatur, ad casum imminentis injuriæ restringitur [2].

3 Invaluit autem potissimum ille inspiciendi usus, sub magno occidentis schismate; concernebatque solam constitutionum, quæ apostolicæ quam plurimæ ferebantur (pluribus sese Pontifices gerentibus) authentiam; et, qua talis, æquus erat ac legitimus, cum nemo ullus obligaretur ejus, quem pseudo-pontificem existimabat, amplecti constitutiones. Verum exinde ad ipsum legum pontificiarum contentum extendi cepit

[1] *Jus eccl. publ.* n. 401.

[2] Cfr auctores, qui in hanc juris canonici quæstionem latius scripsere; sed caveto a fermento Gallicano et Espeniano.

inspectio; et quidem, benigne annuente, vel saltem tolerante ecclesia, exortum est jus placeti regii; cujus, quia per usum natum est, et per usum increvit, etiam, pro variis regionum usibus, extensio determinanda est.

4 Hoc certum est; illius objectum necessario restringi ad ea, quæ ab ecclesiæ pendent ordinatione : nam quod juris divini est aut naturalis, ecclesia relaxare numquam potuit aut voluit. Proinde nihil quidquam per jus placeti decedere intelligitur cognitæ, in fide, aut moribus doctrinæ; nihil etiam independenti, quam a Christo salvatore, indivulse sibi inhærentem et, quoad solum usum, permissam sibi, ecclesia tenet, potestati. Ecclesia igitur semper valide potest concessa ejusmodi privilegia revocare; nonnumquam revocare omnino debet; cum nempe abusui non tolerando ansam præbent, vel ecclesia quæ muneris sui sunt, exsequi aliter non potest.

Potest quidem ecclesia ipsas, quibus jus divinum explicatur, constitutiones simili obnoxias facere conditioni, quoniam istæ non ipsum sunt jus divinum, sed ejusdem concredita Ecclesiæ dispensatio : attamen gravissimis tantum de rationibus id concedit ecclesia; ne v. g. majoris damni occasio sit importune ingesta veritatis notitia, quæ suo tempore felicius communicanda prævidetur [1]. Neque id miratum ibis; cum eæ constitutiones, quæ altioris juris declarativæ, etiam antequam promulgentur, constringant omnes, ad quorum notitiam pervenit, quod iis continetur [2].

[1] Constat veritates a Deo, qui primus ipse ordo est, omnisque ordinis auctor, revelatas, sive dogmaticæ eæ sint, sive morales, ordinis publici perturbatrices esse haud posse; possunt tamen per hominum malitiam, occasionem præbere turbis, et ex iisdem hæreses nasci et schismata. Idem prorsus dicendum est de propositione et prædicatione illius, quam Deus propagari mandavit doctrinæ. Quod si acciderit; ut ejusmodi pessimi timeantur exitus; potest ecclesia prudenti uti œconomia, et supersedere, ad tempus, promulgationi veritatis, præsertim ad salutem minus necessariæ; quam ignorare quis sine damno salutis possit; quamvis, utut detenta, veritas maneat, neque adeo sui conscios dirigere et ligare desinat; neque agnita, sine infidelitatis crimine, repelli queat. Quapropter non nisi ob gravissimas, quas ipsa, non princeps civilis, perpenderit, causas hic diu saltem relaxandum arbitratur ecclesia; ne suo quiescente stimulo, culpabilis in damnum animarum ingravescat ignorantia; neve communi favente errore, integrum fidei depositum labefactare, fideles perturbare aut dispergere tentet hostis. Dixi, *saltem diu*; nam ad brevé tempus, levioribus de causis, ecclesia tolerat non publicari sua, in fide, decreta. Sic concilium Tridentinum, licet quam plurimas complecteretur definitiones dogmaticas et non uno loco serperent errores contrarii; non tamen illico, postquam pontificia accessisset confirmatio, fuit publicandum ; sed integer soluta synodo concessus fuit annus, quo promulgatio hæc oportune ubique perageretur. Cfr. sess. XXV, c. II de ref. cum sess. XXIV, c. II de ref.

[2] Quod hinc Episcopos inter et Pontificem intercedit commercium, divino jure liberum, et ab omni potestatis civilis censura prorsus immune atque independens ; libertate apostolica an. 1816, contra pseudo-politicos vindicavit Em, d. De Bonald, *Instr. past. sur la liberté de l'église.*

5 Principum tamen privilegia in immensum extendere annisi sunt pseudo-politici, ultra id etiam progressi, quod concedere ecclesia possit. Espenius noster in tr. *De promulgatione legum* [1] per totam sese eviscerat 4^m^ et 5^m^ partem, ut hoc placeti jus in librorum prohibitionibus [2] et in ipsis bullis dogmaticis adstruat. Post Espenium Judocus Leplat generatim statuit : « leges nullas, decreta nulla, etiam ad disciplinam ecclesiasticam » spectantia, Belgas obligare ; nisi, prævie obtento placeto regio, debite » apud nos publicata aut evulgata fuerint [3]. » Præiverat auctor gemini opusculi, *jus Belgarum circa Bullarum pontificiarum receptionem*, et *Defensio Belgarum contra evocationes et peregrina judicia*, sine ulla distinctione affirmans : usu firmatum esse. « Ut rescripta, brevia, bullæ » Romanæ non ante in hac natione vim obtineant, aut sinantur exsecu- » tioni mandari ; quam recognitæ, discussæ et probatæ sunt eorum cal- » culo, qui jurisdictioni, vice regia, præsunt per provincias [4]. »

Non tamen huc temerarias protendebant manus serenissimi, qui Belgium, cum leges indicis ferebantur, gubernabant, Principes nostri : etenim, ut probat Zypæus, [5] jus placeti in Belgio nequidem extendebatur ad leges constitutionesque apostolicas, utpote restrictum ad rescripta ad privatos data, maxime beneficialia et litigiosa inter partes, in quibus facilius intervenit obreptio. In litteris diei 3 oct. 1641. Richardus Paulus Stravius, Bruxellis minister apostolicus ad senatum scribebat ; se exemplo prædecessorum suorum, sine ullo placeto publicari fecisse, per octo annos, constitutiones Sedis apostolicæ in materia fidei, correctione morum et librorum prohibitione. Ipse etiam Philippus IV, in litteris, 13 jun. an. 1659, ad Belgii gubernatorem datis, advertit quod « placeto opus non » sit ; nisi in materia beneficiali et litigiosa inter partes [6]. »

6 A placeto autem stricte dicto, sine quo rescriptum apostolicum vim nullam etiam in conscientia sortitur, apprime distinguendus est usus ille, qui apud Principes catholicos laudabiliter obtinuit ; ut, scilicet, diplomata pontificia per tribunalia secularia executioni mandari curarent ; id quod unicuique manifestum puto, magis a bona principum voluntate pendere [7] ; quamquam vel id, ubi rerum adjuncta, non obstant, summa

[1] Hunc tractatum protrudit auctor eo fine ; ut bullam dogmaticam, *Unigenitus*, quam Romæ confici sciebat, in antecessum everteret. V. Zall. *Jus publ. eccl.* c. XI, n. 401, nota (D).

[2] Quid in prohibitione librorum dogmaticum sit, quid disciplinare, diximus supra n. 231.

[3] *Vindiciæ assertorum....* p. 29.

[4] Cfr. § VI. *Disquisitionis hist. crit.* desuper compositæ ab ex d. Deram et adjectæ *Actis Zegeri Bern. Vanespen circa missionem Hollandicam.*

[5] *Jus pontif. novum.* tit. de constit.

[6] Confer Zallinger, *Jus eccl. publ.* n.400 et seq. ubi prætensa inspiciendi et cavend jura majestatica pro merito exagitat. Item *Breviculum modernarum quæst.* c. IX. § 5

[7] V. Steyaert *Aphorism.* 1 p. disp. IX, n. 14.

æquitas postulare videatur; dum societas ecclesiastica instituta fuit a Christo domino non subordinata; sed coordinata societati civili; quam nexu spirituali non uno coagmentat et consolidat. Condecet igitur, ut status civilis ei, a qua tot commoda percipit ordinis superioris, suum quoque protectionis officium (jus tuendi appellant) non ingratus impendat ecclesiæ [1]. Quotiescumque vero princeps aliquam constitutionem ecclesiasticam ipse promulgat; aut legis civilis robore firmat; liquidum puto; implicite saltem, hoc ipso, concedi placeti beneficium; si pro regionis probata consuetudine materia sit placeto subjecta; etiam si nullus intervenerit obtinendi placeti processus [2]. Nequaquam autem ex eo, quod lex quædam ecclesiastica effectum nullum obtineret in foro civili, concludi poterat; eam placeto non fuisse subjectam; et multo minus eam in foro conscientiæ legis obligantis vim haud obtinuisse. Etenim 1° quantumvis plerumque placetum regium hoc quoque adnexum sibi haberet, ut lex placetata jam in civili quoque foro effectum sortiretur; poterat tamen placetum, ab hoc privilegio separatum concedi : et 2° quod diligentius est notandum, pleraque statuta pontificia, utpote dogmatica aut saltem juris anterioris declarativa, aut usu favente, nec placeto quidem egebant, ut obligationem inducerent conscientiæ.

Confusionis ergo, sub cujus tutela decertare gestiunt Espenius et alii ejusdem furfuris homines, vitandæ causa, hæc semper præ oculis habenda distinctio est.

a) Ut quæcumque ecclesiæ leges vim quoque obtinerent in foro civili, benigna erat principis concessio;

b) Ut quædam rescripta apostolica etiam in conscientia robur obtinerent (in Belgio ad beneficialia et litigiosa placetum restringebatur; alibi latius, ad summum, ut n. 4 vidimus, ad novas constitutiones disciplinares, pro usu locorum, extenditur) ex benigno ecclesiæ indulto requirebatur et sufficiebat solum placetum;

c) Dogmaticæ vero et declarativæ prioris juris constitutiones suapte vi, in conscientia semper ligarunt simul atque earum noscebatur contentum; esto nullus accederet principis consensus : cum immo, privato studio detegens quod iis continebatur, lege cognita ligatus fuisset.

[1] Argumentum hoc latius prosequitur ill. Clemens Augustus, *De la paix entre l'église et les états*, a c. IV. ad VII.

[2] Processum hunc describit Vanespen, *Jus univ.* p. 2. s. III. tit. VII. c. VI.

ADNOTATIO *J* AD N. 320.

Emissa, ann. 1843, ab illustr. Belgii Episcopis Instructione past., diariorum, quæ liberalia dicimus, editores plerique, sepeti perspexerunt: inde iræ; et pro aris et focis, quin et pro pane et vita excursiones quotidianæ linguarum malevolarum; ut subiisset prurigo quædam investigandi; quid tandem novi proferrent oblocutores isti; quod non ante dictum ab incredulis, hæreticis, aliisque adversus ecclesiam, viris rebellibus fuisset. Rem itaque explorare volui, oportune siquidem operæ pretium responderet, communicandam. Quantum vero me exspectatio fefellit! Cum enim percurrissem quidquid simile scriptum (quod facile tum temporis omnium habebatur princeps) per mensem integrum et amplius proructasset; vix reperi, quod non jam sit in hac opella ex antecedentibus longe scriptoribus adductum; et millies a catholicis repulsum; nisi quædam dicteria et, verborum aculeos, aperte futilia et gratuita, sine ullo argumento, in medium prolata; ea vero plerumque ex vanis pseudo-politicorum placitis prætensisque dominationis exclusoriæ juribus desumpta; ut pigeret in hanc dimicationum politicarum arenam gressus inferre. Quia tamen passim non modo in aliis ejusdem furfuris diariis; sed et in mundanorum consuetudine frequentius repetuntur; præcipuas ex ephemeridibus illis difficultates in medium proferre non absonum duxi; ut pateat, quam futilia et insipida sint, etiam potentissimorum hostium arma; imaginemque habeamus illius, quæ tantopere jactatur in mundo, liberalium ephemeridum præstantiæ: similes namque næniæ quomodo bonis ingeniis informandis; quomodo veræ arti styloque proficere possint; capiat qui potest. In unam autem quæ lustranda duxi, objectionem compegi; ut prudens quisque disjudicare valeat; quam facile similia; quæ, seorsim sumpta, nullius sunt ponderis; cum cumulantur et per mensem integrum, aliis atque aliis sub formis inculcantur; tandem animos, non satis cautos, nec pietate et scientia radicatos, commovere saltem possint; si non agmine suo subvertere.

Dicunt itaque : 1° Secretus Instructionis pastoralis scopus est mere politicus; volunt nempe Episcopi dominari in rem civilem.

2° Quid? immo jam dominantur : omnes namque status nostri ordines; velint, nolint, eisdem deferre coguntur. Si ministri aut comitia publica non illico morem gerant placitis eorum; insistunt illi, mala patriæ minitantes.

3° Id ambitioni haud facit satis : resistentibus, enim, quos vocant, *parti libéral*, res non undequaque e voto cedit. Quia vero diariis potissimum expugnari se sentiunt, his primum, per *Instructionem past.*, bellum putarunt inferendum, ne politice cœcutientium aperiantur plebium oculi.

4° Cui quidem Instructioni conformia dabuntur clero monita secreta, quibus omnia, quæ non serviliter etiam in placitis politicis, Episcopis subserviunt diaria, proscribantur; velut olim ephemerides, ceteroquin catholicæ, dictæ, *Journal des Flandres.*

5° Deinceps, si technæ illæ propositum attingant scopum, omnes leges sanciendæ præformabuntur in diariis ultra catholicis, ex præscripto instructionum pastoralium, et e norma famosæ illius, anni 1832, Encyclicæ; qua Pontifex profligat deterrimam illam ac numquam satis exsecrandam libertatem; quam, sanguine concivium nostrorum vix acquisitam possidemus, ut omnium, quæ nacti sumus, jurium, longe pretiosissimum; fanatici vero clanculo oppugnant, e suggestu, per domos, in confessionali.

6° Qua libertate sibi solis frui vellent sub beneficio, si ita loqui fas est, inventarii.

7° Ast quia populorum informationem per ephemerides aliaque hujusmodi scripta sibi eripi animadvertunt; illam ipsam libertatem eversam cupiunt, et adversus illam decretis censurisque armati procedunt, amissa lugentes censuram civilem cum librorum incendio, et quidquid ante annum 1789 in Europa erat ignorantiæ, barbariæ et fanatismi; odioque prosequentes suo, quidquid modernæ rerum eversiones nobis attulere felicitatis, independentiæ, industriæ et gloriæ.

8° Allegatur periculum corruptionis morum et religionis discrimen. Prætextus est, inquiunt : etenim Belgæ fide et moribus gloriari merito possunt, ideo præ ceteris populis impensissime laudati ab em. Card. Pacca [1]; viro seculi sui apprime conscio. Ipsi etiam Episcopi, ut imaginarios suos pro Belgio timores aliis communes faciant; apud exteras gentes exempla quærere coguntur.

9° Fatemur interim et nos, inquiunt, esse in Belgio quosdam excentricos, religionis osores; qui etiam liberalium sibi nomen tribuunt; esse et quosdam scriptores, qui morum leges palam prævaricantur : at non solum ostracismi legem subeunt apud moratos Belgii nostri incolas; sed etiam scriptis eos exagitant quicumque, vere liberales : etenim religioni imprimis morumque honestati sumus addictissimi : pluries namque jam ab anno 1830, rebus publicis potiti, quid moliti sumus adversus religionem ? Quid sanximus moribus inimicum ?

[1] *Situation actuelle de l'église.* Disc. prononcé à l'ouverture de l'académie de la rel. cath. à Rome, en 1843. In collectaneis, *Journ. hist.* t. X, p. 605.

10° Quoad ephemerides nostras, religioni, semper honorem habuimus; et quantum ad honestatem morum, numquid primi nos rupimus, quem bona fide inieramus cum aliorum quorumdam diariorum editoribus contractum, de superaddendo, in hebdomades singulas, libro aliquo romanensi [1], simul atque perspeximus, imprimi libros, quibusdam lectoribus periculosos; quos exinde, pro pactorum nostrorum exsecutione, solis iis misimus, qui mitti sibi volebant? exaggerant igitur pericula Episcopi.

11° Ignorantes usque modo epocham suam, et libertates et jura jam quæsita, deberent meminisse, abuti se auctoritate sua sacra; quoties, ea mediante, promovere placita sua politica aut dominationem in temporalia annituntur; præsertim in comitiis electivis : at semper stationnarii, hærent priscis illis ideis institutisque medii ævi, cumque eos progredi impellat seculi genium; ipsi in anteriora gressum referunt, vere, pro ecclesiæ catholicæ spiritu, retrogradi.

12° Ceterum ipsi Episcopi, hanc edentes Instructionem pastoralem, cesserint constitutionum pristinarum formulis; seu cuidam stylo curiæ; secuti patrem quemdam Jesuitam, satis notum; qui, pro ordinis sui spiritu, defossis medii ævi ruderibus, libellum edidit intolerantiæ, ambitionis et dominationis ecclesiasticæ plenum.

13° Ipsi namque Episcopi, jam melius edocti religionis spiritum, missam subinde faciunt litteram illam mortuam; dum v. g. tolerantiæ et usibus seculi deferentes, ipsi obvii procedunt Reginæ Angliæ, veræ Anglicanorum papissæ.

Atque hæc quidem sunt, quæ magis speciosa seu potius minus insipida reperire potui, disseminata in foliis triginta aut amplius dicti diarii; cujus in fidei testimonium citata servare volui loca, quibus illa quoad substantiam continentur : pacis tamen studio ea minime vulganda censui.

Suffecerit nobis nostrum informare posse judicium de illo, qui ephemeridibus acatholicis, præest spiritu; et nosse quanta illic vigeat ipsarum intentionum perspicacia; qui morum sensus; qui religionis cultus; quæ etiam argumentandi vis; quam sana de institutionibus regni nostri deque populorum necessitatibus, verbo de omni epochæ negotio existimatio; quam irreformabile judicium!!

Ne credas tamen omnia me comprehendisse : sunt sexcenta alia; at nimium insulsa, ut referre valeam. Quis ferat v. g. hujusmodi, quæ non semel transfigurata occurrit, ratiocinationem : Instructio pastoralis adhibet liberalium testimonia, ut probet scriptorum impiorum atque obscœnorum lectionem periculum inferre fidei et moribus : igitur liberales nec religioni nec morum honestati graves imminent? Æquivalet huic : Voltaire et Rousseau laudantur aliquando, quod fidem celebraverint, aut

[1] Integram facti historiam habes supra, n. 303.

virtutem commendaverint : ergo nihil umquam scripsere, quod fidei esset inimicum aut moribus.

Consilium mihi fuerat, insulsa isthæc deliramenta sine responsis dimittere; ne lectorum meorum prudentiæ injurius existerem. Verum timeri potest; ne quandoque in librum incidat, qui infirmior est fide aut doctrina, et offendiculum patiatur; dum prava legit, nullo parato antidoto. Ideo venia mihi sit, si iis, quæ nostræ haud sunt palæstræ, dato brevi, ad singula objecta, responso, aliquantisper immorer.

R. ad 1. Finis ille in ipsa Instructione past. non promittitur, imis Episcoporum cordibus latitans; ubi, nescio, quo revelante, detectus a pseudoliberalibus et in ædificationem fidelium mundo feliciter revelatus! Probent. Quis verus sit prohibitionis diariorum scopus; videbimus, infra, R. ad. 7^m^ et 8^m^.

R. ad 2. « La domination du clergé, l'envahissement des prêtres, la » théocratie, voilà le mot d'ordre.... voilà le croquemitaine, que l'on fait » apparaître à toutes les imaginations faibles, aux gens simples qui ne » peuvent voir et juger par eux-mêmes.... Singulière domination, en » vérité! les adversaires du clergé ont pour organes 63 journaux, les catho» liques n'en ont pas 15 [1]. »

« Singulière domination en vérité! les journaux du parti exalté atta» quent chaque jour le clergé avec un acharnement, qui rappelle 1793; » ils battent en brèche les fondements de l'église catholique, ridiculisent » ses augustes cérémonies, conspuent ses dogmes et le premier procès est » encore à faire!...

» Le clergé a-t-il empiété sur les prérogatives du pouvoir? Mais depuis » 1831, sur 42 ministres, qui ont tenu les rênes de l'état, les catholiques » n'en ont compté que quatre! » His ipsis verbis calumniam excipiebat scriptum, *le feuilleton Belge* (ann. 1845, n. 22, 2 juin); ubi singulatim affert, et non minus energice, quam lepide removet, quidquid pseudo-liberales criminari de cleri dominatione, poterant; excussis, ad unum omnibus et singulis, qui prætendi poterant, vel umbraticæ dominationis titulis. Certe si politice dominabantur Episcopi, habebant suos in ministerio, in comitiis nationalibus, suos in magistratu, suos in exercitu defensores et actores. Nihil tamen horum modestæ Præsulum dominationi præsidio fuisse; ipse nos docebat (Revue nationale, pour lors organe, fidèle et avoué des libéraux, 2^me^ série, 3^me^ livraison, p. 287) « les membres du » gouvernement provisoire, y est-il dit, ses ministres, ceux du régent, les » membres les plus actifs de la majorité et de la minorité du congrès, tous, » à trois ou quatre exceptions près, appartenaient à l'opinion libérale. » Depuis le congrès, elle a conquis une moitié de la chambre des repré-

[1] Hodie feliciter hæc Belgarum in catholicos et liberales bipartitio missa est : eam sane numquam catholici priores resuscitaturi sunt.

» sentants, la majorité de presque tous les conseils des provinces et des » grandes villes, la majorité ou une minorité ascendante dans ceux des » petites villes. Les cadres de l'armée lui appartiennent presque tout » entiers, elle est en grande majorité dans les rangs du barreau ; de la ma- » gistrature, de l'administration.» Sane multo minus dominabantur Episcopi in acie eorum, qui præfati scripti factionem quam longissime prætergrediebantur, liberalium, quos dicebant, excentricorum. Hæc porro, quam inclamabant, dominatio, quomodo consisteret cum ea, quam alibi, nec semel, dixerunt, esse cleri et catholicorum ad rudera medii ævi ineluctabilem affectionem ?« Chose curieuse, s'écriait naguère un auteur mo- » derne, Chose curieuse ! Au dire de ceux-ci, le clergé est un être mysté- » rieux, qui ouvre toutes les portes et qui voit à travers tous les murs ; qui » est le conseiller de tous les pouvoirs et le confident de tous les partis ; » qui intervient dans tout et mène tout, qui dispose du budget de l'état » et de la signature des ministres ; espèce de Figaro de sacristie, trompant » les plus adroits, corrompant les plus intègres, connaissant le secret de » toutes les positions, le nœud de toutes les intrigues. D'après ceux-là, le » clergé habite un autre monde et appartient à un autre siècle que nous, » stéréotypé dans le moyen âge, il ne comprend ni les idées ni les besoins » de notre époque ; l'isolement est pour lui, non-seulement un devoir, » mais un bonheur ; ne se laissant troubler par aucun des bruits de notre » civilisation, ne se préoccupant d'aucun des soucis de notre vie ; il se » consacre tout entier aux études de son état et aux fonctions de son mi- » nistère. Ainsi tandis que les uns accusent le clergé d'être constamment » mêlé à tout, les autres lui reprochent de rester complétement étranger » à tout. (M. P. Dedecker dans ses *Quinze ans*, p. 34.)

At quod neque per se, neque per suos Episcopi poterant, minis assequebantur, imminentia reipublicæ mala denuntiantes ! — Utique minantur ! et quid præterea ? Minantur !! et totus contremiscit fortium exercitus !

R. ad 3. Jam responsum in præcedentibus fuit : cum omnis ambitio, dominatio et contentio phantastica sit ; eadem ratione res imaginariis illis pugnis feliciter aut infeliciter cedat ; quid ad nos ? Fatebantur interim objicientes ; quod nobis, catholicis, tum obsisterent pseudo-liberales ; adversarios se ipsi sistebant. At nos eorum diariis..... semper bellum inferimus : Dist. scriptis liberalium, religionis morumque subversivis ; C. mere politicis, N. Argumentis deficiunt adversarii.

R. ad 4^m. In sensu objicientium : Nego, cum scopus Instructionis minime sit politicus : qua vero diaria sunt fidei bonisque inimica moribus, habent pastores et confessarii, quas hic, ut alibi, tuto sequantur, theologiæ moralis regulas.

At, le *Journal des Flandres*, ephemerides catholicæ, tam integræ in fide morumque præceptis ! et non agatur de placitis politicis ?

R. Citatæ ephemerides, tam catholicæ, non unum suppeditarant justum, quo prohiberi possent, titulum : cum enim in illustrissimos Belgii Præsules calumnias torquerent, inter fideles et præsertim inter clericos discordiarum semina spargerent [1]; nemo putem, cui sincera mens est, severiorem dixerit sententiam, qua ad correctionis tempus, solis clericis prohibitæ fuerunt.

R. ad 5. Utquid soli catholici prohibeantur leges ferendas discutere? — Gratuito accusantur alios hoc discussionis aut voti legitimi jure exclusos velle. — Litteras encyclicas anni 1832 nos catholici, ad unum omnes, latis ulnis amplectimur, (cfr. quæ de super dicta fuere c. I, n. 80) et tamen contendimus esse in primis *politice liberi*. Libertatum nostrarum jura ne tangit quidem dicta encyclica epistola ; quod ipsorum ss. Pontificum constat auctoritate (ib.). Quis catholicus, pro munere ad hoc obligatus, recusavit juramentum præstare fidelitatis constitutioni nostræ? Quis quasi illicitum jurasset, infregit? Majorne est sacramenti religio apud eos, qui liberalium nomine [2] gloriantur?

Utique clandestinis artibus catholici libertatem adoriuntur! E suggestu, in encyclica, aliisque documentis publicis doctrinam nostram celamus mundo!!

R. ad 6. Falsum patet ex dictis ad 5^m^. Calumniam non calumniose retorqueri posse videbimus infra R. ad 7^m^ et R. ad 8^m^.

R. ad 7. Passim corrumpi videntes juventutis institutionem, quin et adultorum everti fidem et labefactari mores, merito, ut puto, et, pro jure nostro, vocem attollimus; probent adversarii nos catholicos libertatem postulasse restrictam et victas damus manus. Quis catholicorum sensus de suppressa censura civili, diximus, c. I, loco cit. Ex imo tamen corde detestamur, qui indies per libertatis abusum prodeunt, libros impios et obscœnos, et omni modo, legibus libertatis non adverso, expugnandos docemus. Si quando illos pro temporum adjunctis ecclesia combusserit; quid erat crudele magis ; exustis libris eorumdem auctores cultoresque absterrere; an libris parcere et qui per eos ad crimen adacti fuissent, capite minuere? Ignorantismi labem ab ecclesia depulimus c. I, n. 87. Medii ævi fanatismum barbariemque procul amandata, et ipsi gloriamur. Si in ecclesia catholica fanatismus fuerit repertus; tamen numquam ab ecclesia; quæ feros barbarorum populorum mores paullatim emendare numquam destitit. Ora obstruant Lutheri et Calvini rabies; schismatis Anglicani persecutiones; philosophismi sæculi XVIII^i^ furores, modo adhuc

[1] V. *Journal hist. et litt.* t. V. p. 506.

[2] Vocem liberalium, hic adhibemus non sensu politico, sed religioso; quatenus liberales illi se sistunt adversarios religionis catholicæ; secus atque viri illi, qui et liberales proprie soli dicerentur, qui libertatem lege regni sancitam omnibus sincere communem volunt, sive catholici ii sint, sive non sint. (Cfr. R ad 9^m^.)

omnibus noti, et hæc omnia ex intimis horum cultuum seu systematum visceribus orta! Obstruant et nostratum quorumdam excentricorum recentia consilia, machinationes, fascinora! (Recole tumultus in urbe Verviensi et quæ citabuntur infra R. ad 9um).

R. ad 8. Impense laudati Belgæ ab em. Card. Pacca; ergo omnes irreprehensibiles : ergo nulli expositi periculo!! Mira conclusio! Quam merito laudati; patuit nuper, cum ab ill. suis Episcopis moniti, plures prava scripta rejecere; alii monitis obsurdescentes suam perrexere corruptionis viam. Galliam Episcopi in exemplum ducunt; non quod deploranda in Belgio facta deficiant; sed quod in Gallia factum sit magis notorium, nulli ignotum et omnibus in futurum seculis portentosum. Non vanis eos pro Belgio timoribus terreri nec inani clamore aures implere nostras, inter alia exempla, in mundo Romanensi quotidiana, probant vel ipsa centena lectorum, etiam catholicorum, millia, quos suis distendit pestiferis pabulis infame illud scriptum, *Le Juif errant;* etiam cum vix lapsus esset annus, ex quo ill. patriæ Præsules, unitis vocibus, contra damnabilem lectionis abusum inclamassent.

R. ad 9. Apud plures quidem, verum est, pestifera ejusmodi scripta nauseam movent; alios tamen seducere facile possunt; et dormiant ecclesiæ ministri? Sunt liberales excentrici, religionis hostes gravissimi; sunt scriptores, qui mores bonos corrumpunt; et inclamare prohibeantur Episcopi?

Qui liberales vocantur sæpius rebus in Belgio potiti sunt et nihil contra religionem actum aut bonos mores. Et ideo non est qui repugnet; si viri hujuscemodi moderati ad gubernacula vocentur. Quid vero ab aliis, qui, vere excentrici, liberalium tamen nomine gloriantur, patriæ catholicæ exspectandum; docent nos recentia eorumdem, in diariis temporis illius, effata « ou la constitution sera changée légalement, — ou vous serez, » catholiques, abattus révolutionnairement. » (*Journal de Liége.*)

« Il vous faut des émeutes pour vous instruire. » (*Observateur.*)

« Le peuple descendra dans la rue. » (*Éclaireur.*)

« Lorsque le peuple souverain n'est pas écouté parlant par ses organes » légaux, il faut bien qu'il se fasse entendre. » (*Précurseur d'Anvers, Émeute de Verviers.*) Nemo quidem excentricum, radicalem... se profitebatur. Sed ex vocibus et fructibus eorum cognoscebantur.

R. ad 10. Non mihi res est adversus ipsos ephemeridum editores; qui tamen, ne impactæ, in religionem moresque manus, rei agantur; disculpatione sui indigere crediderunt. Ipsi religioni catholicæ sunt addictissimi, inquiunt; quam sincere, ipsi viderint. Etiam pessimi nominis liberales sese imprimis catholicos gloriantur : catholicos tamen liberales esse posse negant et pernegant : utique quia credunt ipsi doctrinæ catholicæ cum suis excentricorum liberalium opinionibus non convenire : ad fucum

ergo similes se catholicos gloriantur. Testes sunt ipsi diarii, quod refutamus, editores. Vide supra in obj. 9°.

Mores quod attinet; ipsi fatentur editores; sese, bona fide deceptos, aliquamdiu lectoribus propinasse, quæ legere damnosum. Utique miro præstant honesti sensu, qui similem errorem, demum moniti, agnoscunt! En certe exemplum, jam non e Gallia quæsitum, quod Episcoporum provocet vigilantiam! At decepti fuerint; esto! Et pacti initi religio coegerit, saltem petentibus suppeditare, quæ legere ipsi noluissent; iterum esto, sicut et pharmacopola, excusabitur; si, inito incaute venditionis contractu, petentibus porrigat venenum!!

R. ad. 11. Quasnam libertates, quæ jura, velut ignorantes, lædunt Episcopi? Probent adversarii; quod Instructio past. adoriatur, eam, quæ acquisita recentius fuit libertatem seu impunitatem civilem artis librariæ. Contendimus nos; catholicos sub prohibitionibus ecclesiæ, non minori gaudere libertate civili, quam adversarios nostros; immo etiam magis libere catholicos eorum diariis nuntium mittere, quam ipsi eadem legant et a diariis catholicis abstineant: non timor clamoris publici, non calumniæ nos absterrent; sed propria conscientia, qua volumus ecclesiæ subdi ejusdemque servare mandata. Falso igitur accusantur Episcopi ignorare epocham et violare jura quæsita.

Numquid ideo potius, quia optime noverunt spiritum et pericula epochæ suæ, pro fidei, morum et disciplinæ integritate, oves sibi commissas instruendas censuere monendasque? Numquid insuper quia sciebant novas leges nova civibus erga patriam officia, etiam religione præcipiente, imposuisse, has eisdem inculcare debuerunt[1]? Vel an id eis per legem civilem minus liberum est, quam diariorum editoribus? Numquid non potius religionis ministris, ut eminentibus sapientia viris, competit, pro ea, qua pollent prudentia, commissis sibi populis salubri non deesse consilio; quo sua in patriam officia, ad veram reipublicæ felicitatem, exsequantur; nisi præsto sint alii, qui hanc felicius in se provinciam suscipiant, viri.

Ceterum qua lege religionis ministri opinionis politicæ libertate excluduntur? Quo jure silentii lege, præ ullo alterius cujuscumque ordinis cive ligantur?

Quod ipsi jus exercemus; quando aliis negavimus? Et peregrinemur a juribus recens acquisitis!

At catholici, et nominatim Episcopi nostri stationnarii; seu, ut malunt ecclesiæ osores, retrogradi! Utique sicut ipsa ecclesia; cujus de progressu sensum optime pandit cl. d. Bautain (Conf. sur la religion et la liberté, éd. de Liége, p. 16.) « Oui l'église n'admet pas la nouveauté dans les prin» cipes; car ces principes, elle les trouve dans la parole de Dieu; elle les » puise à la source éternelle.... Mais elle admet la nouveauté dans le déve-

[1] Cfr *Instr. past.* Em. d. Engelberti datam, 21 maji 1845.

» loppement de ces principes sur la terre, dans l'application successive de » l'éternelle parole aux besoins variables du monde..... Elle aime le pro- » grès gradué, mesuré, solide, qui a sa source dans le passé, et qui marche » avec calme et sûreté vers l'avenir. Mais les mouvements brusques, sac- » cadés, qui brisent et bouleversent; les marches aveugles et haletantes.... » elle n'en veut pas..... Il n'y a donc pas à s'étonner, que les hommes de » désordre et d'agitation accusent l'église d'être l'ennemie du progrès. » C'est le progrès à leur manière qu'elle ne veut pas ; c'est-à-dire le mou- » vement brutal, passionné, désordonné, convulsif, sans point de départ et » sans terme raisonnable : agitation, factice, qui vit d'illusion et croit » avancer en tournant toujours sur elle-même. De là un grand mépris » pour tout ce qui existe, l'envie de tout détruire pour tout refaire. » Ecclesia ergo catholica, et, post illam, Episcopi nostri vere stationnarii in iis, quæ divina sunt et immutabilia, seu in principiis; contra in vita et motu est, ut perficiantur quæcumque humana et perfectibilia sunt. Eadem adeo semper in ea perseverat, de vetandis et prohibendis periculosis libris, sententia; quia semper eadem fides; idem Christus; eadem morum principia, eadem hominum natura et fragilitas. Nihil hic novi, progressus nullus. Sed numquid idem in scientiis physicis? Eadem semper corporum gravitatio? Et in mathematicis? Duo et duo sunt quatuor et semper quatuor? Ubi novum? Ubi progressus ?

R. ad. 12. Stylus curiæ! Quomodo ergo de excessibus quorumdam pseudo-liberalium et pseudo-moralistarum conveniunt adversarii ? Hi ipsi sunt excessus, qui Episcoporum excitarunt zelum; qui zelus si intolerantia, ambitio, dominatio audit apud quosdam; quid ad nos? Hi ipsi excessus coegerunt vigilantissimos Præsules nostros, levare vocem suam et pro fidei morumque integritate priscæ renovare disciplinæ severitatem. Sequantur ergo Episcopi nostri opusculum p. Boone inscriptum, *Les mauvais livres....* hoc ipsum opusculum unde haustum ?. Ex scholasticis. Et auctores scholastici unde profecerunt? Ex Patribus. Et Patres unde? Ex spiritu utique Christi et evangelii ejus; quin et ex rectæ rationis dictamine. Quorum proinde omnium momenta et testimonia non minus recensere debuerunt ill. Episcopi, quam r. p. Boone.

Porro hujus loci non est, latius vindicare ordinem religiosum, ab ecclesia commendatum in concilio Trid. [1]; et subsequentibus seculis a Pontificibus laudatum et ab innumeris Episcopis promotum. Sufficiat hic adnotasse; quod, pro ferventi sancti institutoris ejus voto ac prece, numquam ordini defecerint persecutiones et calumniæ. Notum est; quantum in societatem, a Jesu nuncupatam, debacchati fuerint sec. XVI, novatores. Jansenistarum in eosdem criminationes his verbis referebat ill. Fenelonius : « Les Jésuites ont fait les censures des facultés de théologie, dont

[1] Sess. xxv. c. xvi.

» ils sont exclus. Ils ont présidé aux assemblées, pour régler les délibé-
» rations de l'église de France. Ils ont conduit la plume de tous les Évê-
» ques dans leurs mandements. Ils ont donné des leçons à tous les Papes,
» pour composer leurs brefs. Ils ont dicté les constitutions du St. Siége. »
(*Instr. past. sur le syst. de Jansénius.*) Idem hodie perseverat hostium ecclesiæ spiritus : Greg. P. XVI, litteras fidelibus communicat encyclicas, et arbitrio du *Journal des Flandres* de cette époque, elles furent « un
» effet de la peur et des efforts combinés de la politique et du Jésui-
» tisme. » (V. *Journ. hist. et litt.*, t. x. p. 510.) Episcopi nostri emittunt Instructionem past. adversum libros quoscumque perversos, et vile sunt ordinis, qui nigro protectus sipario, totum e latibulo suo commovet orbem, instrumentum! Magnum sane religionis encomium, continuum illud hostium ecclesiæ in illam odium. Institutio itaque sancta est. Qui vero illam profitentur etiam homines sunt ; qui si ab spiritu ordinis deflectant ; semet, domas suas, quin et provincias suas possunt inficere, non ipsum institutum corrumpere ; quemadmodum nec Judæ proditio Apostolorum collegium, nec cleri, sub Henrico VIII, defectio ipsum, qui a Christo domino institutus est, ordinem hierarchicum conspurcarunt.

R. ad 13. Neque a littera neque a spiritu Instructionis suæ ad latum unguem recesserunt Episcopi ; cum Anglorum Reginæ, Belgium invisenti et per eorumdem diœcesim transeunti, obviam ivere. Non e genio seculi nostri ; sed ex benigna ecclesiæ dispensatione, quin et ex ipsa legis disciplinaris natura repetendum est ; quod communicatio cum hæreticis et excommunicatis, etiamsi nomine proprio censura percussi, atque adeo vitandi forent, semper indulta fuerit ; si id vel bonum publicum vel alia gravis ratio postularet.

TABULA ANALYTICA HUJUS OPERIS.

PROLEGOMENON.

N. 1 Idea fundamentalis operis. 2 Occasio, finis et partitio ejusdem. p.7

CAPUT I.

LIBRI, FIDEI MORUMQUE EVERSIVI, VITANDI AC PROHIBENDI SUNT. p. 9.

N. 3 Quid, hoc loco, liber malus? — Propositio hoc cap. demonstranda. 4 Arg. I. A fine hominis. 5 Arg. II. Ab injuria, quam perversi libri inferunt religioni, ac adeo ipsi Deo, ejusdem auctori. 6 Arg. III. A funestis effectibus, *respectu individuorum.* 7 a) *A libris impiis;* propter artes scriptorum, 8 et sinistras dispositiones eorum, qui legunt, in intellectu; et 9 in voluntate. 10 Exempla funestissimi effectus lectionis librorum impiorum. 11—12 b) A *libris obscœnis,* qui mores pervertunt; immo 13 et fidem lectorum, data opera, convellunt. 14 A funestis effectibus, *respectu familiarum* a) a libris *irreligiosis :* 15 b) a libris *immoralibus.* 16 A funestis effectibus, *respectu reipublicæ* a) *indirecte;* 17 b) *directe.* 18 A funestis effectibus, *respectu religionis.* 19 Generalis hujus, a funestis effectibus, argumenti conclusio. 20 Arg. IV. A conditione profectus bonarum artium, rei litterariæ, disciplinæ philosophicæ, studiorum historicorum, scientiarumque naturalium; quorum incrementum per veri honestique studium promovetur. Quod probatur a) a ratione, 21—22 b) ab experientia. 23 Litteras quod attinet; criticorum modernorum verbis exagitatur, quod nonnulli auctores populares invocant, principium, quo non solum artis poeticæ, sed et ipsius grammaticæ regulas insuper haberi posse, statuunt. 24—29 Confirmatur argumentum exemplis d. Victoris Hugo; Eug. Sue; Michelet; Georgii Sand et Luchet; quorum impia et obscœna opera etiam peritorum judicio in regulas artis turpiter peccant. 30 Arg. V. A necessitate educationis moralis et religiosæ juventutis. 31 Conclusio ex argumentis præcedentibus. 32 Argumentum historicum, latissime acceptum.— Specialis ejus, contra Sarpium, Boehmerum et Espenium, finis. 33 Usus veteris synagogæ. 34 Usus gentilium. 35 Usus primitivæ ecclesiæ et imprimis de facto Ephesino, de quo, Act. c. XIX. 19. 36 Quid primis ecclesiæ seculis? 37 Acta in concilio Nic. a Patribus et Constantino, contra librum *Thaliæ.* 38 Vindicantur contra Boehmerum Patres a fastu et crudelitate. — Librorum exustio. 39 Acta apud Arianos. 40 Index Damasianus, de canonicis scripturis. 41 Acta in concilio Carth. IV. 42 Acta contra libros Origenis. 43 Epistola Innocentii I, ad Exsupe-

rum Tolos. 44 Acta contra Pelagium. 45 Acta in concilio Ephesino. 46 Acta s. Leonis m. 47 His aliisque temporibus, multæ Imperatorum, contra libros hæreticorum, leges. 48 Decretum, an. 496, a Gelasio I. conditum, in concilio 70 Episcoporum. 49 Eo decreto *positive* prohibetur lectio privata, contra Espenium... 50—52 Idem decretum vindicatur contra Wernsdorffium. 53 Acta in ecclesia Græca. 54 Acta a Vigilio P. et concilio Constantinopolitano II, in negotio *trium capitulorum*. 55 Acta concilii Braccarensis in Hispania; Greg. m. et Martini I. 56 Concilii Cp^ni III. 57 Nicæni II. 58 Acta apud Nestorianos. 59 Acta in causa Erigenæ et *capitulorum Carisiacorum*, in Gallia. 60 Acta in causâ Photii, a ss. Pontificibus et concilio Cp^no IV. 61 Acta in Galliis, et in ecclesia orientali. 62 In Lateranensi concilio IV, contra librum Joachimi abbatis, — in Galliis sæpissime. 63 Acta a Joanne XXII, contra *defensorem pacis* Marsilii Patavini. 64 Acta in causa Wicleffistarum, a synodo Oxoniensi; a ss. Pontificibus, et concilio Constantiensi. 65 In statu Veneto et ab Al. VI, pro quibusdam Germaniæ provinciis. 66 Acta a Leone X, in concilio Lateranensi V. 67 Acta contra scripta Lutheri. 68 Quo sensu de re conveniant hæretici sec. XVI. — Vindicatur contra Bœhmerum lectionis etiam privatæ propie dicta prohibitio. 69 Conclusio argumentorum. 70 Objectiones. —Earum numerus,— fontes. 71—72 Refutatio generalis. 73—76 Obj. I, ex auctoritate scripturæ s. et ex dictis factisque ss. ecclesiæ Patrum. — An olim extiterit juris positivi generalis dispositio, qua omnia hæreticorum scripta prohiberentur? 77—78 Obj. II. Ex prætensa censuræ inutilitate. 79—85 Obj. III, ex jure libertatis, tum naturali, tum præsertim civili. 86 Obj. IV, ex nocumento illato a) rebus temporalibus privatorum ipsiusque reipublicæ, 87—94 b) litteris, scientiis studiisque philosophicis. (Remittitur ad compendium historicum processus Galileani, in append. sub nota A.)

—

CAPUT II.

POTESTATIS, QUÆ PERVERSOS LIBROS IN PARTICULARI PROHIBEAT, NECESSITAS ET INSTITUTIO.

95 Proœmium et divisio capitis. p. 99

SECTIO I.

Potestas hæc principaliter uni competit ecclesiæ. *ib.*

96 Prop^o: potestas hæc, necessaria, uni principaliter competit ecclesiæ, eaque latissima probatur 1 ex script. s. 97 Probatur 2 ex praxi primitivæ ecclesiæ et sententia ss. ecclesiæ Patrum. 98 Prob. 3 ex consensu principum. 99 Judicium ecclesiæ in hoc puncto infallibilitatis privilegio insigne; si tamen necessariæ adfuerint conditiones. V. notam *B*, de facto dogmatico, in fine operis.

SECTIO II^da.

Quænam hic sunt partes potestatis civilis? p. 104

100 Jus potestatis civ. circa libros bono publico inimicos. 101 Illius officium, aliud circa libros contrarios legi naturali, aliud circa libros religionis positivæ eversivos. 102 Jus et officium protectionis religioni impendendæ. — Censura civilis hodie, feliciter abrogata. 103 Quid si in regno omnibus legitime concedatur tolerantia civilis?

SECTIO III^ia.

Ad quos in ecclesia spectet hanc exercere potestatem. p. 107

104 1° Ad concilia œcum. 105 2° Ad ss. Pontifices. — Obj. Bœhmeri et Franci. 106 3° Ad synodos. 107 4° Ad Episcopos, inquisitores et omnes, qui habent jurisdictionem in foro externo. 108 5° Quid hic valent academiæ catholicæ? — Superiores religiosorum? 109 De censura privata.

—

CAPUT III.

QUINAM GENERATIM LIBRI VITANDI SINT ET PROHIBERI MEREANTUR.

SECTIO I.

Animadversiones generales. p. 113

110 Prohibitiones librorum vindicari possunt *directe* et *indirecte*. 111 Duplex omnium prohibitionum ratio : periculum lectorum et punitio scriptorum. — Hinc et duplex regula generalis prohibitionum. — Stricte loquendo aliud est prohibitio; aliud proscriptio. 112 Ut *impii*, ex priori regula, vitandi sunt libri, qui religionem *naturalem*, *Christianam* aut *catholicam quomodocumque* aut *in quacumque sui parte* impugnant. 113 Ut *immorales* vero, qui morum principia evertunt aut eadem in offensionem lectorum conculcant; nominatim *Romanenses* hodierni. 114 Horum indoles. 115 Variæ eorumdem species. 116 Boni Romanenses. — Cautela in eorumdem lectione adhibenda. 117 Quid hic libri obscœni? — Quidam libri, de turpibus tractantes, non tamen obscœni censeri debent. 118 Quinam generatim libri proscribi possint in pœnam auctorum.

SECTIO II.

Quæstiones particulares de iis, qui prohiberi possint aut debeant, libris. p. 120

119 Q. I. An et quatenus vitari prohiberique debeant libri, ea præcise ratione, qua mali sint vel nocivi. 120 Q. II. Libri non mali, sed ob fragilitatem lectorum periculosi, non proscribendi quidem; sed sæpe pro-

hibendi. — Hoc titulo ipsa scriptura s. prohiberi quandoque juste potest. 121 Contrarium gratis docent dd. Protestantes. — Quid Jansenistæ. 122 Doctrina catholicorum. 123 Hæc probatur 1° negative 2° probatur variis argumentis positivis. 124 Commendatur ex ipsa antiquæ ecclesiæ disciplina. 125 Objicitur, ex ss. Patribus, prætensa necessitas lectionis scripturæ s. ejusque ad fidem et salutem, citra traditionem, sufficientia. 126 R. 1. *Ad hominem :* res cum Protestantibus, ex ipso eorum principio, e solis scripturis dirimenda foret : ex iis autem nihil probare possunt. 127 R. 2. Patres in iis, qui afferuntur, textibus, ne attingunt quidem quæstionem nostram. 128 R. 3. Necessitas legendi, quam inculcant Patres, est tantum hypothetica et temporanea. 129 R. 4. Quomodo scriptura simul clara et obscura? 130 R. 5. Infirmis prudentius frangendus et tribuendus panis iste fortium. 131 R. 6. Quo sensu juxta ss. Patres scriptura sola sufficiat ad fidem et salutem. 132 Q. III. An liber quandoque prohibendus pro aliquo tantum loco aut tempore? 133 Q. IV. An prohiberi possint libri, qui, libertati ecclesiasticæ adversi, synodorum Episcoporumque ac regum jura dilatant? Obj. Rom. Pontifex suæ jurisdictionis unicus arbiter! 134 Q. V. An scripta nondum edita et probabiliter tantum futura noxia ? 135 Nominatim scripta periodica periculosissima, et adeo ipso naturæ jure sæpe vitanda et jure positivo prohibenda. 136 Obj. At prohibere quod nondum exstat, quod forte erit saluberrimum, canonicum! 137 Q. VI. An libri, etiam boni, quorum argumentum, justa de causa, placet silentio comprimere? 138 Q. VII. An libri, qui nullo aut falso eduntur nomine ? — Quid ad exemplum ss. Patrum, et scriptorum hagiographorum ? 139 Q. VIII. An scripta, quæ materialiter tantum seu narrative errores continent? 140 Q. IX. An libri interpolati et mutili? 141 Q. X. An prohiberi possunt libri, ut aiunt, *in odium hæreticorum?* — An quia apud hæreticos impressi? 142 Obj. Tolerantur antiqui hæreticorum libri ob solam antiquitatem — quo sensu veritatem in hæreticorum scriptis repudiemus et non repudiemus? 143 Q. XI. Libri idolatrici gentilium non ita sunt vitandi aut prohibendi ; nisi per accidens. 144 Q. XII. Libri Thalmudici, Rabbinici et Cabbalistici ab ecclesia *prohiberi* possunt, etsi scripti sunt ab auctoribus non subditis ecclesiæ. 145 Neque obstat eorumdem utilitas aut eorum, qui legere eos sciunt, eruditio. — Id confirmatur ecclesiæ catholicæ statutis, ipsiusque, contra Raynaudi assertum, Clem. VIII auctoritate. 146 Q. XIII. An libri, ut ab ecclesia prohiberi, sic quoque, renitente auctore, ab eadem possunt expurgari? — Neque obstat jus naturale, divinum aut jus gentium. 147-52 Objiciunt Junius, Pappus..... ex erroribus, quos, in ss. PP. scriptis, modo nos probare, modo, majori impietate, nos resecare criminantur. 153-57 Obj. Ex damnis temporalibus et litterariis, ex hujusmodi purgatione oriundis.

CAPUT IV.

DISCIPLINA ECCLESIÆ, CIRCA LIBROS NOCUOS, POST EXORTAS HÆRESES SEC. XVI.

158 Propositio. — Ratio tractationis. — Divisio capitis. p. 152

SECTIO I.

Historia indicis a medio sec. XVI ad nostra tempora. ib.

159 Disciplina ecclesiæ, circa libros, an, quomodo et quare mutata? 160 Quid index Romanus? Purgatur ab objecta recentioris originis labe. 161 Indicum conficiendorum occasio. — Indices particulares; Lovaniensis, Parisiensis, Lovaniensis alter, Venetus, Coloniensis. 162 Index generalis Pauli IV prior et posterior. 163 An nimis severus ille index? — Certe brevi suppressus. 164 Consilia et mandatum synodi Tridentinæ, de suscipienda indicis confectione. 165 Patres, ad indicem delecti a synodo Trid., extremam manum imponunt librorum catalogo et regulis indicis; 166 Quæ, post secundas Pii IV curas, hujus auctoritate promulgantur. 167—168 Secus atque asserit Espenius et contendit Leplat, ipsæ quoque regulæ ex implicito synodi mandato ac confirmatione commendantur. 169 Nec regulæ neque ipse librorum catalogus proprie sunt concilii Trid.; sed Pii IV; quamvis utriusque nomine promiscue laudentur. 170 Indicis Trident. titulus, bulla confirmatoria, *Dominici gregis*, et præfatio Forerii. 171 Tres librorum prohibitorum classes ex distinctione indicis Trid. 172 Duæ classes post emissum indicem Al. VII. — Varie apud varios acceptæ. 173 Decem indicis regulæ. 174 Index ille per varia regna promulgatus aut usu receptus. 175 Occasio appendicum particularium, certis locis, additarum. — Appendix regia Phil. II, in Belgio. — Indices particulares prohibiti; nisi accedat approbatio s. Congregationis ind. 176 Erectio s. Congregationis ind. per s. Pium V. 177 Index Sixti V, et prior Clem. VIII, anni 1593. Uterque suppressus. — Index Clementinus ann. 1596. — Appendix Tridentini indicis. — *Instructio* Clementina. 178 Indicis accessiones minores. 179 Index, in unum refusus continuum alphabeti ordinem, cura et laboribus p. Capiferrei. 180 Labores p. Hyac. Libelli, jussu et auctoritate Al. VII, commendati. — Index Al. VII. 181 Constitutio Ben. XIV. *Sollicita;* ejus index; Breve ejusdem confirmatorium, *Quæ ad catholicæ.* 182 Editiones adauctæ ann. 1806, 1819, 1835 et 1841. Editiones recentes in Belgio. — Monita ad editores.

SECTIO II.

A quibus et quo juris ordine condantur hodie prohibitiones Romanæ. p. 176.

183 Congregatio indicis. 184 Quibus dotibus instructi esse debeant, qui ad ejus labores assumuntur. 185 Constituitur Cardinalibus, consultoribus et relatoribus. 186 Hujus s. Congregationis potestas. 187 Ordo,

qui in judiciis ferendis servatur. 188 Monita Ben. XIV, ad consultores et relatores. — Ne in prohibitionem proclives. — Ne in materia sibi non perspecta. — Ne ex præjudiciis procedant. 189 Aliæ cautelæ adhibendæ; præsertim si auctor sit catholicus. 190 Eædem regulæ servatæ, quoad substantiam, ante Ben. XIV, fuerunt. 191 Hinc exclusæ criminationes hostium ecclesiæ. 192 At hujusmodi tribunalia possunt errare. R. Summa, quæ haberi humanitus possit, habetur pro veritate præsumptio. — Accedunt præsidia supernaturalia. — Quid, si decreta prodeant nomine ipsius s. Pontificis, aut de speciali ejusdem mandato, an saltem tunc infallibilia? 193 S. Inquisitionis Congregatio. — Ejus lata potestas. — Sessio fer. IV et fer. V. — Eminet, qua, tum ab hac Congregatione, tum a s. Pontifice prohibitiones emanant, maturitas.

SECTIO III.

Regulæ indicis moderni summatim perstringuntur. p. 185

194 Censura seu approbatio omni cujuscumque scripturæ impressioni prævia. — Non tamen vetitum videtur, legere, retinere.... quæcumque non probata, etiamsi de religione tractent. (cfr. n. seq.) 195 Præfigendum libro, etiam profana tractanti, nomen auctoris aut saltem censoris; attamen postquam, ea lege neglecta, impressus est liber, legi non videtur vetitus, nisi tractet de rebus sacris et etiam censura destituatur. — Hic nomine libri venit *omnis scriptura.* 196 Præcipuæ dispositiones regularum Tridentinarum. — Prohibentur 1° libri omnes hæresiarcharum. Item hæreticorum, nisi de argumento profano tractent, et purgati existant. 197 Item 2° alia scripta, hæreticorum operâ edita, vel ad hæresim aut superstitionem spectantia. 198 3° Scripturæ vernaculæ restricte permittuntur. — Rigor Sixti V, et Clem. VIII. — Episcopi, vi regulæ IV Trid., singularibus tantum personis concedunt, non promiscue integræ diœcesi. — Permissa serius compendia biblica et a Ben. XIV concessi ipsi libri sacri, in linguam vulgarem versi; si a sede apostolica probati sint, vel cum notis auctorum catholicorum editi. — An permissæ versiones paraphrasticæ, citra approbationem pontificiam? 199 Hæc ecclesiæ disciplina vindicatur. Ratio communis restringendi bibliorum usum ex periculo, quod quindecim seculorum experienta, respectu plurium, vere existere probavit. 200 Ratio specialis post propagatum a Waldensibus, Lutheranis... independentiæ spiritum. 201 Consilium synodi Tridentinæ. 202 Ratio historica et finis regulæ IV^æ. — Disparitas ad tempora ss. Patrum. 203 Obj. Ecclesia catholica non proscribit scripturam s., nec fidelibus subtrahit; sed caute permittit. 204 Quam necessaria dispositio regulæ IV, ut obtineretur finis a Tridentino intentus ipsiusque legis naturalis stricta observantia. — Conditiones obtinendæ licentiæ. — 205 Obj. Lex illa nullibi fere recepta. — Diversa variis locis disciplina. 206 Prohibentur 4° vulgari lingua libri de controversiis fidei. — Quid usus in Belgio? 207 5° Libri obscœni. 208 6° Libri magici et divinatorii. 209 Sanctio decem regularum. — Quid pœnæ indicis. — Excommunicatio regulæ X^æ. 210 Instruc-

tionis Clementinæ partes tres, summarie exhibitæ. (nota historica de indicibus expurgatoriis.) — Observationes Clem. VIII. — Additiones Al. VII. 211 Decreta generalia. — Eorum auctoritas. — Quam necessaria eorum cognitio. 212 Mandatum Leonis XII et monitum s. indicis congregationis.

OBJECTIONES.

213 Obj. 1 a damno, quod censura librorum, qualis modo Romæ exercetur, infert religioni; veritati; moribus. 214 R. ad 1. Veritas non proscribitur, proscripto libro ob aliquos tantum errores ejus. 215 R. ad 2. Quid sit damnare librum *in odium auctoris*. 216 R. ad 3. Quomodo expediat; ut legatur, quod aiunt, *le pour et le contre*. 217 R. ad 4. Qua via veritas supremo principi manifestari possit. 218 R. ad 5. Quo sensu ecclesia Romana corrigi nolit; quo velit; etiam ab adversariis occasione accepta. 219 R. ad 6. An ecclesia dogmata examini subducat, quasi sibi timendum ipsa sentiat? 220 R. ad 7. An ecclesia sibi pericula occultet et defensionis media subtrahat? 221 R. ad 8. Cur prohibeantur libri, qui collapsam aliquando ecclesiasticæ hierarchiæ ordinumque religiosorum disciplinam propalant. 222 R. ad 9. Cur rarius nominatim in indicem mittebantur libri obscœni? 223 Objiciuntur varii, quos prætendunt, abusus. 224 et 225 R. Spiritus ecclesiæ semper idem, scil. mansuetudinis et charitatis; pervicacia tamen subditorum, sicut olim, ita et recentioribus seculis, quandoque magistratum ecclesiæ ad salutarem rigorem coegit. 226 Neque ecclesia moderna dominatur fidei Christianorum; immo neque in disciplina dominatur : quam tamen subinde acrius urgere, exempla Christi ac apostolorum suadent et necessitas postulat. 227 Prohibitio librorum res disciplinaris est; ac adeo mutationi, pro circumstantiis, obnoxia. 228 An injuria nec citati nec auditi condemnentur auctores? — An ipsis aperienda suffixionis causa? An nimia severitate utantur ss. Congregationes? — Prohibitio operum Card. Bellarmini; s. Thomæ Aq. et s. Francisci Borgiæ. 229 An plures doctores catholici indicem Romanum flocci faciant?

—

CAPUT V.

INDEX ROMANUS IN BELGIO OBLIGATORIUS. p. 221

N. 230. Necessitas hujus tractationis. 231 Quid in decretis prohibitoriis dogmaticum sit; quid disciplinare. 232 *Assertio* I. Variæ indicis leges non debuerunt promulgari in provinciis; utpote Romæ promulgatæ sub clausula, quam (233) provincialis promulgationis derogatoriam esse constat : 1° Ex ratione theologica : 234—237. 2° Ex variis documentis. 238 Objicit Espenius, nominatim in Belgio, clausulam hanc negligi solitam. 239 Solvitur alia, e praxi tribunalium Romanorum petita, difficultas. 240 *Ass.* II. Regulæ Tridentinæ universæ, in omnibus Belgii hodierni diœcesibus, promulgatæ, aut saltem usu receptæ

fuerunt. 241 Quod, contra allegatas Espenii, et Jud. Leplat cavillationes, (242) probatur, *quoad promulgationem ecclesiasticam*, de provincia Mechlin. (Nota de placeto regio in Belgio.) 243 De prov. Cameracensi. 244 De provinciis Mechlin. et Camera. simul. 245. De diœcesi Leodiensi, in qua (246) simul adfuit potestatis civilis accessio. 247 Pro aliis diœcesibus legem ecclesiæ pro foro civili, promulgavit Philippus II; quæ sola promulgatio certe, pro utroque foro, sufficiebat. 248 Factum illud probatur 1° ex Haræo et edicto anni 1569 — Refutatur exceptio d. Leplat. 249 Probatur 2° ex præfatione appendicis regiæ. 250 3io ex diplomate 19 maji 1570, pro religiosa artis typographicæ exsecutione. 251 Refutatur obj. Espenii ex indice expurgatorio Phil. II. 252 et 253. *Ass.* IV. Plerisque etiam Belgii locis, vel solus usus sufficientem totius indicis prodit acceptationem, nominatim in archidiœcesi Mechlin. 254 *Ass. IV.* Decreta, in vim legis obligantis lata, nequidem Romæ promulgari indigent, ut obligationem inducant, etiam quoad pœnas indicis, quas applicant. Probatur 1°, ex natura regularum indicis. 255 2°, ex doctorum auctoritate. 256 3io, ex regula 10. 257 4° ex const. *Dominici gregis.* 258 5° ex litteris encycl. Greg. XVI. 259 Quid ad auctores gravissimos, qui contrarium docuere? 260 Corollaria, quoad prohibitiones, certis locis factas, vi regularum indicis. — Quis earumdem effectus pro aliis locis? 261 *Ass. V.* Igitur omnes indicis Romani partes per totum Belgium obligatoriæ sunt; nisi positive constet de exceptione. 262 Exceptionum exempla. 263 Usu permittuntur saltem quorumdam veterum hæreticorum libri. 264 et 265 Quid de libris, qui obiter continent hæresin? 266 De iis, qui, ex regulis Tridentinis debent examinari et purgari, antequam permittantur? 267 De libris, censura non probatis? — De epistolis familiaribus? — Concessio Pii IX circa censuram prævíam. 268. De iis, qui insuper prodeunt anonymi? 269 De libris indici nominatim insertis, quos, quia catholicorum sunt; dicunt, *secundæ classis?* 270 *Ass. VI.* Immo videtur consuetudo, indiscriminatim amplectendi omnia, de libris vetitis, emissa decreta effecisse; ut, in ipsa sententia patronorum promulgationis provincialis, decreta, quæ jus novum conderent, etiam citra speciales clausulas, in Belgio ad obligationem inducendam, promulgari non debeant.

—

CAPUT VI.

QUÆSTIONES PRACTICÆ CIRCA LIBROS PROHIBITOS.

272 Scopus et partitio capitis. p. 261

SECTIO I.

Casus excommunicationis reservatæ.

273 Prior casus bullæ Cœnæ; alter, proscriptionis particularis, ab ipso

Pontifice, sub hac pœna, post ann. 1664 latæ. 274 Post constnem Alex. VII, *Speculatores*, non amplius sub excommunicationis reservatæ sententia prohibentur — *libri de astrologia judiciaria tractantes;* nec libri auctoris catholici, vel, de hæresi suspecti, *qui, hæresim continentes, aut suspecti de hæresi, prohibiti sunt, donec corrigantur;* uti neque *versiones aut editiones librorum sacrorum aut scriptorum ecclesiasticorum ab hæreticis factæ*, rara et brevi licet adjecta nota. 275 Q. 1. Sub nomine *apostatarum* comprehenduntur etiam, qui, baptizati, nullam modo religionem profitentur. 276 Q. 2. Qua ratione constare debet de auctoris hæresi, aut apostasia? An sufficit hæresis materialis? Libri anonymi, hæresin continentes, censentur esse scriptoris hæretici. Item Romanenses qui non solum bonos mores; sed veram etiam religionem impugnant. 277 Q. 3. Quid si auctor tantum post libri editionem factus sit hæreticus aut apostata, vel vicissim, si auctor hæreticus aut apostata sit conversus? 278 Q. 4. Vox *liber*, hoc loco, probabilius complectitur manuscripta, non tamen breviores lucubrationes, licet sint impressæ. Quid circa scripta periodica, conservata et in unum volumen compacta? 279 Opera ab hæretico ex aliis auctoribus aut a catholico ex hæreticis compilata. 280 Q. 5. Probabilius non sufficit una hæresis; si tantum obiter asseratur. 281 Q. 6. Excusat a pœna tam bullæ Cœnæ, quam indicis, non tamen a prohibitione expunctio erroris, ob quem prohibitus constaret liber, etiam privatim facta; non sic censura aut expurgatio privata. 282 Q. 7. Quid: *tractare de religione?* Commentarii in scripturam, — in libros catholicorum de religione tractantes. 283 Q. 8. Requiritur scientia quatuor conditionum, quæ concurrere debent, ut hæc censura contrahatur. Quid si ignorantia sit affectata? 284 Q. 9. Quid si censura erronee existimetur apposita? 285 Q. 10. Qualis et quanta requiritur lectio? Quid si idiomate ignoto, aut solo visu? 286 Prohibito libro, prohibentur singulæ partes ejusdem; non tamen, prohibita collectione, semper prohibentur singula, quæ collectione continentur. 287 Q. 11. Legens per alium probabilius, qua talis, non incurrit. 288 Q. 12. Qualis et quam diuturna requiritur retentio? retinens tantum dominium libri; retinens ad destructionem; Bibliopolæ. 289 Q. 13. Imprimentes quinam? 290 Q. 14. Defendentes?

SECTIO II.

Casus excommunicationis non reservatæ. p. 278

291 An duplex quandoque per lectionem aut retentionem incurritur excommunicatio? 292 1° Ex reg. 10 ind. Trid. libri, regulis Trid. damnati ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem, a quovis auctore sint scripti, etiam post editionem indicis; sub excommunicatione non reservata, prohibiti sunt. 293 2° Prohibetur ipsa librorum, censura ecclesiastica non probatorum, impressio, et manuscriptorum evulgatio, detentio ac lectio. 294 3° Ad eamdem exclusive pœnam reduxit Al. VII, omnes pœnas, ante ipsum inflictas, sola excepta excommuni-

cationc bullæ Cœnæ. 293 4° Libri post Al. VII proscripti, iisdem fere reguntur Trid^ni legibus; nisi in ipso prohibitionis decreto speciale quid statuatur. 296 Explicatur regula 10^a. 297 Corollaria : sub excommunicatione non reservata prohibentur : 1. Libri hæresiarcharum omnes, post ann. 1515 conscripti; nisi forte examinati debite fuerint et ab erroribus immunes reperti. 2. Libri hæreticorum, post eumdem annum editi, nisi purgati fuerint ac probati; vel saltem ab erroribus immunes reperti. 3. Versiones fere omnes scriptorum ecclesiasticorum et librorum sacrorum ab hæreticis profectæ; uti et adnotationes in scripturam sacram; nisi expuncta sint loca suspecta. 4. Libri, quorum argumentum bonum est; sed quibus aliqua sunt obiter inserta, quæ ad hæresim spectant. 5. Hæreticorum prologi et adnotationes ad libros non damnatos. 6. Juxta plures, libri magici. 7. De jure communi, eidem censuræ obnoxii sunt, qui typis edunt, scripto evulgant, retinent aut legunt quamcumque scripturam, ab auctoritate sacra non probatam. 8. Loco veniunt scripta, serius sub hac censura decretis particularibus prohibita. 298 Sensus reductionis pœnarum ab Al. VII, factæ.

SECTIO III.

Quandonam per librorum perversorum lectionem, retentionem... peccatur contra legem naturalem? p. 285

299 Pravos libros legere, non est intrinsece malum : pro libris obscœnis rarius adest justa, quæ excuset, causa. 300 Quænam consideranda sint, ad dimetiendam hanc juris naturæ prohibitionem. 301 Libros perversos legere, retinere... ordinarie est illicitum propter pericula funestosque effectus. 302 Quod confirmatur auctoritate Sylvii, Collet, et S. Alphonsi, et 303 Applicatur modernis romanensibus, miscellaneis. ephemeridibus.....; adductis variis eam in rem testimoniis factisque dierum nostrorum. 304 Idem applicatur quam plurimis scriptis, in se bonis; quatenus relate ad eos, qui legunt, periculosa sunt. 305 Quantum ad hanc præcise obligationem naturalem utendum est sententiis rigidioribus. — Quo sensu?

SECTIO IV.

Quandonam peccatur contra solam legem positivam? p. 297

306 Summatim recensentur prohibitiones positivæ, non pœnales. 307 Obligatio hæc gravis est, etiam pro regula IV indicis. 308 A qua regula non excipiuntur in Belgio personæ quæcumque honestæ et prudentes, contra opinionem p. Lacroix. 309 Nec minor, quam olim, militat pro hac disciplina, ratio, nominatim in Belgio. 310 In Belgio duplex statutum provinciale : alterum anni 1697. 311 Alterum anni 1843. 312 Hoc statutum dilucidatur. 313 Quam necessaria et oportuna sit hæc instructionis pastoralis dispositio. 314 Quod Episcopis facere, per circumstantias haud licuit, qui auctoritate aut talentis valent, supplere, certo modo, possunt ac debent. 315 Felix Instructionis past. effectus. Plures

tamen ei non detulerunt; quorum. (316-321) Allegantur et breviter refutantur prætextus et exponuntur aliquales rationes. 1° In iis nihil mali. 2° Cogit necessitas epochæ vel relationes commerciales... 3° Rejicere novi, quæ a vero et honesto abludunt. 4° Scripta religiosa tam insipida sunt, (remittitur ad notam (J) in qua discutiuntur quæ recentius in ephemeridibus contra Instr. past. congesta sunt). 5° Casu lego in diversorio. 6° Nec lego pagellam (feuilleton). 7° Nec pecunia sustento editores. 322 Corollarium de scriptis romanensibus, diariis ...nostri temporis. 323 Corollarium practicum de iis, qui similia scripta legendi, propagandi..... consuetudinem habent. 324 An sint peccatores publici. Multos excusat bona fides. 325 Hic tamen, secus ac in casu, quem sectione præcedenti ponebamus, inclinandum in partem benigniorem, præciso periculo proximo. 326 In s. pœnitentiæ tribunali, sæpe dissimulari potest, etiam cum iis, qui continuo legunt, promovent..... scriptum non nimis perversum; vel etiam qui legunt subinde diarium valde impium aut obscœnum, citra periculum, transvolando v. g. pagellam (feuilleton). 327 An etiam dissimulari, in confessione, ob bonam fidem, possit cum iis, qui continuo legunt, hujuscemodi perversiora scripta; aut aliis ea legenda præbent? 328 De uxoribus, prolibus, et famulis cooperantibus.

SECTIO V. p. 316

329 Q. 1. De libris prohibitis, qui a catholicis eduntur, vel in aliam linguam transferuntur. 330 Desuper traduntur regulæ quinque. 331 Conclusio practica. 1° Si libri fuerint ab Episcopis permissi : a) Pro jure suo ordinario. b) Pro potestate sua speciali. 2° Si nullam ejusmodi censuram præferant? 332 Opinio p. Lacroix refutatur. 333 Q. 2. Licetne, cum approbatio seu censura Episcopi legitime obtenta fuit, eamdem apponere versioni ejusdem approbati libri, et versa vice? 334 Q. 3. An pro nova operis probati editione, in alia diœcesi adornanda, requiritur nova Episcopi loci censura? 335-39 Q. 4. Quid speciatim notandum circa licentiam imprimendi scripturam s., missale, breviarium Romanum...? Quid circa eorum, illicite impressorum, usum? 340 Hæc tamen etiam illicite edita, non sunt libris prohibitis accensenda, quia prorsus diversum est prohibitionis eorum motivum : integritas, nempe textuum et conformitas officiorum. Aliter statuendum de missali Gallico, ob speciale fidei motivum, ab Al. VII. proscripto. 341. Q. 5. Quid si censura alicujus libri merito supponatur injusta, ut quærebat Arnaldus? 342 Quædam notatu digna circa frequentem legendi libros prohibitos licentiam. 343 Ea licentia personalis est; non localis. 344 Q. 6. Quid in rescriptis, quibus conceditur licentia legendi, intelligitur per restrictionem : *exceptis, qui ex professo contra religionem aut bonos mores agunt?* 345 Q. 7. Quænam vis horum, in præfatis rescriptis, verborum : *ad effectum eos impugnandi?* 346 Q. 8. De licentia præsumpta. Si finis legis cesset contrarie, licet præsumere licentiam. 347 Negative autem in hac materia finis non cessat adæquate; ita ut, cessante fine negative

tantum, certo opus sit licentia expressa. 348 Quod speciatim constat de casibus bullæ Cœnæ. 349 Id inculcat instructio past. an. 1843. 350 A Quibus hæ licentiæ in Belgio concedi possint. 351 Conditiones, sub quibus hæc exemptio conceditur. 352 Quid permittendum iis, qui aliis præsunt, ludimagistris, parentibus.... Sub qua cautela? 353 Q. 9. Patrum familias, institutorum.... latissimum in hac materia jus et officium. 354 Q. 10. Ex qua regula dignoscent fideles; quænam scripta sint ipsis prohibita? 355 Q. 11 Quid notandum de forma *prohibiti donec corrigantur?* 356 Q. 12. Quinam libri in catalogis librorum nigra asterisci nota sunt afficiendi? 357 Epilogus.

ADNOTATIONES.

Adnotatio A ad n. 92. Compendium historicum condemnationis Galilei et systematis Copernicani . . . . . p. 345

N. 1. Copernici systema jam diu, cum plausu, a catholicis traditum ob Galilei jactantiam, denuntiatur apud s. inquisitionis fidei congregationem, anno 1615; sed nihil contra illud aut Galileum agitur. 2 Galileus ipse, an. 1615, per cardinalem Orsinum, Pontifici se commendari curans, quæstionem congregationibus infert. — Privatum Pontificis judicium. 3 Acta s. congregationis inquisitionis fidei circa Galileum ipsum, 25ª febr. præsente Pontifice. 4 Decretum aut mandatum congregationis inquisitionis fidei fer. IVª, 2da mart., absente Pontifice, deperditum. 5 Censura congregationis indicis in libros Copernicano systemati suffragantes, et censorum theologorum in duas propositiones Copernicanas. 6 Qua ratione post hæc decreta Romæ habita fuerit hæc opinio, ejusque habiti defensores. 7 Galileus, an. 1633, judices suos exagitat libro: *Dialogus Galileo-Galilei de duobus præcipuis mundi system. Ptolemaico et Copern.* 8 Condemnatur ad retractationem et detentionem; ejus vero *Dialogus* prohibetur. 9 Concluditur: Copernicanum systema non fuit reprobatum, quasi illud Galileus asseruisset in Scripturis fundatum et fide certum. 10 Neque etiam publice, et cum auctoritate declaratum fuit, in se, hæreticum. 11 Neque soli Galileo prohibitum. 12 Sed simpliciter, ut videtur, rejectum ut falsum, ac temerarium. 13 Certe nihil ex tota historia extundi potest; quod fidei aut certis ecclesiæ prærogativis adversetur.

Adnotatio B ad n. 99 de factis dogmaticis . . . . . p. 366

Adnotatio C ad n. 170. Bulla indicis confirmatoria, *Dominici gregis*. p. 369

Adnotatio D ad n. 173. Decem regulæ indicis Tridentini. . . p. 371

Adnotatio E ad n. 177. Selecta bullæ Clem. VIII. *Sacro-sanctum*. p. 376

Adnotatio F ad n. 181. Decreta generalia indicis . . . . . p. 377

Adnotatio G ad n. 210. De indicibus purgatoriis . . . . . p. 382

N. 1. Index purgatorius r. p. Brasichellen. 2 Belgicus. Ejusdem conficiendi scopus et ratio. 3 Vindicatur ejusdem occultatio contra Junium. 4 An merito reprehensus? 5 Unde tanta indicum expurgatoriorum dissensio?

Adnotatio H ad n. 246. De placeto regio . . . . . p. 385

N. 1. Distinctio potestatis spiritualis et temporalis. 2 Causa formalis juris placeti ecclesiæ concessio est. 3 Illius concedendi occasio schisma fuit occidentis. 4 Illius extensio possibilis. 5 Quæ erat ejusdem extensio in Belgio? 6 A placeto distinguitur vis legis ecclesiasticæ in foro civili.

Adnotatio I ad n. 320. Ephemeridum objectiones contra Instructionem past. anni 1843. . . . . p. 389

FINIS.

55086